Digitized by Google

1. 7. 81

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

GOTHOFREDI GUILLELMI LEIBNITII,

S. Cæſar. Majeſtatis Conſiliarii, & S. Reg. Majeſt. Britanniarum a Conſiliis Juſtitiæ intimis, nec non a ſcribendâ Hiſtoriâ,

OPERA OMNIA,

Nunc primum collecta, in Claſſes diſtributa, præfationibus & indicibus exornata, ſtudio

LUDOVICI DUTENS.

TOMUS SEXTUS,

In duas Partes diſtributus, quarum

I. Continet Philologicorum continuationem,

II. Collectanea Etymologica.

Della Libreria di S. P.P. Minimi San Giuseppe di Firenze nell'anno 1773

GENEVÆ,

Apud FRATRES DE TOURNES.

MDCCLXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

CATALOGUS
OPERUM TOMI SEXTI.
PARS I.

COMMERCIUM Epiſtolicum G. G. Leibnitii, V. Placcii, D. Hinuberi, H. Siveri, & Jo. Vagetii. (Sylloge nova Epiſtol. Norib. 1761.) pag. 1

Commercium Epiſtolicum G. G. Leibnitii & Jobi Ludolfi, cum animadverſionibus Aug. Ben. Michaelis. (Exempla Goetting. ann. 1755. in 8. edit.) 85

XL. Epiſtolæ ad Patrem Des Boſſes Soc. Jeſu, (à D. Gobet communicatæ, quas ipſe in Bibliothecâ collegii Jeſuitarum Pariſienſ. invenit, & cum originalibus epiſtolis ad verbum contulit.) 171

VIII. Epiſtolæ ad D. Bourguet, directè vel indirectè ſcriptæ, (à D. Le Cat cum ſex epiſtolis tomo ſecundo inſertis, communicatæ.) 202

XIX. Lettres à M. Thomas Burnet, Gentilhomme Ecoſſois, (communiquées par M. le Docteur Sharpe de Londres.) 221

†† 2 Leibni-

N°. 1 Ex Litteris D. A. Acoluthi ad D. Abbatem Molanum. pag. 130
2 Ex aliâ ejuſdem ad eumdem Epiſtolâ. 135
3 Ex Epiſtolâ ejuſdem ad Leibnitium. 136
4 Leibnitii Epiſtola ad Acoluthum. 138
Leibnitiana expoſitio Juramentorum Ludovici Germanici & Caroli Calvi &c. (Loc. Cit.) 141
Excerpta ex aliquot Epiſtolis cum Gerardo Meiero communicatis. (Loc. Cit. & Otium Hanover. Felleri.) 145
Excerptum ex Epiſtolâ ad quemdam qui omnia a Gothis derivare volebat. (Otium Hanover.) 176
Excerptum ex Epiſtolâ ad Job. Ludolfum. (Eccardi Collect. Etymol.) 177
Excerptum ex Litteris ad O. M. (Act. Erud. Supp. T. IV.) 182
Conjecture ſur l'origine du mot *Blaſon.* (Journal des Savans Juillet 1692.) 184
Excerpta ex Libro memoriali Leibnitiano de variis Tartariæ linguis. (Novell. Litter. Lipſ. A. 1722.) 185
Obſervationes variæ, de Linguis & origine vocabulorum, nec non de concinnando Dictionario & perpoliendâ linguâ Germanicâ, ex ore & ſchedis Leibnitii notatæ & deſcriptæ. (Felleri monum. inedit.) 187
Epiſtola Joh. Chamberlaynio. (Chamberlayne orationes Dominicæ in diverſ. ling. 4. Amſt. 1715.) 192
Oratio Dominica & aliæ variis linguis expreſſæ; cum excerptis ex litteris Nicolai Witſenii ad G. G. Leibnitium. (Eccard. Coll. Etymol.) 199
Signa varia per quæ unuſquiſque valet ſignare alii ſine loquelâ. (Loc. Cit.) 207
Epiſtola ad Guil. Wottonum. (Kortholt. Coll.) 217
Lettre à M. le Baron de Sparvenfeld. (Loc. Cit.) 220
Hermanni von der Hardt ad Leibnitium Epiſtolæ & auctoris reſponſio ad eumdem, cum epiſtolâ Leibnitii ad Kruſikenium; De Harmoniâ linguarum, & Græcis Litteris. (Ib.) 225

Lettre au R. P. Verjus, ſur l'utilité de la connoiſſance des langues pour l'hiſtoire. (Otium Hanov.) pag. 227
Deſiderata circa linguas populorum ad Dn. Podeſta, cum ejuſdem Podeſtæ reſponſo. (Loc. Cit.) 228
Excerptum ex Epiſtolà Tenzelii ad G. G. Leibnitium cum Leibnitio reſponſo, *De linguâ primigeniâ.* (Loc. Cit.) 232
Index Tomi Quinti & Sexti.

COMMER-

COMMERCIUM EPISTOLICUM
G. G. LEIBNITII,
VINCENTII PLACCII, D. HINUBERI, HENR. SIVERI, ET JO. VAGETII,

De Rebus Juridicis, Mathematicis, Philoſophicis, & litterariis.

Ex Sylloge Novâ Epiſtolarum Norimbergæ anno 1761. editâ, depromtum.

Digitized by Google

COMMERCIUM EPISTOLICUM
G. G. LEIBNITII,
VINCENT. PLACCII,
Aliorumque Hamburgenſium.

(1.)

LEINITIUS VINCENTIO PLACCIO.

Leibnitius, *varia quærendo*, *aditum ſibi ad* Vincentii Placcii, *aliorumque Hamburgenſium eruditorum*, *amicitiam ſtruit.*

CUM dudum mihi ex tuo *Nomico Pacemuto* (a) notus eſſes, & ſubinde quærerem, ſi quid aliud tuum nomen præſerret; ecce! in manus meas incidit liber tuus *de ſcriptoribus anonymis & pſeudonymis*, multis eruditionis & judicii documentis refertus. Eum avidè legi, & ſub finem promiſſa tua vidi lætus. Statim impetum ſumſi hortandi, ut pergeres, atque inſtituta tam præclara urgeres. Video enim, ab omnibus doctrinæ & ingenii præſidiis te inſtructum, poſſe præſtare, quæ alii ne animo quidem concipere audeant. Gaudeo etiam, *Feldenum* tibi amicum eſſe, cujus viri judicium & demonſtrandi peritiam ſemper magni feci.

(a) Hoc nomen Placcius adſumſerat in fronte libri *de perfecto jure conſulto.*

Digitized by Google

rum agat *Chriſtianus Ravius*, & quid factum ſit ejus MSS. orientalibus ſive ſpoliis Orientis. Ea Berolinum delata bibliothecæ electorali Brandenburgicæ acceſſiſſe, mihi narravit aliquis; neſcio, an verè. Videor mihi quaſi per ſomnium vidiſſe ejus verſionem *Apollonianorum Conicorum*, quæ non niſi Arabicè exſtabant. Fac, quæſo, ut ſciam, an non errem.

Vides, me ſatis confidenter ſcribere, quaſi ſcilicet te reſponſurum eſſe, certum ſit. Sed ſi te bene novi, aut potiùs, ſi bene novi genium virorum ſupra vulgus doctorum, non poſſum de humanitate tua dubitare.

Unum adjicio: *Paullus Würtius*, qui exercitui in Batavis cum imperio præfuit, vir rei militaris & mathematicarum ſcientiarum peritia clarus, nuper apud vos, ut ſcis, fato conceſſit. An verò reliquerit aliqua, quæ ad incrementum ſcientiæ pertineant, tibi non erit ignotum. Quod ſupereſt, vale, vir clariſſime, mihique tibi deditiſſimo fave. *Dabam Lutetiæ Pariſiorum d.* 10. *Maii* 1676.

(2.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius *objurgationi* Leibnitii *blandè obviam it, oblatumque litterarium commercium ambabus manibus amplectitur.*

COmmunicavit mecum pro familiaritate noſtra tuas, ad ſe ſcriptas die 7. Julii litteras, collega meus longè cariſſimus, Dn. *Henricus Siverus.* Ex quibus uti cum gaudio cognovi ſummo, non eſſe me parvo apud te in pretio; ita indolui, aliquid a me proficiſci potuiſſe, quod non uſque tibi placere intelligam. Nimirum, in gratiis tuis aſſertum eſſe tibi librum tuum ſcribis. Id quod ego minimè futurum arbitrabar, quandoquidem & initialibus litteris nominis tui præfixis, & aliis indiciis, non admodum anxiè tibi, ut lateres, quæſitum eſſe teſtabaris, & cauſſa nulla, cur citra noxam non aſſereretur tibi, quod tuum erat, apparebat. Abſque hoc fuiſſet, una cum aliis multis ex alterutra cauſſarum harum in abdito mihi, quamvis probari poſſent erui, relictis, etiam tuos hoſce libros recondidiſſem. Quod verò nugacem libellum eum appellas, eam, mihi crede, modeſtiam tuam nimirum, eruditorum haud ulli ſatis umquam approbabis, utrumvis etiam, ſive *n.* 123 ſive 131. detectum ex ſcriptis tuis, velis intellectum. Ego ſanè, quo minùs doctrinam tuam atque judicii facultatem inſignem, aliunde licet magis adhuc conſpicuam, vel inde quoque prædicem, atque doctiſſimum ingenioſiſſimumque ſcriptum utrumque, ceu feci, commendem, a me numquam impetrabo. Quod verò minari me neſcio quid inſuper ſcribis, eas, ſi modò miræ ſint, ex pelvi crede profectas ſi lubet. Neque ſane umquam refutandæ

Digitized by Google

te nominatim conſilium mihi fuit. Aliqua, tuis inſiſtenti humeris latiùs, ni fallor, clariuſque conſpecta, publicare in communem uſum, & modeſtè cum aliquibus tuis conferre propoſitum mihi me habuiſſe, non diſſimulabo. Quod tamen ipſum, an exſequi labores alii magis neceſſarii, moramque minùs ferentes, ſint paſſuri, corpuſque valetudinarium valde ſit permiſſurum, vehementer ambigo. Quidquid ejus ſit, hoc, poſtquam adeo vicinum te nobis, atque litterarii commercii non impatientem intelligo, ultro nunc promitto, nihil me publicaturum ejus argumenti, quod ad te tuaque pertineat in poſterum, niſi per litteras prius id tibi ſit indicatum, ut, ſi velis, mentem tuam cum mea collatam aperire mihi poſſis, adeoque privatis ejuſmodi monitionibus mutuis publicæ diſputationis invidia facilè queat evitari. Tu ſi quid in meis, maximè moralibus, opuſculis emendandum augendumve notaveris, gratius mihi facere nihil potes, quàm ſi de plurimis commonefacias auditurum te tanto lubentiùs, quanto planiùs pleniuſque, in quibus tibi non ſatisfecerim, dederis indicatum. Sanè jam olim ego amicum mihi talem optavi, qualem in *Tacito Plinius lib. VII. epiſt.* 20. ſe habuiſſe, teſtatur. Eum, huc uſque non repertum, in te ſi poſſem invenire, profectò mihi ſeriò gratularer. Quamvis enim in mathematicis ego parum præ tua illa, uti video, accurata ſcientia cognoverim; attamen in practica philoſophia tanto minùs deſperem tuæ curioſitati aliquatenus reſpondere. De logicis acceſſionibus quid animo conceperim, ex edito poſtremis nundinis commentario *in Verulamium pag.* 198. *& ſeq.* conjicies. Quamvis & hac in parte longè plura tibi ab honoratiſſimo collega meo, *Jo. Vagetio*, diſcipulo *Jungiano*, *Fogelii*que ſucceſſore digniſſimo, ac ad ipſius moribundi commendationem noſtri collegii totius unanimi voto precibuſque ad ſuperiores delatis ſuffecto, promittere poſſim: ad cujus amicitiam me pararium offero, ſi prius ad tuam intromittere me non fueris dedignatus. Denique ſi quid in litterariis rebus te juvare vel oblectare poſſim, aut alioquin hac in urbe gratum quid tibi ſit efficere; ſcito, me vehementer ea felicitate gaviſurum. Vale. *Dabam Hamburgi d.* 17. *Jul.* 1677.

(3.)

HENR. SIVERUS LEIBNITIO.

Henricus Siverus, *Math. Prof. Hamburgenſis*, *de ſtudiis ſuis* Jungiique *&* Fogelii *poſtumis* Leibnitium *certiorem facit*, *eique mittit* Placcii *epiſtolam.*

QUod me nomine diſcipuli *Jungiani* dignaris, gratum quidem id eſt; ſed cùm virum iſtum ſummum de cathedra docentem non audiverim, quod maximè doleo, tantùm mihi non arrogo, ut me hoc nomine dignum

Digitized by Google

dignum exiſtimem. Si tamen quis voluerit me ſic dici, eo quòd per ſeſquiannum ferè ejus viri familiaritate uſus ſim, quam mors, ſpe & voto citius, interrupit; non omnino id renuo. Nonnulla enim brevi iſto tempore per colloquia, ſingulis hebdomadibus ſemel cum ipſo habita, cum frequentiora vitæ meæ conditio, utpote qui extra urbem præceptoris munere tum fungebar, non admitterent, ſubinde me didiciſſe non diffiteor, quæ, ut accuratam ejus ſciendi methodum mirer & prædicem, faciunt.

Erat ſanè vir ille verè philoſophus, & omnium ſcibilium quaſi promtuarium, cui in geometricis æqualium figurarum demonſtrationem empiricam per ſectiones; in logicis, præter notionum & enuntiationum accuratiorem doctrinam, ſpecies quaſdam argumentationum non adeo notas, methodumque demonſtrandi faciliorem; in phyſicis doxoſcopias minores a Dn. *Fogelio* editas debemus; deberemuſque longè plura, ſi ingenia eſſent philoſophica, quibus vacaret faſciculos ejus innumeros pervolvere, &, quæ in iis varia eruditione referta latent, eruere.

Hunc tantum virum ſi per annos aliquot & publicè & privatim continuè audire mihi contigiſſet, uti Dn. *Fogelio*, æmulo ejus, dum viveret, feliciſſimo, in cujus proinde morte præmatura magnam res litteraria jacturam fecit, & Dn. *Joanni Vagetio*, collegæ ac amico meo integerrimo, profeſſori Logices & Metaphyſices, in locum piè defuncti *Fogelii* cunctis ſuffragiis ſuffecto; promtiùs tibi ſatisfacerem, ac fieri jam poterit. Moderatiùs igitur de me ſentias velim. In mathematicis enim non excello, ſed vulgarem tantummodo eruditionem conſecutus, in notioribus adhuc ac tritis verſor; magis recondita & abſtruſa vel divinioribus ingeniis linquens, vel laxiori aliquando animo reſervans, ſi fortè Deus labores meos ita temperaverit, ut iis quoque rimandis ac penetrandis nonnihil temporis tribui poſſit. Nunc enim non licet, cùm in eo totus ſim, ut compendia ſive ſyſtemata ſcientiarum mathematicarum *Taſſiana*, quibus meam qualemcumque rerum mathematicarum cognitionem, proprio interim, ut aiunt, *Marte* confiſus, acceptam refero, typis in uſum gymnaſii noſtri deſcribantur.

Proſtant jam, præter Jungii *Geometriam empiricam*, Taſſii *doctrina proportionum in magnitudinibus*, *Arithmetica empirica*, *Trigonometria utraque*, *Geodæſia*, & *Photica*. *Aſtronomia Sphærica* & *Geographia univerſalis* ſunt ſub prælo: quas *Aſtronomia theorica*, *Chronologia*, *Stereometria*, *Statica*, *Gnomonica*, *Graphica*, aliæque, ſi quæ plures fuerint, ſcientiæ abſolutæ, per divinam gratiam ſequentur. Quid inde laboris mihi incumbat, facilè novit is, qui alterius manuſcripta, ſæpius correcta, necdum ſatis exaſciata atque dedolata, partimque confuſa, non quidem culpa auctoris, ſed poſt mortem ejus collectoris rerum prope omnium ignari, tractare contigit. Singulis iis, poſtquam omnes ſunt impreſſæ, figuras & explicationes convenientes addere animus eſt. Eumque tandem laborem, ſi Deus ulterioris vitæ uſuram conceſſerit, excipiet Phoranomicus ille dudum ſuſceptus. Dederat enim ipſe auctor *Jungius* mihi proximè ante obitum ſuum aliquod Pho-

Digitized by Google

Phoranomicæ rudimentum, pro collegio, quod quondam habuerat, ex ſchedulis ſuis conceptum, elimandumque poſtmodum, ut, quid placeret, indicarem; ſiquidem ſatis patiens erat alieni judicii, dummodo id a matheſeos imperito, quem ſolum reſpuebat judicem, non proficiſceretur. Placebat mihi tunc illud. Quare communicatis pluribus ſchedularum faſciculis, petiit a me, ut ex illis idem in perfectioris ſyſtematis modum ſupplerem. Accipiebam igitur conditionem, opem auctoris, ſi quid hærerem, ſperans; ſed illum non diu poſt viribus tum corporis tum animi deficientem occupabat mors, non ſine deſiderio & luctu omnium ſolidè eruditorum. Nihilominus, quod per fidem ſuſceperam, deponere nolui. Rem igitur ſtrenuè quidem aggreſſus ſum: verùm, quæ varia mihi fuit fortuna, alii motus partim grati, partim ingrati intervenientes, ſæpius hos locales motus per annos aliquot ceſſare & fecerunt, & nunc faciunt. Quamprimum tamen temporis copia dabitur, quam ſubinde per Dei benignitatem ſpero, adornatis priùs iis, quibus functioni meæ publicæ ſatisfieri queat, omni niſu in id incumbam, ut opuſculum illud, auctum jam ultra mediam ſui partem, ulteriuſque pro pleniori reliquorum ſenſu augendum, ad colophonem perducatur, & diagrammatis illuſtratum publici juris fiat.

Tractat autem id ipſum motum localem abſtractim ſine omni materia, ut geometria magnitudinem: habens jam capita decem, quorum primum agit de loco ſive ſitu puncti aut magnitudinis reſpectivo; ſecundum de eorum motu reſpectivo in genere: tertium de motu ſimplici & compoſito latè dicto, qui comprehendit compoſitum ſtrictè dictum & mixtum, & hunc vel coordinatim, vel ſubordinatim, vel immediatè talem: quartum de motu compoſito per volutationem anguloſam: quintum de motu mixto per interceptionem: ſextum de motu mixto per vergentiam: ſeptimum de motu mixto per volutationem orbicularem: octavum de motibus mixtis enchronis: nonum de motu per vectionem mixto: decimum de compenſatione motuum. His tandem accedet caput 11. de motuum æquipollentia; eoque, ſi non pluribus, res hæc iſta vice abſolvetur.

De *Fogelio* quid dicam! Eheu mortuus eſt, & cum illo denuo *Jungius*, niſi quantum in Dn. *Vagetio* noſtro reſtat. Scripta ejus plurima ſunt affecta; perfecta autem, præter *orationem de meliori logices conſtitutione* & *tractatulum de præſtantia logicæ Hamburgenſis præ aliis*, nulla. Pro *Lynceorum hiſtoria*, quam moliebatur, & tractatu *de Turcarum Nepente ſive Maslach*, ſatis multam congeſſit materiam; verùm hæc non minùs, ac cetera omnia *Fogelium* nimio labore confectum, ſibique ereptum deſiderant. Quid de bibliotheca ejus, rariſſimis auctoribus referta, futurum ſit, nondum ſatis liquet. Aſſervari quidem illam pro filiolo ſuo voluit piè defunctus noſter; verùm cùm ille filius admodum teneræ adhuc ætatis ſit; & præterea mater altero jam conjugio implicita, mentem quoque, ut poëta ait, alio diviſerit; varia ſunt de ea vel aſſervanda, vel per auctionem diſtrahenda judicia; quorum deciſiones exſpectamus.

Ad

Ad Dn. *Placcium* quæ attinent, de iis litteræ ſunt hic incluſæ. Forſan illæ magis e voto tuo erunt, ac meæ. Nam cùm ipſe domi negotii ſatis habeam, quid foris in re litteraria agatur, non adeo accuratè referre queo: ſicuti nec de *Würziana* hereditate te certiorem reddere. De *Würzii* autem bibliotheca, vel rarioribus ab eo relictis rebus, ne tantillum audivi. Reliqua ejuſdem bona adhuc ſub lite verſari aiunt. Quod igitur reſtat, vir nobiliſſime, valeas velim faveaſque tuo, & nominis tui cultori ſtrenuo, H. S. *Dab. Hamburgi d.* 27. *Jul.* 1677.

(4.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius Leibnitio *ſcripta* Jo. Feldeni *omnia recenſet*, *immortalitatis animæ demonſtrationem mittit*, *ethicam Stoicorum ridet*, & Haniſium *aſperum expertus*, *ab eo ſubſidia ad bibliographiam moralem flagitat.*

NUmquam æquè diligentiæ tuæ atque occupationum certa mihi fuit fides, quam dum reſpondere meis diſtuliſti, quibus vel tandem reſponderi pro beneficio eſt. Nam quod apud te loco etiam ſum aliquo; fortunæ potiùs, quàm meritis, adſcribo meis. Tuis autem utique illud imputo, quod conſiliarii munus es adeptus apud ſereniſſ. principem: id quod & tibi, & reipublicæ litterariæ, quæ vereor, ne quid ex hacce practica occupatione in theoreticis detrimenti capiat, quam optimè cedere opto. De *Feldeno*, affine meo, quæ ſcire cupis, ſic habe. Ipſum vendito prædio ſuo egregio, quod uno ab urbe Hallenſi lapide ſitum habebat, in ſalinas Hallenſes argentum collocaſſe, ac Halæ Saxonum agere, atque collegia cupientibus etiamnum ibi aperire. Præter ea, quæ memoras, impreſſa, quod ſciam, hæc ſunt. *Analyſis politicorum Ariſtotelis in* 12. *Francof.* 1654. *de enuntiationibus & ſyllogiſmis*, *maximè modalibus*, *Helmſt.* 12. *Sphæricæ & geometriæ compendia in* 8. *Diſputationes duæ ad Inſtitutiones*, item alia *de cælo*, *de analyſi Euclidea*, *de regimine gentium & civitatum*, *de definitione*, & inauguralis *de juris dictione.* Horum ea, quæ lineis ſubduxi, puto Helmſtadii adhuc haberi poſſe; cetera non ampliùs haberi poſſe, ſcio. Manuſcripta illius habeo bene multa, partim ipſius dono, partim ex ore differentis excerpta, partim tranſmiſſa per ſuos. Eorum nihil eſt, quod non communicaturus ſim, ac lubens. Quod opportunè autem nunc in mentem incidit, aliquis ex ipſius diſcipulis mortuus reliquit manuſcripta ſequentia, penes heredes venalia, 1) *de analyſi Euclidæa* deſcriptam nitidiſſimè diſputationem, cum marginalibus lemmatis accuratis, in impreſſo exemplari non exſtantibus, (4. *Bogen a* 1. *Marck*), 2) *Analyſis Nicomachi-*

Digitized by Google

corum, (præter propter 60. *Bogen*, 5. *R. Thal.* 3) *Analyſis Rhetoricorum Ariſtotelis*, (præter propter 48. *Bogen*, 4. *R. Thal.* 4) *de geometriæ demonſtrationibus*, ubi a puncto ad lineam, inde ad angulos, & hinc ſimpliciſſimas figuras procedendo, ſynthetica methodo ſcientiam geometricam cœpit exponere, (12. *Bogen*, 1. *R. Thal.*) Accedit 5) *de propoſitionibus variis, earumque affectionibus, & locis communibus faciendis ac emendandis*, (præter propter 24. *Bogen*, 2. *R. Thal.* 6) *de dialectica, ejuſque locis, & ſophiſmatis*, (12. *Bogen*, 1. *R. Thal.* 7) *Propoſitiones theoricæ ex Tacito*, ſub certos locos communes ſive titulos redactæ, cum indice titulorum alphabetico, (16. *Bogen*, a. 1. *R. Thal.*) Hoc poſtremum in octavo, reliqua in quarta ſunt forma. Præter hæc adhuc penes me ſunt manuſcripta illius ſequentia, 1) *Excerpta ex theologico ipſius opere mea*, 2) *Prolegomena juris, de libris juris noſtri, ac titulorum connexione*, 3) *Commentarius ad Inſtitutiones* ipſius manu ſcriptus, ac mihi donatus, 4) alius fuſior poſtea dictatus, uterque hinc inde mutilus, 5) *ad Matth. Stephanum & Gillotum de indictione animadverſiones*, 6) *de hiſtoria Romana* quædam, 7) *ad Obſervationes Hahnii in Weſenbecium* imperfecta, 8) *Excerpta ex elementis juris*, aliquando diſſerendo prælectis, 9) Dictata *Elementa juris*, tribus voluminibus in quarto, 10) *Notae in Tacitum*, 11) *de locutione emendata*, 12) *aſtronomica*, 13) *aſtrologica*; *genethliaca*, ubi pro exemplo ſuam dedit geneſin, 14) *de demonſtratione*, 15) *ad Ariſtotelis V. Metaphyſicorum*, 16) *ad Topicorum libros omnes*; ubi exempla pleraque juridica, vel certè ex practica ſunt philoſophia. Num aliud quid habeam, vel editum ſit, nunc non ſuccurrit. *Commentarium in Pandectas* ſcio haberi manuſcriptum, ſed quem ipſe numquam potui conſequi, licèt viderim aliquoties. Nuper adhuc cognato meo dederam id operæ, ut exſcriberet eum, a filio ipſius acceptum; ſed is infelici morte obiit Witebergæ confoſſus, filius infelicis nunc ſyndici *Garmeri* noſtri, avunculi mei. Hujus conſobrini mei librorum ſupellex cùm huc transferretur illud MS. in ea fruſtra quæſivi: quo proinde *Feldeni* filius & ego ſimul carere cogimur. Sine dubio defunctus id deſcribendum alteri dederat inſciis aliis, qui nunc illud premit. Ceteroqui ea, quæ venalia ſunt, deſcripta ſunt vel ipſius auditoris, hominis docti, dum viveret, ac judicioſi manu non obſcura, nec ineleganti; vel ab aliis deſcripta relecta, nec, uti ſolent, quæ ut veneant deſcribuntur, ſpatioſe, ſed aliqua compreſſius etiam, quàm fortè velles, & quibus alii deſcribentes duplum chartæ ſint impenſuri. Vide, an emi eorum aliquid velis, & maturè indica, nam aliqua jam veniere. Nec his emtores deerunt. Si volueris omnia, ſpes eſt, a pretio aliquid detractum iri etiam. *Hueti* opus valde opto prodire. *Edzardiana* tardius eduntur, cùm ob typographorum noſtrorum inertiam, tum ob alias cauſſas. Interim non eſt metus, ne pereant ejus obſervata, quandoquidem habet jam filiorum patriſſantium trigam, gymnaſium noſtrum frequentantem. Illud affectum eſt nunc morte nupera primi profeſſoris *Kirſtenii*, cujus funeri ſcriptum a me decumbente pro-

Digitized by Google

gramma his adjunxi. *Giſebertus* hic ſæpe in curia noſtra comparere ſolet. Credo eum, ſi non ſemper, at maximam partem hic agere. Familiaritatem cum eodem non habeo. Huc adveniens, quod opto, eruditionis veræ amantes invenies pauciſſimos, ex ceteris quæſtuariam rem facientes pleroſque. De meis edendis adhuc, ſi tanti videatur id tibi, ſcribam epiſtolam aliquando peculiarem, unde, quo in ſtatu nunc ſit quælibet pars eorum, & quid de illarum unaquaque ſit exſpectandum, appareat. Nunc videor ſatis te oneraſſe. Spinoſianam ethicam nondum videre contigit. Neque magni quid ab eo mihi homine in hoc genere promitto, quod ad praxin bonæ vitæ poſſit conducere. Subtilia paradoxa fortè dederit. Sed quorſum hæ aranearum telæ, quæ nec firmare voluntatem, nec ligare appetitum, aut affectum aliquem inordinatum valent. Nam quod Stoicorum aliquos ſine præmiis aliis, quàm honeſtæ hujus vitæ, putamus virtutem amaſſe, in eo etiam fortaſſe fallimur. Pleriſque cum *Platone*, *Socrate*, *Epicteto*, futuræ vitæ licet dubiam ſpem in ſinu alentibus; aliquibus etiam fortè neceſſitate quadam profeſſionem vitæ, quam tanta cum arrogantia & jactatione profeſſi erant, vel ſimulando continuare, ne planè viderentur, adſtrictis. Quo enim, quæſo, loco alio, quàm inter fatuos, manſiſſent illi, qui, ἀπάθειαν tam ſeverè profeſſi, vita ſua doctrinam refutaſſent, aut quoſnam auditores retinuiſſent? Itaque nec liberum erat omnibus, ſimulationem virtutis excutere, quæ ipſa tamen non ſivit eos fieri æquè, ac alii erant, malos. *Vagetius* noſter in Jungianis MSS. ordinandis eſt totus. Is ſalute plurima te impertire juſſit, ac indicis accuratioris ſchedarum Jungianarum, ſimul ac is abſolutus erit, exemplar promittit. Quod ſupereſt, an ex veſtra bibliotheca moralium auctorum catalogum deſcriptum conſequi liceat, ſcire vellem. Magis verò etiam, an ex Guelpherbytanæ bibliothecæ catalogo partem illam meo ſumtu mihi deſcribendam curare poſſis. Fuit hic ejus bibliothecarius, *Haniſius*, abhinc biennio ferè, quem cùm viſitarem, atque Langebecianæ, civitati noſtræ donatæ quidem, at fortaſſis inter heredes, niſi aliquis ex machina Deus prohibeat, ſtrangulandæ bibliothecæ catalogum deſiderare cognoſcerem, omne ſtudium impendi, ut eo potirer. Scripſi deinde illi ſub initium anni ſuperioris, poſſe me nunc deſiderio ſuo ſatis facere; petere verò viciſſim, moralium bibliothecæ ipſorum copiam. At reſponſi nihil tuli. Num tu aliquid hac in re conſulere poſſis, vide. Nimirum ad bibliographiam moralem meam uti vellem hac deſignatione, quam mihi promitto pleniorem alia quavis. Nec enim nunc impreſſis fortè libris inſtructior alia bibliotheca exſtat. Vale, favere pergens. *Hamburgi*, *d.* 19. *Mart.* 1678.

De immortalitate animæ adjuncta demonſtratione, quæſo, judicium tuum aperire ne graveris.

(5.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius, *quo pretio Feldeniana MSS. haberi queant*, *nuntiat* Leibnitio.

NE quid procraſtinatio mea tuo voto noceret, feſtinata reſponſione opus judicavi. Non deſunt enim, qui Feldenianorum Mſſ. aliqua pretio deſignato antehac volunt, utpote vix altero tanto alioqui deſcribenda, more illo & ſcribendi genere, quo alias, qui ex conducto id agunt, ſcribere ſolent. Attamen quia nemo adhuc omnibus emendis ſeſe obtulit, impetravi, ut duo imperiales cum una tertia volenti cuncta remitterentur, adeoque duodecim imperialibus omnia venirent. Ego, quia nondum planè tua certus eram, decem imperiales promittendo id obtinui, ut, donec a te reſponſi quid ferrem, ad octiduum omnia mecum haberem; quod octiduum facilè ad aliquot etiam dies prorogabo. Interim tutè, quid tibi putes expedire, conſules, atque ſignificabis. Nimirum id ſpero, non opus fore, ut ſi decem imperialibus fortè venire debeant, ego fidem fallam, atque damni circa alios dati cauſſa ſim. Quamvis, an eo pretio addictum iri ſperandum ſit, necdum auſim definire. Libros ethicos laudatos pleroſque vel habeo, vel certè vidi. Niſi quod *Friccii Modrevii* opera conjunctim edita ignorem. Aliqua ſeorſim ſæculo ſuperiori prodita ſcio, ſed nec in illis moralia. Unde percupiam aliquid ampliùs de iis per te ſcire. Ut & ubi ac quando *Honorati Fabri* liber prodierit, ac an alia, quàm theologica tractet. Idem de Gallico ex portu regio libro peto, contra Calviniſtas ſcripto; nec non de *Pallavicini* opere: quæ duo, cujus ſint formæ ac molis, quæſo, indices. *La Morale dèl Teſauro* itidem me latet: quæ ſi ſit illius *Emanuelis*, a quo *il cannochiale Ariſtotelico* habemus in Rhetoricis, non erit nullius pretii. Ad reliqua, ubi reſponſum hiſce fuerit, quantum potero reponam. Nunc propter Feldeniana naturare hoc, quidquid eſt, volui. Vale. *Hamburgi pridie feſti Paſchatos* 1678.

(6.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius *Fogelianos quoque libros venditum iri*, *nuntiat*; *animæ immortalitatis demonſtrationem ſuam a* Leibnitii *objectionibus vindicat*; *aſtrologiam non ſpernit*, *& Leibnitianorum editorum æque ac edendorum indicem poſtulat.*

FEldenianos libros mſſ. tandem imperialibus illis decem, quamvis ægrè, feci ut impetrares. Itaque cui tradi velis, tantùm indicatu opus eſt. Sylloge *Speidelii* non continetur Langenbecianeo inventario, a me ipſo propterea

pterea perlecto denuo. Jungianorum aliquid imprimetur propediem, & jam cum typographo agitur de conditionibus. Etiam Fogelianæ bibliothecæ auctione publica vendendæ catalogus jam ſub prelo eſt. Sed lenti ſunt noſtri homines, niſi compellantur. Itaque vix antè Pentecoſtes feſtum, credo, ea impreſſio finietur, præter propter duodecim foliis prodituris. Sanè rariſſimorum in ea librorum adeſt copia. Quæ de auctoribus indicas, grata ſunt; ſed de *Modrevio* & *Theſauro* videris oblitus. Nunc ad demonſtrationem noſtram examinatam a te venio: quæ neque mihi adhuc ſatisfacit; quamvis putem, probari poſſe, animam naturaliter, & quatenus ratiocinatur & vult, in bonam immortalitatem ferri, nec niſi æterno ſummo bono poſſe ſatiari, adeoque aut miſeriæ meræ temporali, aut æternitati bonæ naturaliter eſſe deſtinatam. Æquivocationes etiam fateor diſtinguendas fore accuratiùs, & adeo definiendum *τὸ naturale*, *τὸ neceſſario*, *τὸ deſiderium* præcipue. Deſiderium autem non fruſtraneum impleri poſſe debere puto; licèt actu fortè id non fiat, quoniam alias, licèt per accidens aliquem ſortiatur finem, attamen per ſe non fit niſi fruſtraneum futurum, ſcilicet quatenus eſt deſiderium: ſicut calceus, quatenus calceus, eſt fruſtraneus, niſi pedi applicetur; etſi fortè poſſit, quatenus corium, vel aliud quid, aliis uſibus inſervire. Taliter autem illud *fruſtra* eſt accipiendum ex definitione auctoris propoſitione prima: quæ deberet inde porrò demonſtrari, quòd imperfectionis ſit rem creare, quæ non poſſit ad ſuum, quo tendit, finem perduci. Sed quid ſi hoc demonſtretur, aut demonſtrari poſſe concedatur, naturam & providentiam divinam fruſtra eo ſenſu nil facere, adeoque ut bona hypotheſis admittatur, ac voces illæ, fortaſſe difficiliùs externa oratione ſufficienter definiendæ, quàm citra errorem eodem utrimque conceptu interno accipiendæ, congruo ſenſu capiantur: haud tamen inde ſequetur, animam mori non poſſe, vel immortalem eſſe, ſed poſſe non mori, vel non neceſſariò eſſe mortalem. Quod longè minus eſt, quàm neceſſariò eſſe immortalem. Etenim fieri poteſt, ut homo ſua culpa, cùm poſſet non mori, moriatur, qui ſi non poſſet mori, nec ſua culpa moreretur. Verum hæc quidem de hac demonſtratione. Nunc an ullam habeas perfectiorem, ſcire pervelim, vel, ſi ſperes eam dare, de illa ut ſeriò cogites, oro. Vix enim video, quid in rebus humanis meditari dignius queamus.

De ſtatu meorum ineditorum adhuc plenè perſcribere non vacat. Arrhæ interim loco de aſtrologia non contemnenda rationes haſce cape. Quia corpora noſtra mirificè ab aſtris affici planè indubitatum eſt, ac de temperie, morbis, ac ſanitate prædictiones admodum certas dari ſum expertus. Jam naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ. Ac eatenus de illis etiam, quæ ſunt liberi arbitrii, probabiliter prædicetur. Fortuita verò nulla ſunt apud Deum. Aut ergo, quæ talia nobis videntur, intermedias habent ſuas cauſſas, aut immediatè a Deo proficiſcentur. Poſterius qui probaverit, huic largiar, nil poſſe ſuper iis prædici. Ceteroqui cùm tot habeam

Digitized by Google

exempla prædictionum ſuper hiſce, non video, cur nihil horum aſtris debeat tribui. Sanè Feldeniana principia ſequutus, non puto in generalibus de corpore ac fortuna prædicendis umquam planè fuiſſe falſos, ita ut firmam v. gr. valetudinem morboſo, miſeriam fortunato, cet. prædixerint. Quin immo in ipſius, & aliorum ab ipſo vel ipſius ductu eruditis, curioſè elaborata geneſi nulla non admirandas prædictiones ſpecialiſſimas deprehendi, quas hic recenſere nunc non vacat. Quin ipſam epiſtolam non adeo prolixam imperialis dimidii ſumtibus vel forſitan minoris deſcribendam curare poſſem, ſi tanti ea res foret. Sed eſt quod a te quoque viciſſim petam. Nimirum indiculum editorum a te, ac edendorum communicari mecum. Etenim præter anonyma bina, & *Diſſertationem de bibliotheca Norimbergenſi* (*b*), *de combinatione*, ac *præfationem* Nizolii *Antibarbaro* præfixam, nunc non recordor aliquid me vidiſſe. Quæſo itaque, hac in re morem geras tibi ſe ad omnia commodaturo. Vale. *Hamburgi d.* 13. *April.* 1678.

(7.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius, *amorem nimiæ accurationis plura ſcripta utilia nobis eripere contendit, & quædam poſtuma Feldeniana plenius deſcribit*, Feldeni *geneſin mittens.*

FEldeniana dum petentem exſpecto, domoque tantiſper abſum, foliorum Fogelianæ bibliothecæ tranſmiſſionem procraſtinavi. Ea nunc mitto, quouſque ſunt impreſſa. Epiſtolam meam de aſtrologia deſcribendam nunc curo. Feldenianorum præceptorum volumen eſt ſpiſſiùs, & intricatiùs ſcriptum, quàm ut tam citò & a quovis deſcribi queat; ſed hominem mathematicorum ſignorum & numerorum curioſum, cui committatur ea deſcriptio, requirit. Hypotheſis phyſica tua qualis ſit, ac quænam, & ubinam edita, ſcire aveo. Propoſitum de accurato nimis examine imprimendorum, uti approbo, ita ne fraudi ſit publico, curandum puto. Jungianis & Fogelianis, aliorumque aliis operibus quænam impedimenta nimium illud accurationis ſtudium dederit, ſcio. Numquam ita quidquam limatè a nobis edetur, quin poſt aliquot annos relegentibus plura emendanda ſint, vel augenda. Dies diem docet, ac ab eo, in quem deſcenderamus loco ſemper ulterius dabitur aſcendere, quando renovatis quiete aliquot annorum viribus, ubi ſubſtiteramus olim feſſi, nunc vegeti cœperimus

(*b*) Non eſt noſtri; ſed junioris *Leibnitii* Norimbergenſis, *Jo. Jacobi*, iſta *diſſertatio.*

Digitized by Google

perimus nos erigere ad ſublimiora. Numquam eo perveniemus, unde progredi nequeamus ipſi, quamdiu ἐκ μέρους γινώσκομεν, & adhuc nondum τὸ τέλειον ἔλθῃ. Fortaſſis etiam aliquid eſt, concede liberè philoſophanti, ambitionis in hoc, ſi quis, ne aliquando ſe corrigere neceſſe habeat, periculum egregiis aliquibus rem publicam litterariam privandi nimis temere ſubire ſuſtineat, ac meditationes non proletarias diu nimis lucem vitare cogat. Sanè nullum ex meis etiam eſt ſcriptis, in quo non multa ſim emendaturus, ſi recudendum veniat. Interim gratius mihi fieri nihil poteſt, quàm ſi moneat adhuc a quoquam. Immò illud adhuc a te peto beneficium expetoque.

De animæ immortalitate argumentum illud, a juſtitia & bonitate Dei non ferentis tantam bonorum miſeriam & malorum felicitatem, quanta hujus vitæ terminis ſolis incluſa deprehenditur, etiam ſacræ litteræ unicè urgent. Neque, fateor, efficacius ullum huc uſque inveni. Ac noſtrum non poteſt non ad naturæ naturalis, optimè unumquodque ordinantis, providentiam recidere. Cujus vigore non videtur appetitus eſſe datus, ut non expleatur, ſed per accidens inſerviat vitæ tolerandæ tantùm, vel alii, non ſuo uſui. An Digbæanas *de animæ immortalitate* ſic inſcriptas *demonſtrationes*, item *Claubergii de cognitione Dei ac noſtri* huc ex parte pertinentes *meditationes* conſideraveris, & quouſque approbaveris, ſcire cupio. Uterque *Carteſium* amat; neque tamen providentiæ in hoc argumento rationem habet nullam, quin potiùs potiſſimam.

De Feldenianis apud me reſiduis hæc habe. Theologica excerpta eſſe operis magni, a me in meos uſus facta, ſic ut neque legi facilè ab alio, neque connexione ligari, nedum cui ſint uſui excerpta, dijudicari poſſit, ſed mihi ſolum inſervire. Sic & juris naturalis excerpta ex ore diſſerentis notata, quæ tamen ad contractus, quaſi contractus, cet. ſpecialia pleraque procedunt, rationibus merè philoſophicis nixa. Aſtronomiæ compendium eſt breve, nec integrum; Aſtrologia integra: pro exemplo ipſius auctoris Geneſin habeas adjunctam. Prolegomena juris defenſionem librorum juris & connexionem titulorum civilis & pontificii continent. Ad Inſtitutiones commentaria prolixa ſatis, ſed hinc inde titulis ac titulorum partibus, mutila ſunt. Magis etiam de juriſdictione, deque hiſtoria Romana fragmenta, quæ partes bonarum meditationum meræ ſunt. De locutione emendata tractatio philoſophiam circa rhetoricam elocutionem non contemnendam habet, neque prolixa eſt. Sunt & de demonſtratione opuſculum, & ad V. Metaphyſicorum, quæ, ut & Topica ſatis elaborata ſunt. Facilè tamen ſola Topica molem trium reliquorum ſuperant omnium. Inventionem, in fortificatoris libelli concluſione memoratam, aliquando ex ipſo prælegente nobis eum libellum audiviſſe memini. Quantum recordor, in eo poſitum, ut tota civitas ex meris ejus modi munimentis, ad inſtar ſtellaris munimenti (*einer Stern-Schantze*) exſtruatur, cujus externæ partes ſint bene ſolidatæ, internæ nullo modo. Sic ad intimum uſque munimen-

tum,

tum, diruto exteriori, novum anguſtius, adeoque paucioribus copiis defendendum ſupereſſet; neque hoſtis occupato multum frui poſſet, utpote cujus exteriora verſus civitatem numquam roborata fuiſſent. Hæc hactenus. Plura, ubi continuationem catalogi mittam, quod fiet, ni aliter jubes, abhinc octiduo. Vale. *Hamburgi d. 4. Maii 1678.*

Dn. *Siverus* ſalutat officioſiſſimè, ac impreſſione Taſſiariorum, ad quotidianam corrigendi aſſiduitatem obligante, quo minus reſcribat, impediri ſe nuntiat. Vale iterum.

(8.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Idem, miſſo catalogo Fogeliano, Kirſtenianum quoque promittit.

CAtalogum Fogelianum integrum ad te perveniſſe ſatis certò credo, licèt adhuc binis ultimis meis nihil repoſueris. Quod occupationibus adſcribo tuis. Interim Feldeniana manuſcripta, ut & de aſtrologiæ emendatione epiſtola mea decem groſſorum bonorum pretio deſcripta exſpectant, cuinam committi debeant. Equidem heri de pecunia mihi eo nomine ſolvenda mentionem fecit *Weberus*, mercator noſter; at de auferendis coëmtis nullum verbum. Pecuniam autem offerebat monetâ veſtrate, quam *Drittels* vocant, eo quòd apud vos non aliam ſibi exſpectandam aiebat. Interim ego bonum imperialem hic ſolvi, adeoque plus octava parte pretii perditurus eſſem, ſi tali monetâ mihi, quod perſolutum eſt, reſtitueretur. Id quod nolle te ſcio. Novi litterarii nunc abhinc nihil, niſi quod Kirſtenianæ quoque bibliothecæ auctionem exſpectamus, ſi Fogeliana bene ſucceſſerit; de quo neutiquam dubito. An de Conringianis operibus conjunctim editis vel edendis aliquid compertum habeas, ſcire cupio: ut et de *Claſenii*, Profeſſoris Helmſtadienſis, in *Grotium* commentis. Item illa Politica, quam notis illuſtravit, cujuſnam ſit auctoris, ſcire averem. Plura alias. Vale faveque. *Hamburgi d. 29. Maii 1678.*

(9.)

SIVERUS LEIBNITIO.

Henricus Siverus Leibnitio *ad quæſita de Jungianis reſpondet, et varia alia litteraria adjungit.*

FAcilè ſilentii tui ſemeſtris excuſationem admitto, modò in meæ ad quartum menſem dilatæ reſponſionis excuſatione, quam ex primis litteris meis a laborum multitudine peto, admittendâ haud difficilis fueris. Jam

Digitized by Google

Jam verò, ne omnino taceam, paucis ad ea, quæ proponis, reſpondeo, veniam precatus brevitati, cùm prolixo mihi eſſe nondum liceat. Jungianorum ſcriptorum nulla adhuc alia, præter tria iſta enumerata, edita ſunt, quibus tamen *Harmoniam* nuper addidit collega noſter, Dn. *Jo. Vagetius*, *Phytoſcopica* quoque editurus, ſiquidem divina cœptis gratia adſpiraverit. Diſputationes quidem variæ ſub præſidio *Jungii* noſtri quondam habitæ, typiſque deſcriptæ in eruditorum bibliothecis aſſeruantur, ſed nullo pretio venales; ſicuti nec *Logica*, niſi fortè in bibliotheca per auctionem diſtrahenda occurrant. Quod ſi fiat, & ita tibi placuerit, operam adhibebo, ut pro deſiderio tuo una alterave habeatur. *Geometria* verò *empirica* haberi poteſt apud heredes *Zach. Hertelii*, id quod librario indicavi. Spero itaque hanc ex volo tranſmiſſum iri.

De concurſu corporum quæ *Jungii* ſententia ſit, nunc non facilè dixerim, cùm quæ iſtum concurſum concernunt, ad phyſica & motum concretum pertineant, quorum faſciculos, ſi qui fuerint, evolvere, ea quæ jam paro, non permittunt mihi, utpote conceptibus ſtereometricis & chronologicis, quæ ſcientiæ ſub prelo ſunt, propediem abſolvendæ, occupato. Memini quidem, ipſum ſæpius queſtum eſſe, quòd nullis experimentis, quotquot etiam inſtituerat, ullum deprehenderit adminiculum, quo *Carteſio*, quem alias magni faciebat, quod ad theſin quadrageſimam nonam in *parte ſecunda Principiorum philoſophicorum* de lege motus occurrentium corporum quarta adſtipulari poſſit; quænam verò illa experimenta fuerint, & an litteris conſignata ſint, de quo quidem nullus dubito, haud memini. Eſt tamen, quod, quam primum otium detur, inveſtigare libet.

Diſcrimen inter motum compoſitum ſtrictè dictum & mixtum tale eſt. *Motus compoſitus ſtrictè dictus* eſt, qui ex duobus pluribuſve motibus inter ſe diverſis conſtat, quorum & tempora, & viæ, vel etiam tendentiæ communi termino cohærent, ut motus apicis cujuſvis polygoni, quod per planum volutatur. Item, motus ſerræ, vel hominis, oſcillo jactati. *Mixtus* verò eſt, qui oritur ex duobus motibus ſecundùm viam diverſis, idem punctum continuè eodem tempore afficientibus; ut rectæ, terminis ſuis per rectas normaliter ſeſe decuſſantes latæ, ſingula puncta reliqua motu coordinatim mixto moventur, deſcribuntque ellipſes, præter punctum medium, quod peripheriam delineat. Item muſca per orbem circumvolutum repens motu ſubordinatim mixto progreditur, & lapis projectus, dum impetu facto ad metam pergens ſenſim cauſſa interna naturali deorſum vergit, motum immediatè mixtum exhibet. Motus per interceptionem mixtus eſt ſpecies motùs coordinatim mixti, cujus exemplum ſupra dedi: & ſpecies ejuſdem alia eſt motus per vergentiam mixtus, qui obſervatur in ſingulis punctis rectæ uno termino per lineam quamcumque ita motæ, ut altero termino certum extra lineam iſtam punctum reſpiciat.

Fogelianæ bibliothecæ, indice catalogo typis jam deſcripto, conſtituta eſt auctio in proximum autumnum. Manuſcripta verò ejus data occaſione

Digitized by Google

illa, quam catalogi appendix proponit, quotquot perfici poterunt, publico uſui ſervient.

Experimenta *Jungii* circa inſecta, ut & cetera ejus manuſcripta omnia, una cum ejuſdem bibliotheca philoſophica peculiariter in loco bibliothecæ noſtræ publicæ pro communi in poſterum uſu aſſervantur. Fuiſſe hunc virum libri iſtius ſub Roſæ-cruciorum nomine editi auctorem, nemini noſtrum liquet. Sunt, qui negant.

Mercurius mihi quoque viſus eſt ſub Sole 28. Octobr. Jul. hoc eſt, ſeptimo Novembris Gregor. primum ſemiſſe horæ ante meridiem, medio verò loco inter Solis marginem & centrum in ecliptica: deinde hora ſecunda pomeridiana media duos circiter digitos ſupra centrum Solis eminens, & in ipſa cum Sole conjunctione, quantum colligebatur, conſtitutus.

Gratulor *Hugenio*, ſi duplicis iſtius refractionis in cryſtallo Islandica rationes, quas quidem & *Eraſmum Bartholinum* in Opuſculo ſuo *de cryſtallo Islandica diſdiaclaſtica* reddere conatum eſſe nuper comperi, deprehenderit. Utraſque conferre operæ pretium erit, ideoque Hugenianarum publicationem exſpectans Bartholinianas quàm primùm mihi comparabo.

Mathematicis & phyſicis ſtudiis præſtantes adeo rari hîc ſunt, ut eximium notitiæ tuæ ſiſtere illorum nullum, horum vix unum alterumve queam. Chymici tamen plures commendantur, principiis phyſicis inter ſe variantes.

De clariſſimi *Vagetii* noſtri amicitia non eſt, quod dubites. *Harmonica*, quam a ſe editam tranſmittet, initium ejus dabit.

Oldenburgii mors nuper mihi ex litteris *Nehemiæ Grævii*, in locum ipſius ſuffecti, ad me datis, innotuit non ſine dolore. Deus reſarciat damnum.

Quod ad experimenta magnetica Pariſienſis cujuſdam, illud de facultate magnetis aucta per ferrum ſuperius applicatum ſibi videtur conſtare; quod verò de ferro a lima recenti aſſertur, vacillare; niſi fortè ferrum intelligatur a lima propter attritionem vehementiorem & continuam calidum. Calorem enim intenſiorem vires magneticas quodam modo debilitare: ignem omnino abolere obſervavi. Chalyboclifin nuper noſtro loco convenientem experturus, duabus diverſis aciculis magneticis, deprehendi unius declinationem 12. graduum, & alterius 8. graduum. Diverſitatis ratio forſan a diverſo affrictionis puncto deduci poterit. Sed amplius hæc meditanda ſunt, otio conceſſo. Vale, faveque. *Hamburgi d. 6. Junii* 1678.

Digitized by Google

(10.)

IDEM EIDEM.

Idem Siverus *numiſma quoddam Ducis* Auguſti *emblematicum, explicat prorſus præter rhombum.*

EMblema illud imperialis miſſi haud facilè quis explicaverit, niſi cui tempus, quo moneta illa ſignata eſt; temporiſque ejus accidentia nota fuerint. Semper enim illuſtriſſimus ille dux ſingulare quid, rationem ſtatus, ut aiunt, concernens, iſtiuſmodi ſignatura exprimere ſolitus eſt. Generaliter tamen quædam conjicere licet, quæ paucis tradam. Navim turre ſeu templo in prora comparente ſtatum eccleſiæ: puppi verò adverſa ſeu clavo ſtatum imperii exhibere puto, utrumque conquaſſatum indicatura ſunt vela conturbata & lacerata. Homulus in medio navis conſpicuus opem petere videtur, & advocare virum iſtum, qui habitu militari ſtrenui hominis ſpeciem præ ſe fert. Hic verò conſtitutus inter publica, navim ſcilicet eccleſiæ & imperii mole onuſtam, & privata, quæ ſoculo a tergo poſito innuuntur, dubius uno pede in privato ſolo, altero in publico hærens, omnia præmeditatur ex monito illo: *alles mit Bedacht*, ne quid præceps agat: tandemque animo reputans publica potiùs tutanda eſſe, quàm privata, cùm ſine ſalute publica rei privatæ uſus ſalvus eſſe nequeat; opem laturus accedit, & periculum facturus, *jacta*, inquit, *eſt alea*: ſuſpicio provinciam oblatam, quidquid etiam turbo & cælum nubilum minitentur. Superior igitur navis reſtauratam, & conſiliis probè actam, ideoque intrepidè ſpretis tempeſtatibus, meantem indicat. Hæc eſt ſententia illa emblematis, quam per conjecturam habeo, & feliciori judicio ſubmitto.

Poteſt fortè & ita explicari emblema, ut ſcilicet vir ille ſcipione inſignis alterum illum in navi his quaſi dictis alloquatur: tu inter ardua conſtitutus, ſi cepiſſes *alles mit Bedacht*, turbine & tempeſtatibus illæſus evaſiſſes, uti vides navem ſuperiorem, quæ conſilio regitur, in commoda ſua tranſire. Verùm cùm inconſulto egeris, mirum non eſt, quod velis turbatis & laceris nunc hæreas. Sed tibi jacta eſt alea. Tu videris, quomodo evadas; ego me iſtis rebus non immiſceo, ſed ſoculo meo contentus, nec altiora petens, ſpectatorem potius me ſiſtam, quis futurus ſit fabulæ exitus, quam ut ipſemet, certè haud ſine damno, una agam.

Epicriſis manus ignotæ.

Neutra conjectura rem tetigit. Dux *Auguſtus* deliberavit ſecum, an feudi accipiendi cauſſa imperatorem adire debuerit, cùm jam alter princeps idem petere decreviſſet. Sed navem conſcendit, & ſecundo tandem Danubio Viennam venit prior altero Zellenſi duce, feudumque accipit.

Digitized by Google

(11.)

JO. VAGETIUS LEIBNITIO.

Joannes Vagetius *conciliandæ ſibi amicitiæ* Leibnitio *quædam Jungiana mittit.*

HOnorificentiorem vidi, quàm mereor, binis litteris factam abs te mei mentionem, cum ſignificatione ſanè mihi gratiſſima propenſi in me animi; ſimul ea perſpexi ſingularis eruditionis & ſubtiliſſimi ingenii indicia, ut tam animi tui hæ dotes expetendam faciant tui notitiam, quàm ampliſſima, qua merito tuo fulges, dignitas. Quare pro magno theſauro amplector oblatum ampliſſimæ tuæ dignitatis favorem, & cultorem tanti nominis, quacumque potero, probare me connitar ſtrenuum, enixè facturus omnia, quibus conſervari benevolentia tam optabilis poſſit. Atque Jungianis de ſcriptis cognoſcere cùm deſideres, inprimis ejus de vermium hiſtoria, inquiſivi eam, & ſparſam per ſchedas reperi, concinnavi tamen ab *Fogelio* jam cœptas. Doxoſcopias itaque phyſicas majores cùm perluſtravero, recenſendæ illi & concinnandæ, deſcribendæque juvante Deo, admovebuntur manus. Hæc & horum ſimilia opera majora dum vel colliguntur, vel, editionis qui ferre ſumtus velint, inveniunt, dum item totius ſchedarum maſſæ conficitur catalogus, & numerantur folia, viſum eſt, luci paullatim dare opuſcula quædam, qualia diſcipulis ab ipſo auctore fuerunt tradita. Id genus meditationum Jungianarum primitias, *Harmonicam*, nunc mitto; exemplaria ſi fortè pro amicis deſideras, lubens, quot poſtulaveris, miſſurus. Vale, Vir ampliſſime & favere perge. *Hamburgi d. 6. Junii* 1678.

(12.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius Feldeni *Commentarium in Inſtitutiones mſſ. a* Leibnitio *repetit, cui eum commodaverat, cùm emendæ bibliothecæ Fogelianæ cauſſa Hamburgi eſſet.*

INopinatum mihi accidit, quod colloquio tuo ſuaviſſimo doctiſſimoque, minimum ſemel adhuc, frui ante diſceſſum tuum haud licuit. Solemus enim aliqua in congreſſum ultimum differre, quæ cumprimis hærere volumus animis abeuntium. Nec omnia litteris committere licet, quæ linguæ. Illud verò etiam inopinatius mihi fuit, quod manuſcripto volumine Fel-

Feldeniano, quo non ſatis commodè huc uſque carui, quid fiat, neſcio. Quare cùm ad uſus meos maximè collegium Inſtitutionum privatum aperturus eo planè non poſſim ſine gravi carere incommodo; quæſo, ut quantocyus remittere illud feſtines, ni fortè hoc reliquiſti, atque incuria eorum, quibus hoc mandatum eſt, redditio differtur. Quidquid ſit, omnino, ut reſtitutio maturetur, ceu ſcripto promiſeras, peto, ſperoque. Ita vale habiturus in poſterum tibi ad omnia obſequentiſſimum cet. *Hamburgi pridie Cal. Septembr.* 1678.

(13.)

IDEM EIDEM.

Idem ad emendum libros Fogelianos, qui Hanoveræ jam haberentur, ſe offert, & libellum ſuum mittit.

Rediit ad me manuſcriptus meus codex ſumtu quidem decem aſſium noſtratium, admodum tamen opportunè, collegio videlicet, ad quod ipſo uſurus eram, necdum inchoato: cui nunc etiam infirmitas corporis moram facit, quæ ipſa ſcribere volentem arcet. Nunc mitto tantùm exemplar mei libelli promiſſi, in quo ſi quid emendandum invenis, id monendo me obligabis quàm maximè. Unum hoc addo, ut, ſi ulla ratione potes, efficias, ut duplicati Fogelianæ veſtræque bibliothecæ libri apud nos auctione vendantur, vel, ſi hoc nolitis, mihi conjunctim. Fortaſſis inde, quod reſtat ſolvendum heredibus *Fogelii*, vel certè pars ejus confici magna poſſet. Ego tantùm aliquibus paucis, maximè ad hiſtoriam litterariam pertinentibus inhio. Vale. *Hamburgi d.* 26. *Octobris* 1678.

(14.)

LEIBNITIUS PLACCIO.

De ſuis occupationibus.

Non dubito, quin miratus ſis, quid mihi in mentem venerit, ut hominem pecuniolæ cujuſdam accipiendæ cauſſa ad te ablegarim; ſed hoc ita accidit. Feſtinabat is, cùm a me diſcederet, nec ſtatim alius Hamburgi mihi ſuccurrebat. Ego verò interea illic me futurum ſciebam, credebamque, aut eodem venturum illum me adhuc præſente, aut, ſi ſerius accederet, poſſe me pecuniam illam tibi relinquere, vel eam conſtituere, ut homo veniens ablegaretur ad alium, qui meo nomine ſummam daret.

Digitized by Google

Sed neſcio, quo caſu negotii planè oblitus ſum. Pro certo enim habueram, me adhuc præſentem futurum. Rogo igitur, ut hanc libertatem in optimam partem accipias. Ego verò rex eo tempore juſſi, ut per alium, *Lazarum Daniel*, Judæum, *beym Altonaër Thor*, ei pecunia ſolvatur; ſpero tamen nondum a te accepiſſe. Atque ideo ſcribi curavi, ut ne ei detur quidquam, niſi oſtenſa & tradita a me ſcheda, quæ ad te deſtinabatur, ne ſcilicet fortè bis capiat. Valetudinem tuam puto meliore loco fore poſt aërem mutatum; ſed quia mali fomes non niſi lentis remediis & vivendi genere expugnari poteſt, noſſe velim, an vel *Theophilum* bibaculum, vel Hydrochalybopotam agere conſtitueris. Quidquid elegeris, tuta enim optimè judicabis, id fauſtum ac felix precor, ut laudabiliſſimas meditationes proſequi poſſis animo libero, nec corporeis malis interpellato. Ego nunc quibuſdam juris publici et hiſtoriarum noſtrarum meditationibus, ex mandato partim, occupor, eamque in rem archiva ſubinde inſpicio. Incidi nuper in auream bullam, omnium, quas vidi, antiquiſſimam, Imperatoris *Henrici IV.* Quod ſupereſt temporis, analyſi perficiendæ impendo, cujus apud me faſtigium eſt, efficere, ut omnia characteribus & calculo confici poſſint in omni genere controverſiarum, quemadmodum in algebra & numeris: ſaltem ex certis quibuſdam poſitis, ſive ab experientia, ſive ab auctoritate, vel undecumque; idque puto eſſe in noſtra poteſtate, ita ut diſputantes finire poſſint controverſiam, ſi tantum ad calculum ſedere velint. Sed opus eſt præparationibus quibuſdam ad rem tantam: quibus nondum abſolutis, nolim promiſcua apud quoſvis mentione cogitata ignaris ridenda proſtituere.

(15.)

IDEM EIDEM.

Leibnitii *annotationes ad* Placcii *libellum de actionibus.*

PRimum, quod ubique læſiones dividis in non injuſtas, & injuſtas, valde quidem laudo; opus tamen arbitror eſſe ſubdiſtinctione. Poſſunt enim læſiones fieri caſu, aut culpa, aut dolo. Quæ caſu fiunt, obligant ſolummodo ad reſtituendum id, quo lædens factus eſt locupletior. Quodſi ergo ſub nomine injuſtarum comprehendis, ut ſuſpicor, tam eas, quæ fiunt culpa, quàm quæ dolo; diſtinguendum erat circa id, quod petitur: magis enim obligari videtur, qui in dolo eſt. Nec abhorrere a ratione naturali arbitror ſententiam JCtorum Romanorum, qui eum, qui in culpa eſt, ferè tantùm ad reſtituendam rei æſtimationem condemnant, quanti ſcilicet vendi poteſt. At contra eum, qui in dolo eſt, rationem habent ejus omnis, quod actoris intereſt; etiamſi res tanti vendi non poſſit. Nam

Digitized by Google

Nam ſæpe & pretium affectionis, & privatæ quædam commoditates noſtræ faciunt, ut res nobis pluris ſit, quàm cuivis e populo futura eſſet.

Alterum, quod annoto, eſt, non me intelligere liquido, quid ſibi velit apud te facultas generalis & ſpecialis. Generalis apud te exempla ſunt, dominium, poſſeſſio, actio ſpecialis, hereditas, ſervitus, dos, pignus. Niſi hoc fortaſſe tibi vis: generales applicari poſſe ad quaſvis ſpeciales, & dominium, verbi gratia, aut poſſeſſionem, aut actionem dare hereditatis, ſervitutis, dotis, pignoris, aut alterius juris nomine.

Tertiò tuam ipſe diviſionem alicubi evertere videris, cùm læſionem ais eſſe vel facultatis, ſeu agendi poteſtatis, vel libertatis, ſeu poteſtatis omittendi. Læſionem autem libertatis, ſeu poteſtatis omittendi mox ita ſubdividis, ut eum lædat, qui dandi, faciendi, omittendi neceſſitatem imponit. Cùm tamen, qui omittendi neceſſitatem imponit, non impediat poteſtatem omittendi, ſed poteſtatem faciendi.

Quartò, diviſiones nonnullæ videntur ſuperfluæ, v. gr. qui obligationem alienam erga me, vel meam erga alios impedit, is etiam impedit ſuam erga me obligationem, nempe meam aut facultatem, aut libertatem non lædendi. Poterant ergo duæ illæ noviſſimæ in tabula juris naturalis omitti, præſertim cùm nihil in illis annotandum occurrat, quod non ex prioribus pateat. Dices, ſuperflua non nocere, & minutias eſſe, quæ hic animadverto. Idem tecum ſentio, & hæc annoto, magis obſequendi cauſſa, & ut intelligeres, me tua diligenter legere, quàm ut magni hæc momenti putarem. Primæ tamen animadverſionis aliquam rationem habendam puto.

Vellem exceptiones ſimili a te ſtudio digeri, & mox ordinem judiciorum ſubjici ſecundùm jus naturæ civili collatum. Denique quia magni ad rem publicam momenti ſunt ordinationes politicæ, quas vocant, has quoque ex regulis juris naturalis, legibuſque optimæ rei publicæ & recta ratione conſtitui optarem. Quæ omnia a te cum publico fructu præſtari poſſe certus ſum. *Hanoveræ d.* 12. *Nov.* 1678.

(16.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Reſpondet Placcius *ad iſtas annotationes.*

NUperrimis tuis ſine die ac conſule tardiùs reſpondeo, quoniam ad deſertas actionum contemplationes me revocarunt, quibus vacare huc uſque impediebar. Nunc ordine reſpondebo. Ac primo quidem de quinque bonorum groſſorum ſumtu res non eſt tanti. *Weberus* eos, librum mittens, exegit. De actionum diviſionibus quæ mones, impenſe me delecta-

lectavere, jamque videor mihi amicum, qualem diu optavi, eſſe nactus, qui mea ſeriò examinare dignetur, neque ſuam ſententiam celet, aut emendationes invideat. Amabo, perge mihi continuare hunc favorem: nihil gratius potes; nulla re magis ad omne officiorum genus tibi me obſtringes; immo & publicam rem litterariam. Nec ego me profeciſſe per te olim publicare occaſione prima data detrectabo. Nunc ad rem.

De ſubdiviſione itaque primò injuſtæ læſionis ratione doli atque culpæ, ac inde formandæ duplicis petitionis, rectè mones. Oblitus enim ſum ad §. 10. ubi de duplici intereſſe actum, id monere, quod commune intereſſe ex culpa fere, proprium ex dolo ſit petendum, idque per omnes ex injuſto profluentes petitiones obſervandum, ne toties una ſubdiviſio repetita nauſeam lectori moveat nimium. Secundum rectè divinaſti. Nam definitiones ipſas, ex ſyſtemate meo juris naturalis, ſicut omnium aliarum technicarum vocum huc uſurpatarum bene multarum, ita & harum ego præſupponere neceſſe habui, ne compendium juris naturalis uni ſoli ejus materiæ capitique infererem. Tertium bellè mones, & illud omittendum *pag.* 25. cum tabula delendum eſſe tecum judico, ac per negligentiam irrepſiſſe. Sed duo illi ordines poſteriores, uti quartò mones, omnino expungendi non videntur. Qua de re mecum, quæſo, denuo cogitare ne pigeat. Nec enim plus meo ingenio hic fido, quàm tuo, modo pari cura velis mecum illud intendere meo labori. Adeoque quamdiu te conſentientem haud habuero, vereor, ne in dubio ſim hæſurus. Ratio verò non rejiciendi hæc eſt, quòd oriente per lædentes obligationem violatam violatione obligationis meæ, vel tertii, modi corrigendi oriuntur ab illis læſionibus in ſola lædentis obligatione ſe terminantibus oppidò diverſi, nec ad priorum capita revocabiles. Exempli gratiâ ex ordine tertio. Impediviſti alterum in ſolutione mihi facienda, cùm paratus ad eam eſſet. Ille poſtea pauperior factus obiit. Quorſum ad priorem ordinem hic caſus referetur? Item ex ordine quarto. Adegiſti me fraudulenter, ut cum *Titio* bona fide agente contraherem contractum mihi damnoſum, nec adimplerem? Ab illo adimpletio rectè petitur. At te quanam ordinis tertii actione pulſabo? Vel impediviſti me, ne ſolverem, paratus ad hoc. Inde creditor rectè petit uſuras, ac damna, maximè ſi ponas promiſſa quovis eventu, idque jurato, cet. Quæ verò hic actio primi ordinis erga te, maximè omiſſionis neceſſitate impedita, juxta monitum tuum ad ſuperiora membra revocata? Fateor, me nondum ex morbo ita reconvaluiſſe, ut ſatis intente cogitare iſta poſſim. Fortaſſis ordo tertius & quartus coincidunt quadantenus. Uterque num tolli poſſit, ut ſuperfluus, adhuc ambigo. Ceteroqui ſuperflua utique hic nocerent ordini philoſophico & accurationi ſcientificæ. Itaque, ſodes, hæc ampliùs cogita, & perſcribe. Exceptionum & ordinis judiciarii fundamenta naturalia utique partem juris naturalis mihi facient, cujus typum nunc meditor. Bibliographia juridica nimis in vaſtam molem excretura, meque diſtractura in laborem non tanti ingenii,

Digitized by Google

ingenii, quàm faſtidii, videtur. Comparatio juris naturalis cum ordinationibus antè fieri non poterit, quàm jus naturæ ſit expeditum, & ſingulæ majeſtatis ac imperii politici partes ad optimam rem publicam ordinatæ. Ei abſolvendo penſo vereor, ut ætas mea, ut vires ſufficiant, ſaltim aliqua notabili ex parte. Tamen impendam, quamdiu Deus voluerit, & quali quali ſucceſſu. Num aliquod gloſſarium noveris, unde Germanicæ voces antiquæ ac deſitæ, inprimis Saxoniæ inferioris dialectum habentes, explicari queant, ſcire cupio. Adhiberem illud Hamburgenſibus ſtatutis noſtris interpretandis, ubi multa occurrunt obſcura, v. gr. *bederre Mannen* ut ſint, requiſitum eſt ſenatoris eligendi. At quale? Nova litteraria nunc nulla occurrunt, & jam epiſtolæ modum fermè excedo. Vale itaque, ac reſpondere ne gravere, ubi meditatus hæc fueris, ac fave. *Hamburgi. d.* 7. *Decembr.* 1678.

Complicanti medium incidit contrahendi poſteriores duos ordines claſſis ultimæ in priora: quod crudè nimis cogitatum adhuc perſcribere differo, gaviſurus, ſi interim facta meditatione ſolidiore tuis deſuper communicandis deprehendatur.

(17.)

IDEM EIDEM.

Placcius, *declarando ſua, plures annotationes &* Leibnitii *judicium de aſtrologia petit.*

RESponſum ad tuas, decimo ſeptimo Septembris datas, jure mihi differre poſſe videbar, quamdiu a Dn. *Edzardo* nihil reſponſi tuis adjunctis ad ipſum, pro quibus curandis unicè tunc ad me ſcripſeras, impetraviſſem. Et verò huc uſque virum urgere non deſtiti, occupatum, ut ſemper, ita nunc etiam arthriticis doloribus aliquamdiu jam malè vexatum. Interim tamen adjunctas, quas vides, tandem ab ipſo impetravi. Dn. *Vagetius* reſponſorias ante octiduum jam conceptas habebat, adeoque ſine dubio jam dimiſit. *Siverum* hiſce diebus non habui compellandi occaſionem. Meas quod actionum diviſiones una denuo meditari nolueris, in damnis reputo litterariis. Nam uti prioribus tuis monitionibus, ita ſanè ſecundis etiam ad cogitanda hactenus incogitata me ſine dubio excitaviſſes. Ego interim aliquoties, ubi per otii atque virium penuriam licuit, aliquantiſper ad eas meditationes reverſus, obſervavi equidem, fieri poſſe, ut reducantur tandem poſteriores binæ claſſes ad priorum capita, idque ita, ut præmoneatur in generalibus, 1) damna illa quemque per ſe, vel per alium dare poſſe; 2) per nos ipſos alii, ac inde damnum iterum nobis ex promanante hinc obligatione; 3) hæc imputari debere ſuo principio,

Digitized by Google

ſicut actiones morales omnes, adeoque inde correctionis quoque petendum principium; 4) novam hiſce caſibus intervenire corrigendi rationem, in ceteris immediatis læſionibus non æquè occurrentem: repræſentationem videlicet, ſive receptionem aut ſuſceptionem perſonæ alienæ, ſive lædentis propter ipſius culpam, aut dolum, ſive meæ hinc obligatæ, v. gr. meas actiones paſſivè recipiendo, aut obligationes cet. vel alterius mihi perſonam repræſentando, a quo propter ipſum non poterit mihi ſatisfieri. Hiſce ita præmonitis, deinde aut lectori foret hoc relinquendum ad ſingulas enumeratarum actionum ſubintelligere, aut ſingulæ actiones forent iterum ſubdividendæ, quatenus læſio illa per alium mihi facta fuiſſet, aut per me actui data me rurſus obligaſſet: in primis quoties modo hinc corrigendi variandum foret. Unde aut longè major multiplicatio diviſionum, aut imperfecta doctrina reſultaret, ac, ob illas lectori faciendas ubique, prout oportebat, ſubdiviſiones obſcura & intricata. Quam ob rem omnino tandem concludo, ſatius eſſe, ut hæ paucæ diviſiones quarti atque quinti ordinis univerſales retineantur, quas deinde facilè ad ſingulas ſpecies læſionum in prioribus trinis ordinibus recenſitarum paritè quilibet applicando, uniuſcujuſque facti correctionem citra hæſitationis aut erroris motum queat conſtituere, atque combinando, quoties exemplum exigit, determinare. Hoc etiam ea occaſione venit in mentem, an non, omnis omnino tollendæ obſcuritatis ergo, expediat ſingulis actionibus exemplum addere: immò generales haſce actiones per ſpecies ſingulas exemplis deinde a prima uſque ad ultimam illuſtrare. Ita vel minùs attento aut magis etiam hebeti lectori pateret horum univerſalium uſus, ad quæ mentem alioqui abſtrahere paucis lubet, aut licet. Quin adeo non inconſultum fore crediderim, etiam pluſculas actiones compoſitas in caſibus datis exhibere, & hac ratione combinationis, & ejus iterum faciendæ analyſeos modum oſtendere. Sanè huc ſpectat illud exercitium, quod ſub finem operis lectori commendavimus, ut nempe videat, quomodo actiones juris civilis contineantur naturalibus. Quamvis hoc etiam magis adhuc compoſitum eſt, adeoque magis etiam intricatum illo, quod in naturalibus actionibus ſubſiſtens poſitiva jura nondum intermiſcet, proinde, ut purius, & merè ſcientificum, ita longè quoque facilioris eſt applicationis. Quæſo de hiſce tuam mihi ſententiam nunc expone, ac amicitiam illam philoſophicam, *Ariſtoteli lib. I. Nicom. cap.* 12. laudatam, ἐν τῷ συμφιλοσοφεῖν poſitam, ſtrenuè continuare perge. De lexicis Germanicis etiam, quæſo, reſpondere ne graveris. Eſt etiam inter libros Fogelianos phyſicos in quarto num. 500. tractatus *Franc. Verde de fœtus animationis & nativitatis tempore*, *Lugdun.* 1664. Eum, quæſo, deſcribere mihi velis, qualis ſit mole, tractandi ratione, ac methodo? in primis an juridica contineat, & qualia præter propter? an Lugduni Galliæ, vel Batavorum impreſſus? De *Huetii* opere libens audio; ſed magis illud videre geſtio. Quamvis non videatur ad illud argumentum, in quo ego laboravi, nempe de ſuſcipienda ex naturalibus notitiis philoſophicis

Digitized by Google

ſophicis revelationis neceſſitate atque conſtitutione, multum poſſe contribuere. Sed fortaſſis inſpectio ipſa penitius aperiet plura. Ea facta, renuntiare quid ſentias, ne gravere. Ego, quibus potero, viciſſim me tibi commodabo modis. Vale. *Hamburgi d. 5. Martii* 1679.

De mea circa judiciariam aſtrologiam epiſtola judicium tuum adhuc deſidero; quod quæſo prima occaſione impertias. Vale iterum.

(18.)

LEIBNITIUS PLACCIO.

Leibnitius *rogatus obſervationum ſuarum telam ab ovo repetit.*

QUoniam ad reſumendas de actionum diviſione cogitationes me invitas; dicam, quid ſubinde de illo argumento cogitaverim; ſed ita dicam, ut, quidquid hoc eſt, tuo judicio ſubmiſſum ſcias. Itaque cùm actio omnis in duobus conſiſtat, petitione & petendi ratione; crediderim, duo quoque fundamenta eſſe dividendarum actionum. Aliæ enim varietates ab eo, quod petitur; aliæ ab eo, quod petendi jus facit, naſcuntur. Sunt aliæ quoque varietates, ſed has velut potiſſimas nunc perſequi ſatis erit. Præterea conſiderandum eſt, eaſdem ſpecies infimas ab uno eodemque genere ſummo diverſis modis poſſe derivari, prout per alia atque alia genera ſubalterna ire conſtituimus. Et hinc potiſſimum oritur tanta varietas in auctoribus idem argumentum methodicè tractare profeſſis; quemadmodum illorum exemplo patet, qui virtutum aut affectuum ſpecies continuatis ſubdiviſionibus inveſtigare voluere. Unde illud ſequitur, ſi quis inter dividendum non tantùm omnes ſpecies intermedias attingere velit, eum non debere una diviſione eſſe contentum; ſed diverſas methodos inter ſe conjungere oportere. Quæ ratio eſt, cur ego methodum diæreticam utilem quidem putem, ſed non perfectam. Huic autem combinatoriam præfero, qua ſola omnes ſpecies ſubalternæ a genere ſummo uſque ad ſpecies infimas ordine enumerari poſſunt; quemadmodum numeri in abaco, & cognationum genera in arbore conſanguinitatis. Eſt tamen diæretica methodus præludium combinatoriæ, &, ſi plures & diverſas diverſorum tabulas diviſorias inter ſe conjungas, fieri poteſt, ut inde perfectam omnium ſpecierum ſubalternarum enumerationem eruas. Sed hoc quidem omiſſo ad diviſiones noſtras redeamus.

Aio igitur, cùm in omni libello ſit narratio & concluſio; nam libellus pro enthymemate haberi poteſt, actionum, quæ libellorum materiam faciunt, diviſionem vel ex narratione præteriti ſumi, vel ex petitione futuri, ſeu concluſione. Narratio autem facti eſt. Facti ſunt multæ varietates. Poteſt enim fieri aliquid caſu, culpa, dolo: unde actiones in factum, id

 eſt,

Digitized by Google

eſt, quæ neque ex delicto, neque ex contractu, & omnino non ex actione voluntaria, ſed ex ipſa re; item actiones ex delicto vel quaſi delicto. Poteſt & factum aliquod eſſe legis inſtar, quod diſpoſitionem generali nomine vocare ſoleo, quale factum eſt contractus, & ultima voluntas, & lex publica; cùm contrà delicta vel quaſi delicta, & quæ caſu fiunt, ſint facta, quæ in nudis facti finibus conſiſtunt, neque ipſa forma, ſed effectu tantùm jus conſtituunt. Itaque ſi quis juriſprudentiam factorum ordine perſequi velit, is primùm de actionibus aget, quæ ex re potiùs, ſive caſu, quàm perſonæ voluntate naſcuntur; inde ad delicta perget; denique leges, nempe contractus & ultimas voluntates tractabit, & quæ ex unoquoque facto naſcuntur, actiones enumerabit. Sed alia planè ratione rem inſtituet, qui jus, quod ex facto naſcitur, & concluſiones ex narratione libelli deductas primò ſpectabit. Itaque primum conſiderabit, an id, quod petitur, in præciſa quadam ſpecie conſiſtat; an in genere quodam, æſtimationem recipiente. Nam interdum in rei arbitrio eſt, rem, an æſtimationem ſolvere velit; interdum res ipſa præciſè minis, vi, vinculis, ſi opus, ei extorquenda eſt. Quod in præciſa quadam ſpecie conſiſtit, vel in actione paſſioneve perſonæ, vel in rei cujuſdam traditione verſatur. Quæ ad præciſam actionem paſſionemque perſonæ referuntur, a me vocari ſolent uno nomine perſonaliſſima: qualia ſunt pœnæ corporales; reverentia obedientiaque, quam ſubditi ſuperioribus debent; ſervitia militaria, quæ nunc milites ſacramento adacti debent; olim etiam vaſſalli ligii ita debebant, ut invito domino per ſubſtitutum præſtari non poſſent. Huc pertinet matrimonii vinculum, ſervorum nexus, & omnino quidquid perſonam ita afficit, ut æſtimationem invito actore non recipiat. Si de præciſa rei cujuſdam traditione agatur, locum habet rei vindicatio, aliæque in rem actiones. Poſſum enim per judicem rem, de qua agitur, obtinere, te invito, & fruſtra æſtimationem offerente. Sequuntur ea quæ ab hominibus non ita ſtrictè exiguntur, ſed æſtimationem recipiunt, qualia ſunt damnorum datorum repenſationes, promiſſorum præſtationes, cautiones quædam in futurum, aliaque id genus multa. Vides, quàm longè alia facies oriatur methodicæ juriſprudentiæ, ſi poſteriorem viam ſequaris. Quodſi hæc diverſa dividendi fundamenta inter ſe miſceas, ut ferè fieri ſolet, aliaque adhuc plura diviſionum capita conjungas; manifeſtum eſt, quanta oritura ſit varietas. Quæres, quid mea ſententia eligi præſtet. Ego verò ſcopum ejus, qui juriſprudentiam tractat, inſpiciendum cenſeo. Itaque ſi quis artem legiſlatoriam tradere velit, & elementa juriſprudentiæ ex civili doctrina repetere; ordinem factorum ſequetur. Nam politici eſt, oſtendere, quo quodque loco in re publica ſit reponendum, ne quid ſit vacuum, malè collocatum, otioſum, vanum, noxium. At qui leges jam inventas ac conceptas tradere velit populo; illi poſterior enumerandi actiones ratio potior eſſe debet. Neque enim origines legum ac cauſſas tradere neceſſe eſt; ſed pauciſſimis & latiſſimè patentibus formulis omnia definire; quod nulla ratione

Digitized by Google

tione compendioſius & generalius fieri poteſt, quam ſi admoneantur homines, quid in poſterum petere aut præſtare poſſint debeantve. Idem diſcrimen obſervandum eſt inter judicem & advocatum. Nam judicis non eſt invenire ex facti narratione, quænam petitio debuerit inſtitui; ſed potius judicare, an concluſio ex narratis ſequatur, & an narrata ſint probata. Contra advocati aut privati eſt, domi ſuæ ratiocinari, quaſnam actiones vel petitiones inſtituere debeat: quo pertinet ſcientia cautelarum, quæ pars quædam œconomicæ artis videri poteſt. Nam prudentis patrisfamilias eſt, has artes intelligere. Itaque concludo, inveniendæ legis actioniſque gratia, quod politici aut œconomi eſt, enumeranda eſſe facta, quæ jus pariunt; ſed aut publicentur inventæ leges populo, & ut actiones jam inſtitutæ dijudicantur pro tribunali ab eo, quod petitur, incipiendam eſſe conſiderationem. Sed hæc, ut vides, feſtinata judicio tuo ſubacto planè ſubmitto. A *Vagetio* nihil dudum vidi. Cel. *Edzarto* gratias agam quàm primùm. Vale faveque. *Hanoveræ d.* 21. *Martii* 1679.

(19.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius *a* Leibnitio *ſua in Angliam miſſum iri gaudet*, &, *quo loco ſit Anonymorum theatrum*, *narrat.*

Putavi, nuperas meas intercidiſſe. Nam Hanoveram eas direxeram, cùm poſtremæ tuæ Guelpherbyti eſſent datæ. Certè reſponſi nil accepi, niſi quod nunc de remiſſa tibi ſcheda, neſcio qua, ſignificas. Itaque illas adhuc exſpecto, expetoque. De Carniolana antiqua lingua juxta cum ignariſſimis hic quiſquam novit eorum, quos ego novi. Quod ad *Bentleium* & *Lockium* mittere mea non detrectas, oppido gratiſſimus accepto. Sed cùm ſuſpicer, omnino Hamburgo Londinum te tua mittere; cui tradenda ſint tuo nomine, & commendanda, ſcire pervelim, ac ante ſcire, an uterque Londini vel alio in loco agat? an ſe invicem norint? aut de me meiſque *Acceſſionibus* quidquam? Nuper accepi Helmſtadio litteras, nuntiantes, medicum inde reducem, meas *Acceſſiones* aliquo in pretio haberi, divulgare. Nec tamen ullum eo hactenus exemplar miſi. Nam *Caveo* deſtinatum per hic viventem adfinem, *Pullein*, non puto redditum eſſe. Ipſo enim paullo poſt defuncto, quidni perierit, aut malè curatum ſit, cujus antecedens proximè nec mihi redditum eſt exemplar Caveanum, neque aliud, *Menckenio* quod debebatur. Id ſanè huic duplici exemplari, quorum utrumque nitidè tomis tribus ligatum adſervo, fieri nolim. Quæſo itaque diſertè, quid fieri velis, expedi, & an ſpes ulla ſit impetrandi

Digitized by Google

eorum virorum monita de addendis, ordinandis, emendandis aliquibus. Aliter ac a te, a quo maximè mihi pollicebar, & ſperare aliqua debueram, ſed nil accepi. Nam in univerſa Germania quem habemus, a quo in eo genere ſtudiorum ad meum genium quid liceat præſtolari? Batavis verò etiam hæc ſunt ridicula adeo, ut in *Rabo* vidiſti. Oportet illis meas nugas congeſtas de anonymis & pſeudonymis propinare. In illas involabunt. Sanè per Dei gratiam, pertinaci aſſiduitate adjutoris mei illis incumbentis per horas octo quotidie mecum & cum tribus amanuenſibus, in mundum ſunt redacti, & evaſere ultra 7000. veteres & novi omnium ætatum, artium, & linguarum libri, duos in folio tomos daturi. Modò liceat editorum nanciſci obſtetricantem correctione exacta plus quàm viginti manuum characteribus, nitidè aliis, aliis etiam aliquibus ſatis negligenter, & liris pene deliris in ludum & ægrè aſſequendis exaratis. Si quid ad hoc opis aut conſilii ſuppeditare noſti, facies mihi rem gratiſſimam, in officio tibi futuro, quando juſſeris, viciſſim. Vale. *Hamburgi d.* 27. *Novembr.* 1679.

(20.)

IDEM EIDEM.

Placcius *intermiſſum aliquamdiu ſcribendi officium, miſſis duobus ſcriptis, renovat.*

INtermiſſum aliquot jam annis officium litterarium nulli alii cauſſæ, quam valetudini meæ imputabis, quæ ſegneſcere me ad omnia facit. Ne tamen eo minus tui meminerim, eruditionis atque virtutis tuæ monumenta, penes me relicta, et quotidie in actis litterariis nova prodeuntia, facilè impediunt. Itaque in edito nuperrimè libello adjuncto mentionem tui facere aliquam debui ſub finem excerpti primi, quam boni conſules. Addo diſputationem habitam hic nuper, ex qua nominatæ brevitatis ergo tantummodo in *Ethica* mea *Germanici* virtutes, qua methodo elaborari velim, patere queat. Si quid pro ſingulari tua eruditione atque prudentia circa hæc monere velis, ſcito me, ut ad diſcendum magis, quàm docendum eſſe paratum; ita neminem habere, a quo docere malim. Vale. *Hamburgi d.* 5. *Octobr.* 1686. Scribebam in lecto, ex arthritide recidiva reconvaleſcens.

(21.)

Digitized by Google

(21.)

IDEM EIDEM.

Placcius *mittit* Leibnitio *litteraria quædam.*

MIſi nuper ad Dn. Conſiliarium Cellenſem, *Schraderum*, exemplar *Acceſſionum rhetoricarum* in excerptis dati publici ſpeciminis, ut & diſputationis me præſide habitæ. Spero utraque curata tibi, cui deſtinabantur. Nunc foliolum exhibeo, ad epiſtolam curioſam, de qua in ultimis tuis abhinc ferè triennio aliqua perſcribebas, pertinens, non quod eo non ſis rectè cariturus, ſed ut videas me tui memorem. Si quid habes novi ex rebus litterariis, quæſo, id perſcribe, & vale favens ampliſſ. tui nominis cult. obſervantiſſ. *Hamburgi d.* 30. *Octobr.* 1686.

(22.)

LEIBNITIUS PLACCIO.

Leibnitius *in* Jungii *inventa logica inquirit*, *&* *de* Chriſtfrido Waechtlero *judicat.*

UTraſque tuas rectè accepi cum additis muneribus, quæ fuere gratiſſima, ſed magis adhuc, quod te valere, & mei meminiſſe intellexi. *Synopſin inventionis oratoriæ* perutilem cenſeo, eoque magis, quod video te non, ut vulgo ſolent, ex *Ariſtotele* tantùm, aliiſque paſſim Proteſtantibus ſcriptoribus praecepta collegiſſe; ſed conſuluiſſe illos quoque, qui in alia omnia abeunt, ut Lulliſtas et recentiores potiores pleroſque omnes. Ut proinde Synopſi tuæ eo tutiùs fidi poſſit, ſciamuſque, ubi ea uſi ſimus, nihil facile nobis elapſurum. *Herbertus* in libro *de veritate* etiam quæſtionum combinationes inſtituit, v. g. ſimplices ſint: quantum, cur, ubi. Ex his compoſita erit v. gr. cur, hic, tantùm. Vidi olim, cùm meum libellum de combinationibus ſcriberem, *Jo. Hoſpiniani* cujuſdam libellum *de numero modorum ſyllogiſmi*, ubi auctor alio in opere promittebat numerum definire maximarum topicarum; ſed nihil tale ad me pervenit; etſi & libellum *Erotematum* ejus *logicorum* viderim. Ceterum, ut obiter dicam, erraveram ipſe in libello *Artis combinatoriæ*, cùm numerum modorum utilium inirem. Modi enim quartæ eſſe debent AEE, AAI, EAO,

EAO, EIO, AEO. Porrò cum tota hæc res plurimum pendeat a notionum analyſi; ideo pervelim noſſe, an nihil ex Jungianis ſchedis (*Jungius* enim multum in notionum varietatibus rimandis fuerat occupatus) ad uſum hunc haberi a te potuerit aut etiamnum poſſit. Et num viri doctiſſimi, *Siverus* & *Vagetius*, qui ſubinde in illis digerendis enucleandiſque verſantur, multum ſint progreſſi. Egregia enim plurima ibi latere, tum ex ſummo viri ingenio facilè præjudices; cum ex ſchedis ipſis vel obiter inſpectis, quod mihi aliquando contigit, agnoſcas. Certè cùm a *Logica* ejus edita deſideretur *Heuretica*, multaque alia ſupplementa, quæ in ſchedis exſtare aiunt; produci ea aliquando ſanè reipublicæ litterariæ intereſſet. Ex brevi diſſertatiuncula *Vogelii de vita & ſcriptis Jungii* video, inter alia logica *Jungium* indagaſſe ex *Ariſtotele* veram notionem *μεταβάσεως εἰς ἄλλο γένος*. Ego fateor, me hujus Ariſtotelicæ cautionis nullum adhuc uſum perſpexiſſe, nam modò argumenti materia formaque ſibi conſtent, non video, quid interſit, unde petatur. Etſi fateor, remotiora & longè petita plerumque inania eſſe ſolere. Sed non dubito, quin *Jungius* hic aliquid utile notaverit. Idem, teſte illa Vogeliana diſſertatione, conſequentiam a rectis ad obliqua Euclidea certitudine demonſtravit. Quamquam enim mihi non alia ibi videatur opus eſſe demonſtratione, quàm quæ pendet ex mutua æquipollentium ſubſtitutione; non dubito tamen, *Jungium* hic aliquid peculiariter elegans obſervaſſe. Neque enim ſolet de minutis gloriari. Et peculiare genus notavit homonymiæ, quod *adſignificationem* vocat, atque inter inventa ſua logica celebrabat notionem contrariarum differentiarum inveſtigatam, & promtam differentias ſpecificas indagandi methodum: quæ, cùm ad inventionem logicam, eique ſubordinatam oratoriam uſum magnum habere poſſint, ſcire pervelim, an noris, aut diſcere poſſis, in quibus conſiſtant: eaque ſi compereris, libenter a te viciſſim diſcam. Sin ii, qui iſta norunt, difficiliores ſe tibi præbeant, non ideo res noſtræ deteriore loco erunt.

Ad ſchediaſma venio, quo *Waechtlero* reſpondes, cujus libellum non ita pridem memini me quoque obiter inſpicere, & quædam occurrere, unde non indoctum auctorem judicavi, ſed artis analyticæ, veræque methodi, ac ſcientiæ juris naturalis guſtum illi aliquem magnopere fuiſſe, non ſatis animadverto. Multi viri docti ſcientias etiam, quæ manifeſtiſſimis demonſtrationibus nituntur, memoriter potiùs, quàm per rationes diſcunt. Notabam, multa ibi contineri cogitata perpulchra, quæ uſui eſſe poſſent in abſolvenda juris ſcientia. Non rarò tamen obſervabam, in rationibus legum Romanarum reddendis ſibi, vel potiùs legibus, indulgere, ſic ut, niſi hanc legem ſcriptam eſſe prænoviſſet, fortaſſe ex ſolidis principiis alia omnia fuiſſet dicturus. Ego valde gaudeo, te in juris ſcientia ornanda, ut vel ex hoc ipſo ſchediaſmate apparet, ſtrenuè progredi, tibique, quantum ad tot præclara cœpta pertexenda opus eſt, virium atque temporis ex animo precor. Vale & fave. *Hanovera*, *d.* 16. *Nov.* 1686.

(23.)

Digitized by Google

(23.)

JO. VAGETIUS LEIBNITIO.

Vagetius *mittit* Leibnitio *Jungiana quædam*, *& de reliquis edendis ſententiam ejus expiſcatur.*

AD deſiderata abs te conſignata, quæ temporis ratio tulit, Dn. licentiato *Placcio* miſi. Is ultima ſchedæ meæ verba cùm legiſſet, monuit me ferri tibi ſine impenſis, quæ velis. Quare mitto, quæ vides. Nam *Harmonicam* & *Iſagogen phytoſcopicam* credo tuis in manibus jam pridem eſſe. D. *Capelli* amicitiæ datum eſt eorum, quæ mitto, alterum. Rariora ejuſdem Becceleriana edita, eodem volente, a me ſunt. Si non habes, dabo operam, ut exemplar mittendum a poſſeſſoribus nanciſcar. Vendere volunt, & 5000. imperialibus æſtimare comperi. Si quis emtorem conciliet, credo, honorarium illi non deſore. Jungianum hoc ita crudum ideo edidi, ut pateſceret deſiderantibus ſcriptorum ejus copiam, non eſſe illa opera, ſed variorum operum materiam valde partialem, ſed meo judicio, in minimis maximis, utilem alicubi. Mineralia enim, quæ ſub prælo jam pridem ſunt, neſcio quibus modis ita impediuntur, ut per triennium jam ſingulis annis non niſi ſinguli quaterniones potuerint a typotheta obtineri; licèt perſoluto ante operas pretio. Dupla miſi, ut aliis oſtendi poſſent, &, ſi cui placent, illi alterum exemplar cedere, ſignificato tantùm ejus mihi nomine, ne fortè ei mittam, quod jam habet. Explebo ſtatim locum, &, ſi expedire judicas, plus quàm ſimplo. Si erunt, quibus, ut jacent, placere poſſunt; ego quidem optimè ſic primam editionem curari magis indies magiſque perſuadeor, quantum per typos hic loci fieri poterit, continuata opera lucem ſpectabit. Deus te ſervet, & omnibus hic & æternùm profuturis quàm prolixiſſimè beet. Ego, cùm occaſio feret, faciam, ut facto ipſo deprehendar tui cupientiſſimus cultor. *Hamburgi d. 27. Nov. 1686.*

Quæ adjunxi, ea rogo, ut Dn. licentiato *von Sode* tradantur, gratificaturus viciſſim, qua re potero.

(24.)

LEIBNITIUS VAGETIO.

Leibnitius *Jungiana omnia*, *prout jacent*, *edenda eſſe cenſet*, *exemplo Cogitationum* Paſcalii.

COnſilium edendi Jungiana omnia, uti jacent, non improbandum cenſeo: nec hoc ſine exemplo eſt. Ita memini ex *Blaſii Paſcalis* ſchedis poſtumis concinnatum fuiſſe a defuncti amicis libellum, qui, licèt

Digitized by Google

nexu ſyſtematico careret, mirè tamen placuit titulo: *Penſées de M. Paſcal.* Utinam hoc fieret ſæpius! non ita frequenter perirent egregiorum virorum labores, eo prætextu, quòd imperfecti ſint. Cùm Pariſiis eſſem, vidi integra volumina ſcripta manu *Renati Carteſii*, hortatuſque ſum poſſeſſorem, ut omnia ſine diſcrimine curaret edi. Cui rei neſcio quid hactenus obſtiterit. Heredes quoque *Blaſii Paſcalis* olim ſchedas quaſdam geometricas, ad conicorum doctrinam illuſtrandam ſpectantes, fidei meæ crediderant, rogantes, ut ordinarem, quemadmodum e re videretur: quod etiam præſtiti, probavique, etſi integrum aliquid, quale a ſuperſtite potuiſſet dari, inde exſculpi non poſſet; multas tamen præclaras propoſitiones interſpergi, additis demonſtrationibus, quæ ſanè merebantur non perire. Reddens ergo ſchedas, ſententiam meam de editione & connexione ſcripto reliqui; ſed ab eo tempore nihil de editione intellexi, vereorque, ne culpa tot jacturarum in bibliopolas & typographos conferenda, qui ſæpe vel non intelligunt, quid publicari mereatur, vel non curant, dum lucroſas nugas orbi obtrudere ipſis liceat. *Hamburgi d. 27. Novembr. 1686.*

(25.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius *tecte conſilium* Vagetii *improbat.*

SEriùs reſpondeo acceptiſſimis tuis, ut eo cumulatius reſpondeam, ad quod ipſum adjuncta ſcheda Vagetiana primum exſpectanda diutius mihi fuit. In ejus fine cùm legerem deſtinari tibi aliqua Jungiana, renuntiavi, te immunem eſſe a portorio, modò ne faſciculus eſſet nimis magnus, qualis haud ita dudum ad Dn. Conſiliarium Cellenſem, *Schraderum*, qui de immunitate tua etiam me fecerat certiorem, mihi mittendus a præfecto litterarum remittebatur. Nihilominus miſit mihi Dn. *Vagetius* faſces duos, quorum ſinguli videbantur mihi grandiores, quàm ut æquo animo eos ſuſcepturus eſſet poſtarum præfectus. Itaque, uti permiſſum a Dn. *Vagetio* erat, ſeparaturus faſciſculos, rupi ligamentum etiam alterius, quod erat tuum, & vidi, contineri exemplaria bina duorum librorum, Jungiani alterius atque *Capelli*, quos an magni facturus ſis, vehementer dubito. Itaque ſingulos miſi, tuæ diſpoſitioni reliquos aſſervans: ut & alterum faſciculum, in quo eadem credo contineri, Dn. licentiato juris *von Sode* deſtinata, qui adhuc ſigillatus apud me quieſcit uſque ad mandatum tuum. Addo litteras Vagetianas, quibus ubi reſpondebis, de Sodiano faſciculo, quid volueris me narrabis. De ceteris, ni aliqua ratio alia te contra facere jubet, quod ſingula pro binis exemplaria acceperis, premi malim, varias ob cauſſas, quarum unam vel inde divinabis, quod Capelliana, i. e. Byzan-

Digitized by Google

Byzantina, necdum ab illo mihi ſint donata, cui ego mea tam liberaliter etiam duplicata quandoque obtuli. Ne itaque loco proxenetici habeam ſuſpicionem ſiniſtram cautio eſt.

Puto me noematicas diſputationes Jungianas olim deſcribi tibi curaviſſe, cùm alia etiam Feldeniana, & neſcio quæ præterea mſſ. tibi compararem. Hæc meo judicio impreſſionem longè magis merebantur, ut & alia logica & mathematica elaborata, judicium & ingenium tanti viri commendatura; cujus vereor ne nomen hæ ſchedulæ, certè non ut imprimerentur, ab ipſo congeſtæ, deterant nimis.

De *μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος*, memini diſputationem editam non indoctam Lipſiæ, præſide *M. Valent. Friderici* ann. 1661. quam credo tibi viſam. *Feldeni ad Pandectas* vidi, neque tantùm ibi, ſed in *Elementis* ſuis, & ad *Grotium* nimis ipſe Juſtinianizei. Unde potiùs elementa juris Romani, quàm univerſi, aliquando nobis dat. Maximè in contractuum materia, ubi proinde in diverſa ſæpius diſcedere, immo in oppoſita, cogor. Utinam verò liceret hac in parte affecta perficere vel lineis ſummis ita ductis, ut ex bonis definitionibus & elementis liceret deinde modicè laborioſis verum de qualibet quæſtione decidere, modò attentionem & meditationem, comparando invicem dicta præſtarent! Sed hoc quidem θεῶ ἐπὶ γούνασι κεῖται, cui te commendans & me meaque omnia, ibo, qua potero. Vale. *Hamburgi d.* 27. *Novembr.* 1686.

Si ex loco, quem *Vagetius* citat, *Logices* Jungianæ *lib. III. cap.* 33. §. 1. *&* 7. demonſtrationem potes elicere conſequentiæ a rectis ad obliqua, eam, quæſo, imperti mihi, minerval tibi debituro. Vale iterum.

(26.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius *argutatur in logicis conſequentiis.*

Reciprocato priùs ex animo anni novi voto, mitto Jungiana nuper a me per *παρόραμα* retenta, dum tabellionum præfectus remittit faſciculum, & de craſſitie illius & hic conqueritur. Unde, ſicuti juſſiſti, hæc in majoris epiſtolæ formam complicavi. Accedit Vagetiana deductio deſiderata. Ego compoſitam illam diariorum facilè crediderim ab ignaris hujus conſequentiæ, per æquipollentiam redigi poſſe ad ſimplicem, v. gr. quiddam, quo veſcitur ſimia, eſt nux. Ergo quiddam, quo veſcitur ſimia, eſt pomum. Similiter conſequentiam a rectis ad obliqua ſeorſim poſitam omnino per æquipollentias ad aliquam aliam ſimplicem conſequentiam reduci poſſe, plus una ratione puto. Neque id negaſſe credam *Vagetium*; ſed non intellexiſſe potius mentem tuam, ac fortè putaſſe,

 hanc

Digitized by Google

hanc conſequentiam illi, quæ ab æquipollentiis ducitur, tibi dici æqualem: id quod acceſſio novorum terminorum haud permitteret. Ubi reſponderes illi, quæſo id facias, ſi lubet ſub ſigillo, uti vocant, volante, ut & ipſe hæc ad litteras pertinentia ſine duplicato tuo labore cognoſcam. Vale. *Hamburgi d.* 4. *Jan.* 1687.

An reductio, a me in exemplo Jungiano facta, ſit in omnibus proceſſura, multum dubito, quia non eſt mutua hæc conſequentia, quod alioqui videretur ex tali deductione fore præſumendum, ſi perpetuò liceat ita ſupplere. V. gr. ego ſuſcipio Chriſti apoſtolum vel infantem in ejus nomine. Ergo ego ſuſcipio Chriſtum ipſum. Non ſuccedet: quoddam a me ſuſceptum eſt apoſtolus vel infans in ejus nomine. Ergo *Caius* a me ſuſceptus eſt Chriſtus ipſe. Unde *major* fieret: apoſtolus vel infans in nomine Chriſti ſuſceptus eſt Chriſtus ipſe.

(27.)

LEIBNITIUS PLACCIO.

Logicæ ſuæ probabilium fundamentum aperit.

PErplacent, quæ logicam & analyticam artem non tantùm in ſe reductam, ſed & uſibus publicis adhibitam tractant, quod re vera faciunt JCti, cùm de probationibus, præſumtionibus, interpretationibus, indiciis, medicique, cùm de ſignis indicantibus & contra indicantibus agunt. Habebam olim in animo componere aliquod de gradibus probabilitatis æſtimandis, quam logicæ partem maximè practicam & in uſu verſantem mirabar negligi. Omnes in ore habent, argumenta non numero, ſed pondere eſſe æſtimanda; ſed quis ſtateram dedit, qua argumenta atque judicia inter ſe mutuo pugnantia ponderentur, ut eligamus, quod ex datis maximè probabile eſt. Conſidero autem mathematicorum imitatione certitudinem ſeu veritatem, ut totum; & probabilitates, ut partes, ita, ut ſeſe habeant probabilitates ad veritatem, quemadmodum anguli acuti ad rectum. Sint duo A. & B. ſitque B. duplo probabilius, quàm A. Ponamus jam, alterum eorum eſſe verum. Hoc poſito, dico, probabilitatem ipſius A. eſſe conſiderandam ut tertiam partem veritatis; probabilitatem verò ipſius B. ut veritatis duas tertias. Ambæ autem ſimul alternativè componunt totam veritatem. Hoc autem intelligendum eſt quoad effectum; non quaſi veritas ipſa in ſe partes habeat falſitatis. Exempli cauſſa, ſi homines L. & M. ad ſummam 30. ex eodem capite jus ſibi tribuant, neuterque præ altero ſit in poſſeſſione, aut ex alio capite præferendus, & duplo probabilius ſit, ipſum L. quàm M. reverâ hoc jure frui; æquitatis naturalis foret, diviſionem in ea, quam dixi, pro-

por-

Digitized by Google

portione fieri. Ubi tamen præſumtiones a probabilitatibus cautè ſunt diſtinguendæ. Sed licèt judicibus talis diviſio rerum incertarum non ſit in uſu, idque meritò, attamen hæc conſideratio ſaltem prodeſſe poteſt ad æſtimanda judicia & probabilitatum gradus, ut ſciamus, quorſum potius ſit inclinandum.

Marquardum Gudium ſaluto, & dico, miſſurum me illi quaſdam inſcriptiones ab abbate quodam Italo. *Hanoveræ.*

P. S. Hamburgi, urbe populoſiſſima, quam ſereniſſimus *Rudolphus Auguſtus* Lutetiam noſtram appellat, multi haud dubiè agunt omnis generis eruditi, curioſi, artifices, in variis excellentes. Horum quaſi catalogum aliquem per otium fieri perutile, nec opinor injucundum foret.

Indicem faſciculorum Jungianorum a *Vagetio* deſideravi.

(28.)

LEIBNITIUS VAGETIO.

Leibnitius *reſpondet* Jo. Vagetio, *miſſo ſchediaſmate.*

DE Jungianis Capellianiſque miſſis multas ago gratias, ac tuam in exſtinctos pietatem laudo. *Du Cangius*, auctor magni Gloſſarii, de rebus Byzantinis volumen ſpiſſum, maxima eruditione refertum, ut ejus viri omnia, aut mox edet Pariſiis, aut jam edidit. Multæ in eo delineationes æri inciſæ, quæ nondum proſtabant.

In Jungianis omnibus, maximis minimis, inveniuntur aliqua exquiſita & utilia, ut rectè ſcribis; itaque optandum erat, in urbe veſtra ſubſidia editionibus ſuperiori auctoritate parari, quod etiam ad laudem veſtram pertineret. Nobiliſſimum *Weſtermannum* a me ſalutari rogo.

Reductionem conſequentiæ a rectis ad obliqua factam ad hoc, quod vos aptè vocatis relationis *inverſionem*, probo: ut Jungiana pleraque. Semper enim danda opera eſt, ut compoſita reducamus ad ſimpliciora. Quamdiu autem rem nondum reduximus ad omnium ſimpliciſſima, ſaltem in certo genere, certè fit, ut variæ ejuſdem rei fieri poſſint analyſes. Itaque ego aliam reſolutionem inſtitui, nimirum obliquam ſpecialem reduco ad obliquam generalem cum recto a ſpeciali: quod etiam ad demonſtrandum ſufficit. Poſſumus etiam omnes prædicationes reducere ad æquipollentias, ſupplendo aliquid ad complendam reciprocationem; unde rurſus apparet propoſitum. Si fortè proxima æſtate Hamburgum Deo volente excurrere vacabit, potero veſtra venia, ut fieri poſſe innuis, apographa quædam Jungiana inſpicere. Cl. *Siverus*, quem etiam a me ſalutari peto, ni fallor, aliquando & *Textoriam* Jungianam pertexendi ſpem fecerat: quod perutile foret, præſertim ſi vacaret illi theoriam cum praxi conferre;

Digitized by Google

ferre: cujus rei multiplex Hamburgi materia eſt. Ea occaſione poſſet adjici accurata deſcriptio inſtrumenti, aliquot abhinc annis in Scotia inventi, quo tibialia fiunt. Interea *Phoronomiam* Jungianam tandem edi, è publica re erit; ſed addi deſiderarem non tantùm figuras, ut *Siverum* facturum ſcribis; ſed & demonſtrationes, quæ magis adhuc placent intelligentibus.

Fateor, me nondum capere potuiſſe, cur *Jungius Heureticam* excluſerit Logicâ, niſi fortè maluit eam conſiderare ut partem Logicæ ſecretiorem, promiſcuè non vulgandam. Nondum etiam ſatis intelligo, quo ſenſu Metaphyſicam non admiſerit inter ſcientias. Utrum in Heureticis & Zetaſi præcepta aliqua conſcripſerit, beneficio tuo diſcere deſiderarem: ſed &, ùtrum inter tot præclara cogitata non etiam in rebus medicis aliquid tentaverit, ipſemet doctor medicinæ, & aliquando practicus. Saltem in ritè conſtituendis definitionibus morborum nominalibus per ſymptomata ſeu ſigna in ſenſus incurrentia potuiſſet operæ pretium facere. Tales enim certè haberi poſſunt, debentque, licèt cauſſæ ignorentur; & hæ ipſæ tamen utiles ſunt ex cauſſis aliquando inveſtigandis. Denique indicem faſciculorum Jungianorum videre geſtio. *Hanoveræ d.* 10. *Jan.* 1687.

(29.)

IDEM EIDEM.

Specimen demonſtratæ conſequentiæ a rectis ad obliqua, a Leibnitio Jo. Vagetio *miſſum.*

Suppoſitio prima, ſumta ex parte Logica de conſequentia a rectis ad recta.

Eſſe prædicatum in propoſitione univerſali adfirmativa, idem eſt, ac ſalva veritate loco ſubjecti ſubſtitui poſſe in omni alia propoſitione adfirmativa, ubi ſubjectum illud prædicati vice fungitur; & proinde ex prædicatione ſequitur ſubſtitutio dicta, & contra ex ſubſtitutione prædicatio. Exempli cauſſa: (*pars prior*) quia *graphice* eſt *ars*, ſi habeamus *rem, quæ eſt graphice*, ſubſtituere poterimus *rem quæ eſt ars*. Et contra: (*pars poſterior*) ſi oſtenſum ſit, pro eo, *qui diſcit graphicen*, ſemper ſalva veritate ſubſtitui dicto modo poſſe, *qui diſcit artem*; vera erit propoſitio: *qui diſcit graphicen, diſcit artem*.

Suppoſitio ſecunda ex grammatica caſuum ſignificatione.

Obliquo ſpeciali æquipollet obliquus generalis cum ſpeciali recto, & ideo ſibi mutuo ſubſtitui poſſunt. Verbi gratia, (*pars prior*) pro termino *qui diſcit graphicen*, ſubſtitui poteſt, *qui diſcit rem, quæ eſt graphice*. Et contra, (*pars poſterior*) pro termino, *qui diſcit rem, quæ eſt ars*, ſubſtitui poteſt, *qui diſcit artem*.

Sup-

Digitized by Google

Suppoſitio tertia. Si ipſi A. ſubſtitui poteſt B. & ipſi B. C. & ipſi C. D. etiam ipſi A. ſubſtitui poteſt D.

Theorema.

A rectis ad obliqua valet conſequentia.

Artic. 1. Eſto in recto: *graphice eſt ars; artic.* 2. aio, hinc ſequi in obliquo: *qui diſcit graphicen, diſcit artem.*

Demonſtratio.

Artic. 3. Eſto terminus: *qui diſcit graphicen, artic.* 4. pro eo ſubſtitui ſemper poteſt: *qui diſcit rem, quæ eſt graphice,* (per partem priorem ſuppoſitionis ſecundæ); *artic.* 5. pro quo rurſus ſubſtitui ſemper ſupra dicto modo poteſt: *qui diſcit rem, quæ eſt ars,* (per partem priorem ſuppoſitionis primæ). Graphice enim (*art.* 1.) eſt ars. *Art.* 6. At pro hoc iterum ſubſtitui ſemper poteſt, *qui diſcit artem,* (per partem poſteriorem ſuppoſitionis 2.) *Art.* 7. Ergo per ſuppoſitionem tertiam, a primis ad ultima argumentando, (nempe ab artic. 3. per 4. & 5. ad 6.) pro termino *qui diſcit graphicen,* ſemper ſubſtitui ſupra dicto modo poteſt, *qui diſcit artem. Artic.* 8. Unde denique (per partem poſteriorem ſuppoſitionis 1.) colligitur: *qui diſcit graphicen, diſcit artem.* Q. E. D. ut proponebatur *artic.* 2.

Scholium.

Sciendum eſt, ab obliquis ad recta viciſſim, non valere conſequentiam. Neque enim ſequitur; qui cædit os, cædit hominem: ergo os eſt homo.

Brevius:

Supponuntur I. Conſequentia a rectis ad recta. v. gr. Eſt *graphice*: ergo *eſt ars,* quia *graphice eſt ars.*

II. Æquipollentia obliqui ſpecialis cum obliquo generali & recto ſpeciali ſimul ſumtis, v. gr. inter graphicen & rem, quæ eſt graphice.

III. Sorites.

Demonſtratio.

Propoſitio: Graphice eſt ars: qui diſcit graphicen, diſcit artem.

Demonſtratio.

1. Nam qui diſcit graphicen, diſcit rem, quæ eſt graphice, (per ſuppoſit. 2.)
2. Graphice autem eſt ars.
3. Ergo qui diſcit rem, quæ eſt graphice, diſcit rem, quæ eſt ars, (per artic. 2. juncto ſuppoſit. 1.)
4. Porro: Qui diſcit rem, quæ eſt ars, diſcit artem, (per ſuppoſit. 2.)
5. Ergo, qui diſcit graphicen, diſcit artem, (per art. 1. 2. 3. juncta ſuppoſitione 1.)

(30.)

Digitized by Google

(30.)

VAGETIUS LEIBNITIO.

Jo. Vagetius, *quid in Jungianis poſtumis eruderandis egerit, & porrò acturus ſit*, Leibnitio *exponit, & demonſtrationis miſſæ priorem partem a vitio petitionis principii laborare credit.*

PErgratæ mihi fuerunt omni ex parte litteræ tuæ, & ſatis facere omni deſiderio tuo, ſi poſſem, haud quaquam intermitterem. Cùm omni non poſſim, cui poſſum, id ut pro virili expleam.

1. *Iſagoges phoranomicæ* textum excuſum jam eſſe nuntio; addendæ reſtant ſolæ figurarum delineationes.

2. Schedas nondum omnes vidi. Quæ penes Dn. *Siverum* ſunt, eas perluſtrandas nunc demum accepi; neque credo de contentis ſchedarum tantùm poſſe cognoſci ex inſcriptionibus, quantum *Fogelius* in vita *Jungii* aperuit; nedum ampliùs quidquam. Quare trecentorum faſciculorum, & quod excurrit, catalogum manuſcribere, nullo ſperato fructu, ſæpius vereor umquam ut poſſim.

3. *Heureticam Jungius* peculiarem numerat ſcientiam; ſed in quantitatibus occupatam. Heureticam, quæ Logicæ pars poſſit cenſeri, credo ipſe aptis locis per logicæ corpus fuerit diſtributurus, artis ſcilicet inveniendi & dijudicandi veritatem, nec objectum agnoſcentis aliud, quàm tres mentis operationes, quarum ſingulis ſinguli libri ſunt attributi generatim dirigendis; ſpeciatim autem pro materiæ diverſitate ſinguli univerſis, ut alii præter has partes parti non videatur poſſe eſſe locus.

4. *Texturæ* ſchedas aliquot, inquit, Dn. *Siverus*, a ſe Dn. *Fogelio* eſſe datas. Quæ verò *Fogelii* in manibus fuerant Jungiana, Dn. *Kirſtenius* ad ſe recepta, tandem bibliothecæ publicæ tradidit. Requirenda ergo hæc iſtis in ſchedarum manibus erunt folia.

5. Becceleriana petivi, obtinui, & Dn. licentiato *Placcio* miſi, per occaſionem tranſmittenda. Venibunt 5000. imperialibus, & qui emtorem ſuppeditarit, ei honorarium obtinget.

6. Typothetas obſequentes ſi quando Deus dabit, non intermittam iis uti, & chartis per hebdomadem binis, non dubito, quin poſſim vacare. Interea id dum exſpectatur, deſcriptionem urgere non deſinam, nec requirere unum poſt alterum, quod nimis abſtruſum aut diffuſum non ſit, expetentium in gratiam non gravabor.

Denique 7. volupe fuit, contemplationes de conſequentia a rectis demonſtranda cognoſcere, magnaſque de communicatis illis ago gratias. Videtur autem prior modus ipſam hanc conſequentiam, ad quam confirmandam

Digitized by Google

dam arceſſitur, in 1. 3. 4. ſupponere, adeoque a petitione principii defendi non poſſe. Poſterior & firmus videtur, & obſervatu propter alios etiam, quos pollicetur, uſus digniſſimus. Suas habet conſequentia a compoſitis ad diviſa, quæ *num.* 3. ſupponitur, exceptiones; ſed & hic, quantum adhuc video, non metuendas. Militat quippe ex (*c*). *L. H. V. VIII*, 12. *&* *VIIII*, 33. quidquid hic requiri credo. Ipſe numerus *II.* nititur etiam *V. X*, 4. 11. Deus porro patefaciat diſciplinarum arcana, & patefacta efficiat ſanctiſſimo ſuo nomini glorioſa, hominumque veris commodis proficua. Is te ſervet, & optatis beet omnibus. *Hamburgi d.* 22. *Febr.* 1687.

(31.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius *mittit* Leibnitio *reſponſa ad quaſdam quæſtiones circa Jungiana propoſitas.*

ECce reſponſa ad quæſtiones tuas Amſtelodamo tranſmiſſa. Iis catalogum lectionum noſtrarum junxi, ut, quid agerem, ſcires. Vix enim ultra quidquam valetudinaria vita promittit. Ceteroqui memineris, Vagetianum faſciculum in poſtremis meis memoratum adhuc apud me hic hærere, majorem ſcilicet, quàm ut ordinario curſori tradi debeat. Vale. *Hamburgi d.* 19. *April.* 1687.

Anonymi Amſtelodamenſis (*d*) *clariſſimo Dn.* Leibnitio, *ad cogitata, per epiſtolam Dn. licentiato* Placcio *ſignificata, ferenda a* Vagetio, *multa cum ſalute & paratis officiis, reſponſa.*

I. Logicæ ſchedæ Jungianæ, quas domi ſuæ habuerat *Fogelius*, & eo vita functo, ad ſe receperat D. *Kirſtenius*, paulloque ante obitum in bibliothecam publicam tranſtulerat, deſcriptæ ſunt omnes. Apographa earum communicari poſſunt, conſenſu curatorum omnium, ut fas eſt, impetrato. Si qua dubitandi ratio occurrit de loci alicujus ſcriptura; autographa poſſunt in bibliotheca inſpici, aut eodem conſenſu impetrato fortaſſis aliquando ad breve tempus communicari. Ea in re difficultas nec fuit, nec eſt, nec erit, dum certum ſit, ita hac in urbe manere, quæ communicantur, ut repeti, quandocumque videtur, poſſint, & non incidere in oculos iniquos auctori, & non contineatur in ſchedis illis aliquid, certas ob cauſſas celandum planè. Conſignata enim in averſa parte ſæpe ſunt,

(*c*) Innuitur *Jungii Logica Hamburgenſis.*

(*d*) *Weſtermannum* fuiſſe apparebit ex ſequentibus.

ſunt, quæ referebantur de perſonis quibuſdam. Aliter fieri, fas hactenus videri mihi & aliis non potuit eſſe.

II. Digeſtam Dn. *Siverus* habet *Phoronomicam*, & illuſtratam ſchematibus, moliturque, ut nupera die dominica data opera mihi aperuit, certò nunc editionem. Exſtimulare ad accelerandum inſtitutum qui poterit, voletque, bene de *Jungio*, *Sivero*, & re litteraria mathematica, planè credo, merebitur.

III. Ego perſevero in deſcribendis per amanuenſem ſchedis, & cum illo relegendis. Digerere cœperam initio; ſed poſtquam difficultates ſine fine objici meis editionibus vidi, deſii; idque eo magis, quia pro certo habeo, non poſſe pleriſque meliùs conſuli, quàm ſi, ut jacent, luci dentur omnia, ut cui voluntas & otium eſt, frui iis poſſit, aut ſi ita placet, in corpora quædam ea concinnare.

IV. *Heureticam* non puto futurum umquam fuiſſe, ut *Jungius* Logicæ adjiceret; matheſi, eam, credo, planè relicturus.

V. Producerentur indies plura, ſi eſſent, præter unum aut alterum, qui expeterentur, aut mihi locus ſtabilis, ubi aſſervari, dum expeterentur, poſſent, nec luctandum cum impedimentis paratæ pecuniæ pro typorum opera tamen objectis.

VI. Μετάβασις ad æquivocationem utique recidit. Sed eſt ſpecies ejus multa habens peculiaria. Deſcriptæ jam a. 1680. ſunt ſchedæ, ſed mihi hactenus non relectæ. Relego nunc, nec deſinam, donec abſolvero. Darem typis, niſi deſperare ſucceſſum cœpti iſtius impedimenta hactenus frequentata propemodum juberent. Apodicticæ peculiares ſunt μεταβάσεως æquivocationes ex iis, quæ *L. H. IV*, 5, 6-8. proponuntur ſubtiliores, ut ſphæræ phyſicæ non conveniunt attributa ſphæræ ſtereometricæ.

VII. Conſequentia a rectis quomodo nitatur ſubſtitutione terminorum æquipollentium, lubens didicerim. Ego demonſtrationem ejus video in *Log. Hamb. III*, 33, 1-7. Poſſunt autem unius rei demonſtrationes eſſe plures, & ex illis alia aliis ingeniis convenientior. Inverſam demonſtratam characteribus, non expreſſis verbis, mihi *Fogelius* olim communicavit, paucis verſibus.

VIII. Homonymia adſignificationis in *Logica Hamburgenſi* delibata eſt *V*, 30, 9. *VI*, 5, 6. & VII, 19. pleniuſque ex ejus ſchedis & Fogelianis additamentis in *Fogelii Lexico philoſophico*, quod ex digeſtis a me ex parte aliqua enatum eſt, tractata.

IX. Exquiſitæ definitiones ex attributis; attributa ex obſervatione agnoſcenda ſunt. Inſeruit ei rei pro exemplo *Iſagoge phytoſcopica* notioni latiori, cùm reſtringentes in re explorata compertu facillimæ adjunguntur, dum reciprocationi quàm fieri poteſt pauciſſimis verbis ſatisfiat, definitio abſoluta eſt. Inquiram autem, cùm porero, &, ſi quid reconditioris ſagacitatis repereero, deprædicabo. Quæ impreſſa ſunt, ea cupidè mittentur, modo jubeatur aliquis a me ea petere, quo oportet transferenda, quem traditurum ea ſibi ſit expetenti certum.

(32.)

Digitized by Google

(32.)

LEIBNITIUS VAGETIO.

Leibnitius *reſpondet* Jo. Vagetio *ad litteras d. 22. Febr. datas.*

PEr complures ſeptimanas rei publicæ cauſſa abſens fui, partimque ad Hercynios montes, partim per nonnullas noſtras præfecturas habui quod agerem. Nunc paullo antè ferias pentecoſtales reverſus, nihil antiquius habui, quàm ut pro munere *Indicis* rariorum Beccelianorum agerem gratias. Habebat eum & *Gerardus Molanus*, Abbas Luccenſis, & eccleſiaſticarum rerum in his regionibus director, in re nummaria verſatiſſimus. Sed cùm ipſe bonam partem nummorum Beccelerianorum poſſideat, emendæ integræ collectioni animum adjecturum non puto.

Eſt nunc in Gallia quidam nobilis *de Alvensleben*, qui hoc eruditionis genere delectatur. Ei indicium aliquando faciam. Honorarium ſi quod umquam dabitur proxenetæ, nulli alii, quàm tibi potiùs, deberi arbitror.

Conſequentiam a rectis ad obliqua utroque modo, ex poſitis ſuppoſitionibus demonſtratam arbitror, quæ differunt utique a concluſione. Si quis autem ſuppoſitiones neget, huic fateor nihil eſſe demonſtratum, donec illæ quoque demonſtrentur. Poſteriorem, quam probas, profundiorem eſſe, notavi ipſemet, utorque ſimili methodo ad ratiocinationes quibuſdam æquationum Algebraicarum imitationibus exprimendas. Ceterum ego illas etiam demonſtrationes non contemno, quæ ex quibuſdam ſuppoſitionibus legitimè procedunt, quas pertinacior aliquis in dubium vocare poteſt. Saltem enim demonſtrant connexionem veritatum, ut ſciamus, hoc unum demonſtrandum reſtare, quod in ſuppoſitione aſſumtum eſt, eaque methodo utitur etiam *Archimedes.*

De Jungianis in re medica tentamentis ſiles; quemadmodum etiam, cur ille metaphyſicam excludere viſus ſit numero ſcientiarum. Neque etiam attingis, utrum cl. *Siverus* Jungianis phoronomicis addiderit demonſtrationes, ſine quibus manca eſt omnis ſcientia. Video eas tum in Geometria Empirica, tum etiam in harmonico libello eſſe omiſſas. Sed in Harmonicis non difficulter ſupplentur. Empiricus libellus tironibus ſcriptus erat, ut experientia oculari geometriam ſibi redderent familiarem. At in Phoronomicis neque tam facilè, opinor, ſuppleri poſſunt, & ſcribuntur eruditioribus.

Noſſe velim aliquando, an tales quæſtiones attigerit *Jungius*?

Digitized by Google



Si mobile A. duos ſimul conatus æquales habeat, unum ex A pergendi in linea AB. alterum ex A pergendi in linea AC. quæritur, cùm ſimul ambabus lineis AB & AC ire non poſſit, in quanam ire debeat linea intermedia? Hoc poſito, ſtatuunt omnes, & rectè, mobile iterum in linea AD, quæ angulum B A C in duas æquales partes ſecat. Sed jam quæro porro, ſi mobile tres habeat æquales conatus, unum eundi in recta A B, alterum in recta A C, tertium in recta A E, quanam intermedia linea moveri debeat; cui dubio explicando præcedens modus non ſufficit. *Hanoveræ d.* 10. *Maii* 1687.

(33.)

LEIBNITIUS PLACCIO.

Leibnitius *ad* Placcium *de* Tſchirnhuſii Medicina mentis, *de* Puſendorfii Eride Scandica, *de ſocietate quadam demonſtraturientium*, *&* Viotti *&* Conringii *conatibus in apodictica diſſerit.*

RECtè accepi tuas ſanè gratiſſimas cum reſponſis amici ad quæſita de eo, quod intereſt: quo nomine plurimum gratias ago. Prodiit nuper in Batavis liber inſcriptus: *Medicina mentis & corporis*, auctore *Tſchirnhuſio*, equite Luſato, amico meo, in rebus mathematicis omnique philoſophia excellente. Is fuerat initio ex aſſe Carteſianus. Sed cùm Pariſiis crebro mecum ageret, oſtendi meliora quædam fundamenta, inprimis diſcrimen definitionum nominalium & realium, quod in eo conſiſtit; ut ex definitione reali agnoſcere poſſimus, utrum res ſit poſſibilis, nec ne. Huic ille jam fundamento meditationes ſuas magnam partem rectè inædificat. *Carteſius* autem contra obſervationem peccaverat in ſua poſt *Anſelmum* propoſita demonſtratione exiſtentiæ Dei, ex eo, quòd Deus eſt ens perfectiſſimum, atque ita omnes perfectiones, adeoque & exiſtentiam involvunt. Quæ demonſtratio hoc ſaltem probat, Deum neceſſariò exiſtere, ſi modò ſit poſſibilis. Neque enim ex definitionibus aliquid concludi tutò poteſt, niſi conſtet, eas eſſe reales, ſive de re poſſibili. Ceterum multa perutilia in ſuo libro annotat *Tſchirnhuſius*; licèt nonnumquam de aliorum ſententiis ſuiſque pronuntiet paullo liberalius, & in quibuſdam geometriis in paralogiſmos inciderit paratiores, quàm par eſt, aſſeverationibus nondum excuſſis. Subjicit etiam nonnulla de *Medicina corporis*, quam ſuaſi ut appellaret barbariuſcula, ſed ſignificantiſſima voce, *proviſional m*, ne aliis præjudicare videatur aliquando certiora detecturis. Vera enim medicina adhuc in puteo *Democriti* latet.

Neſ-

Neſcio, an cl. viri, *Samuelis Puſendorffii*, librum legeris, *Eridis* parum amabili titulo inſcriptum, ut in litteris ad me loquitur vir quidam illuſtris. Ego ſcriptoris ingenium colo atque exoſculor; ſed vellem moderari ſibi nonnihil, minuſque acriter invehi in diſſentientes. Si voluiſſet *Cæſarini Fürſtenerii* auctor, exemplo *Monzambani*, ſatyra vindictam ſumere a diſſentientibus, quantum illi chartæ, quantum temporis impendendum fuiſſet, melioribus deſtinatum!

Noſtine, atra an alba ſit ſocietas illa, quæ ſe vocat *eine um den Schaden Ioſephs ſich bekümmernde Geſellſchaffi*? Quantum judicari poteſt, ſocii illi *Dreiero*, *Zeidlero*, & horum diſcipulis videntur infeſti, quos titulo ſyncretiſtarum inſectantur, promittunt præterea neſcio quam artis apodicticæ emendationem, analyſi Zeidlerianæ oppoſitam; ſed artis tantæ nulla in libello Germanico *vom Schaden Ioſephs* exſtant veſtigia. Certè *Viottus* ipſe, quem laudant, meo judicio longè adhuc ab ejus penetralibus abſuit, non minus *Conringius*, qui epiſtola præfixa *Viottum* commendavit; tametſi *Conringium* ingenio & judicio valuiſſe, dubium nullum ſit. Sed difficile eſt ad artis analyticæ arcana pervenire matheſeos expertem. Verùm ego te diutius teneo, quàm volebam. Vale. *Hanoveræ d.* 10. *Maii* 1687.

(34.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius *libros a* Leibnitio *laudatos non legit.*

NÆ tu morulam & opellam a me præſtitam egregiè penſas tuis & eruditionis, & humanitatis adeo pleniſſimis litteris! In quibus tamen hoc præ aliis omnibus oblectat, quòd brevi te coram videndi ſpem facias. Quæſo ne illa me fallat. Vix enim habeo quemquam, cum quo aliquot horas æquè deſiderem de rebus litterariis agere paullo confidentiùs. Interim mitto epiſtolam Vagetianam, cui juncta erat *D. Capelli Diſcuſſio rariorum Beccelerianorum*, in monetis aliquot, & aliis artificioſis, partim & naturalibus, conſiſtentium. Libros memoratos partim tantùm vidi, ſed nullum eorum legi, niſi Puſendorffiana carptim in paucis foliolis necdum ligatis. Vel unius ejus adeo mordax & omni juri naturæ contraria de jure naturæ controvertendi ratio me abſterret, ne quid in eo argumenti meorum publici faciam juris, de quibus Dn. *Vagetius* coram. *Den Schaden Ioſephs* nondum vidi. De analyticis acceſſionibus idem tecum ſentio, & opto, ut nempe alii a *Viotto* & *Conringio*, quorum neuter iis par erat, huic operi aliquando admoveant mentes. Sed illa quidem ſpes, niſi a te impleatur, apud me deſperata eſt. Sed & de his coram, ſi Deus volet atque vivemus. Interim felix feſtum hoc & omnia felicia alia tibi precor ex animo. Vale. *Hamburgi d.* 14. *Maii* 1687.

Digitized by Google

(35.)

IDEM EIDEM.

Placcius Theatrum anonymorum Ethicæ *ſuæ poſtponit*, *a* Leibnitio *interea*, *&* Magliabecchio *atque* Bailleto *ſubſidia ſperans.*

HUcuſque ſpe reditus tui leniveram deſiderium reſponſionis ad invitationem meam. Nunc & tibi gratulor, & mihi gaudeo, quòd tenuis amici non ſis tanta temporis intercapedine tibi oblivionem obrepere paſſus. Euge verò, veteres renovemus amores! At tu quidem arrha data in detectis erroribus rariſſimis id facis egregiè. Quas ſymbolas itaque apponam aliis, inde ab invitatione mea edita acceptis, non contemnendis. Quamvis in ſpe ſint adhuc plurima, incredibilem factura numerum, ſi fidem liberaverint omnes, qui dedere. Nam de *Magliabecchio* quidem jam tum deſperaveram, aliter quàm per alios me adjuturo. Quod utinam ſaltem faxit, quantum poſſe videtur omnibus! Ad quod ipſum etiam a te excitatum eſſe, mihi volupe fuit, & agnoſco ſanè hoc etiam tuum inſigne beneficium, utcumque ceciderit. Non cadet autem omnino in vanum, ut ſpero. Minimum quid ſperaſſe nocebit? Interim verò dum copiæ meæ creſcunt, earum inſtructio & ordinatio fit indies operoſior, ita ut tantùm non deterreat quandoque labor aggredientem. Conduxeram mihi proximo trimeſtri in ſubſidium candidatum aliquem juris non parum idoneum, cujus opera ſecundum de anonymis caput bona parte affectum eſt. Sed & is aliorſum jam avocatur. Ego verò quo minus hoc anno aliter, quàm παρέργον tractem id opus Ethicorum meorum elaboratione impedior. Quæ uti nunc publicè prælego, ita pro more meo etiam ſimul quod ad edendum olim ſyſtema perficio. Verſor autem nunc in ſemeiotica parte, reliquis abſolutis, quæ præcedunt, ſperoque, me ultra Claramontiana quid daturum, quod reſpici mereatur. Praxis ipſa per problemata, præmiſſis definitionibus & theorematis, concipitur. Quorum pleraque non jucunda minùs & curioſa, quàm utilia fore ſpero, e. gr. infallibilem ſe in morali ſcrutinio ſive examine tum conſcientiæ propriæ, tum cenſuræ alienæ præſtare: hominem apertum primo congreſſu, & vel quadrantis horæ colloquio, quod ad præcipuos mores nobis ſcitu neceſſarios, explorare: ſimulatorem agnoſcere: eumdem detegere, cet. Similiter dein therapeutica concipietur: quam & ipſam ſpero me hoc anno abſoluturum: neque non etiam ſpecialem iracundiæ, mihi nimis ipſimet adhærentis etiamnum, Semeioticen & Therapeuticen. Ut eo magis applicatio univerſalium ad quævis ſimiliter vitia facienda pateſcat. Hiſce anonymos & pſeudonymos impedimento eſſe curis ut ſinam, religio

religio mihi eſt. Proximo deinde anno, Deo volente, plus temporis illis dare potero. Interim etiam, ut optant mecum alii, & gravioribus quidem ex cauſſis, pax inter nos & Gallum ſi coëat, de *Bailleti* opere fortaſſis aliquid comperiam, ſi non accipiam. Noſti ex invitatione mea, quomodo totum ſuum ab initio manuſcriptum mihi obtulerit, ſi honeſtè a librario recipere queat. Anno ſuperiori nuntiavit honeſtè receptum, & differendam in alia tempora ejus editionem, quando placuerit Deo, ut liberius ſcribat. Reſpondi, an non in conditionem prædicatam nunc res recidiſſet, ac promiſi, me, quocumque vellet modo id meis inſerturum, quod miſiſſet. Ad ea ſilentium hucuſque, ut videas, Gallos eſſe ſemper Gallos, quemadmodum ipſe ſcribit, *les Allemands ſont toujours Allemands*; quod concoquere cum Dn. *Morhoſio* nequivere aliqui. Ego rideo. Nec enim vellem, aliquando nos fieri Gallos, id eſt, ut in grammatica ſcholæ noſtræ trivialis exponitur, homines leves & futiles. Certè promiſſores ſunt minùs certi, quàm Germana fide agentes. Quod ego experior. Sed ſi commercia & peregrinationes redeant, fortè aliquis illi pudorem incutiet, aut conditiones a me optabiles offeret, ut potiar ejus etiam ſubſidiis. Certè priuſquàm Pariſiis habeam aliquem, auctores aliquos alibi non habendos inſpicientem mihi, & excerpentem nonnullos, vix ediderim id opus. Hic penuria librorum laboratur ejus generis incredibili, & accedit mihi, quod alicubi falſo putat *Vintimiglia* in ſua *Muſchua ſcuoperta*, revera ſæpius illud, *e diſgracia non havere i libri neceſſarii & deſiderati.* Sed deſino, de *Stahlio* id unum addens, eum a Dno. *Horbio* ſeceſſiſſe dudum, & hærere in vicinia Magdeburgi apud pharmacopolam *Schroecken*, vero illic certiora de ipſo haberi poſſe, & ad eum litteras curari. Vale. *Hamburgi d.* 21. *Jul.* 1690.

(36.)

LEIBNITIUS PLACCIO.

Leibnitius, *probato* Placcii *conſilio*, Tſchirnhauſii Medicinam mentis, *quam ex parte ſuam eſſe fatetur*, *laudat*; *philoſophiæ mechanicæ poſt* Henricum Morum *contemtorem*, Zimmermannum *in viam reducere*, *& ſocietatem arithmeticam Hamburgenſem ad calculi amplificationem excitare nititur.*

Valere te ex ſententia, & mei meminiſſe peramanter, ex litteris tuis intelligere gratiſſimum fuit. Quanto enim pauciores ſunt, qui ſincero ſtudio ad veritatem contendunt, eamque animi facultatem divinius accepere, ut præſtare aliquid poſſint profuturum poſteris, eo magis complecti eos, &, ſi fieri poſſit, adjuvare decet. Itaque, ſi quid poſſum, quod quàm exiguum ſit, non diffiteor, id omne promtum juſſis tuis offero. Viciſſim hoc

Digitized by Google

hoc a te ſpondeo mihi. Gaudeo, quòd cryptonymorum detegendorum conſilium urges, inſigni haud dubiè rei litterariæ acceſſione; cujus pars non contemnenda conſiſtit in notitia ſcriptorum. Scio eſſe, qui omnem illam curioſitatem inutilem judicent, quaſi rerum, non ſcriptorum, habenda ſit ratio. Sed hi non vident in tanta multitudine rerum cognoſcendarum, ingentis compendii eſſe, aliorum frui laboribus. Itaque neceſſaria librorum notitia eſt; libros autem plerumque commendat auctor, facileque intelligitur, quod ab inſigni viro ſcriptum eſt, utiliter legi. Sed majoris longè momenti eſſe fateor conſilium tuum, ethices, id eſt, medicinæ animi tradendæ, ad exemplum medicinæ corporis. Non dubito, quin legeris, quæ *Tchirnhuſius* meus dedit de medicina mentis & corporis. Jam olim Pariſiis familiaris inter nos notitia fuit, faſſuſque ipſe eſt, tunc potiſſimum profeciſſe. Itaque magna pars eorum, quæ tradit, ſententiis meis conſonat. Sunt tamen aliqua, in quibus non aſſentior: quæ admonuiſſem, ſi de edendi libri conſilio mihi conſtitiſſet. Notavi enim, quædam ipſi, ut ſolet contingere ingenioſis, viſa fuiſſe faciliora, in quibus tamen longè adhuc abſunt, quæ dedit. *Carteſio* olim hærebat preſſius, argumentoque ab ideis nimium tribuebat, quaſi omnia, de quibus loqui intelligibiliter licet, ſub ideam cadant. Verum a me oſtenſum eſt, ejus demum notionis ideam haberi, quam poſſibilem eſſe demonſtratum eſt, cui doctrinæ ille poſtea bonam partem ſuorum ſuperſtruxit. Ceterum illi medicinæ intellectus potiſſimum curæ fuit; tibi, opinor, propoſita eſt medicina voluntatis.

Quis ille candidatus juris, qui in Anonymis ordinandis operam præſtitit, ſed nunc alio abit? Vellem egomet aliquando reperire adoleſcentem magnæ ſpei, qui ingenio, & ſanitate ſtiloque valeat, & ardore diſcendi latè patente ad majora tendat, ſed quem res anguſta domi cogat ad alienam opem confugere. Accepi nuper miſſum ab amico libellum, cui titulus eſt, *Exercitatio theoricorum mathematico-phyſico-theologicorum*; rei planetariæ tradendæ inſervientem, qui *Zimmermanno*, viro docto, apud vos nunc agenti, olim Wurtembergici agri parocho, tribuitur. Is magno & laudabili ardore videtur ad inquiſitionem veritatis contendere, eoque dignum ſe præſtare bonorum amicitia. Agnoſco, multos homines pios, ut *Henricum Morum* & ipſum clar. *Zimmermannum*, καββαλιστικωτέρως, abhorrere a philoſophia mechanica, h. e. a ratione mathematica explicandi phænomena naturæ. Indignum enim putant majeſtate univerſi, omnia velut in officina artificis fieri, & verentur, ne ſpirituales ſubſtantiæ excludantur; quorſum, fateor, nonnulli ex corpuſculariis tendunt, quo nihil poteſt eſſe a pietate alienius. Sed ſi ſatis explorata eſſent optimis viris, quæ a me in hoc argumento ſunt demonſtrata, in gratiam fortaſſe redirent cum intelligibili philoſophia. Oſtendi enim, etſi omnia phænomena naturæ corporeæ ſpecialia poſſint explicari mechanicè, ſeu ex corporum legibus; ipſa tamen prima mechanices principia, ſeu leges motus generales, oriri a cauſſa incorporea: nec per ſolam matheſin, ſed per metaphyſicam explicari debere. Neque abſurdum mihi

mihi videtur, quod illi aſſerunt, non in nobis tantùm, ſed & paſſim in aliis rebus aliquid vitale reperiri. Attamen in explicandis phænomenis corporum ſpecialibus non magis vita atque anima, aut facultatibus incorporeis utendum cenſeo, quàm anima rationali ad explicandam humani corporis œconomiàm. Corpus pariter atque anima ſuas ſibi proprias habent leges, quæ ab actione alterius non violantur; neque id verò opus eſt, cùm ſponte naturæ ſummo conſenſu ſibi invicem complentur. Itaque miror impenſe, *Morum* & *Zimmermannum* omnem gravitatis & elaſtices mechanicam explicationem rejicere. Quaſi deeſſent Deo rationes efficiendi talia per motuum leges. Cùm admiſſo etiam Hylarchico principio, quod nec omnino rejecerim, conſtare ſibi nihilominus debeant corporeæ rationes. Quodſi vir ingenioſiſſimus conſideraſſet ante biennium *de motuum cæleſtium cauſſis* in *Actis Lipſienſibus* 1689. credo, a vorticibus materiæ æthereæ minus eſſet alienus, & fortaſſe adjutor nobis egregius ad phyſicam cæleſtem perficiendam. Hoc ideo ſcribo, ut, ſi fortè noſti virum, aut noſcendi occaſiones habeas, materiam ipſi præbeas de his cogitandi uberius, ne præjudiciis quibuſdam ipſe viam ſibi præcludat ad pulcherrimas veritates.

Ecce aliud non diſſimile, quod a te poſtulare audeo. Vidi nuper libellum Germanicum *de numerorum problematibus*, ex quo intelligo, Hamburgi arithmeticos quoſdam præſtantiores coiviſſe in ſocietatem, aliis ex vicinia in idem conſilium aſcitis, & *Meiſnerum* quemdam veſtratem artis magiſtrum in ſchola ad *D. Jacobi* eſſe auctorem inſtituti. Perplacuit conſilium, & inde aliquid egregii nobis promitto, ſi velint operam ad ea conferre, quibus pomœria ſcientiæ proferantur. Nam peculiaribus problematibus, quando vel ſingularis elegantiæ utilitatiſque non ſunt, vel non faciunt ad ipſam methodum generalem longius promovendam, tempus teri non ſatis dignum eſt tanto conatu. Nihil facilius eſt, quàm concinnare problemata, quæ nobis originem noſcentibus in promtu ſunt; aliis verò majus negotium neceſſariò faceſſunt. Cogitandum igitur eſt de analyſi ipſa perficienda, neque arbitror, quemquam nunc eſſe in Germania, qui majore ſtudio, quàm ego, ne dicam ſucceſſu, id enim pro parte fortunæ eſt, in eo genere ſit verſatus. Habemus equidem dudum methodum generalem pro reſolvendis æquationibus cubicis: nam difficultatem, quæ naſcitur, cùm radix quadrata extrahenda eſt, ex falſa quantitate, non moror, nec pro impedimento habeo. Et methodum etiam generalem habemus reſolvendi æquationes quadrato-quadraticas, ſeu quarti gradus. Nunc ſupereſt, ut ſimiles methodi pro altioribus gradibus reperiantur. Hactenus enim, quantum conſtat, non ſunt in artificum poteſtate: quam in rem inventa quædam dare poſſem latè patentia, ſi vacaret ipſos calculos abſolvere. Habeo & inventum condendi tabulas quaſdam algebraicas, quæ ſi ſemel darentur, mirificè calculum ſublevarent, & prope tantum utilitatis præſtarent in analyſi, quantum tabulæ ſinuum & logarithmorum in numeris communibus. His elaborandis ſi quid conferret ſocietas communi bono, ſocii primum præ aliis frui poſſent.

 Quod-

Digitized by Google

Quodſi viri iſti revera amore augendæ ſcientiæ ducuntur, ſperarem, accedente ipſorum opera, præſtari aliquid poſſe in Germania, quod longè omnia hactenus in algebra inventa ſupergrediatur. Tu vero ſtatues, vir clariſſime, an tibi cum *Meiſnero* illo colloqui vacet, ejuſque & per ipſum collegarum ſtudium excitare ad res præclaras; ſed nomine meo adhuc diſſimulato. Hæc non alteri facilè ſcriberem; ſed cum te ſciam intelligere, quanti ſit, conferre ad augmenta ſcientiarum; ex meo ingenio judico, non tantùm non ingratas, ſed etiam jucundas tibi eſſe occaſiones de re publica bene merendi. Vale. *Hanoveræ d.* 8. *Septembr.* 1690.

(37.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

De Tſchirnhauſianis ſcriptis: Varia quæ obſtant Anonymorum & Pſeudonymorum editioni.

DUm ſub anni hujus ineuntis auſpicium quod auſpicatiſſimum planè tibi ex animo precor augurorque, rationes meas, qua domeſticas, qua litterarias ſubduco, video me in aere tuo inde a Septembri menſe adhuc eſſe. Ne malum planè nomen ſim, itaque tandem reddo, quod debeo, reſponſum, veniam moræ a ſola tua benevolentia petens. Neque tamen interim in mandatis tuis exſequendis, æquè ac in reſcribendi officio ſegnis fui. Quamvis enim *Meiſneri* compellandi occaſionem huc uſque fruſtra quæſitam necdum invenerim; cum Dn. *Zimmermanno* tamen, illius collegii membro facilè præcipuo, & de pertinentibus ad ipſum aliis, & de iis, quæ ſuper collegio arithmetico ſcribis, ita communicavi, ut non fruſtra id factum putem. Siquidem lætari mihi viſus eſt occaſione, commercium litterarium & hiſce & aliis de rebus tecum ineundi. Quod an cœptum ſit, ſcire aveam; ni factum, etiam promoturus, ut quàm primùm ineatur. Id quod ſine rei publicæ litterariæ inſigni emolumento non fore, ſpero augurorque. Tſchirnhauſiana legi, & haberem circa illa, quæ percontarer, ſi quidem otii hoc tui eſſe intelligam, ut cognoſcas, & ſententiam aperias tuam de quæſitis, logicis quidem potiſſimum. Nam phyſica & mathematica ſuperant meas vires; ad philoſophiam practicam verò ſacientia ex meis facilè principiis expedio. Quæ uti experior indies magis ſufficere magiſque reſolvendis omnibus in hoc argumento difficultatibus; ita ut perpoliantur, & ad ſpecialiſſima quæque deſcenſu facto magis porrigantur, aſſiduè laboro. Nec aliud eſt impedimentum æquè obſtans Anonymorum & Pſeudonymorum editioni: de quibus apud *Bailletum* quid fiat, an ſcias, vel ſcire poſſis, oppidò percupiam reſciſcere. Nam anno jam, & quod excurrit, ab eo litterarum nihil habui, neque novi per internuntios.

Digitized by Google

tios. Et bellorum hæ nedum finem oſtendentes turbæ, parum in propinquo repoſitum ſpei ſinunt. Niſi tuo itaque auxilio quid comperiam, deſperatum hoc eſt deſiderium. Quod tamen antequàm expleatur, ad publicandos meos auctores non accedam. Enimvero præire ipſum mallem me, quàm ſequi. Cauſſæ multæ ſunt, quarum præcipuam facilè divinas. Vale, & an hac de re certiorem me facere queas, quæſo, vide. *Hamburgi d. 3. Januar. 1691.*

(38.)

Excerpta ex LEIBNITII *reſponſione.*

A *Zimmermanno*, & collegis ejus calculatoribus nihil exſpectandum mihi, facilè judico. Volebam accendere eos ad præſtandum aliquid egregium in re calculi. Sed ut video, ſua ipſis jam tum, ut fit, ſatis pulchra videatur. Et facilius judicabunt, agere acta, quàm agenda.

(39.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius *perlegenda mittit, & Jungiana pleraque periiſſe nuntiat.*

NE, quod exiſtimabam tibi debere, privilegium vulnerarem improviſus, miſſionem diſtuli eorum, quæ nunc accipies, uti benignè promiſiſti, perlegenda, monitiſque tuis exquiſitiſſimi judicii honoranda, ſimul ac vacaverit. Non potes mihi dare beneficium majus. Eritque illud ſuo tempore publicum, Deo volente. Jungianæ ſchedæ in miſerrimo ſunt ſtatu. Ex quadringentis ne vix centum reſtant faſciculi, & hi nullius ferè pretii. Optima quæque perierunt omnia cum exemplis autographa: etiam *Ariſtoteles* illius, ob loca parallela & notas, non niſi tota ſua vita ex profeſſo philoſophiam tanto ac ipſe cum judicio tractanti ſcribendas, inæſtimabilis, v. gr. hæc vox ὀρέξις nuſquam definitur, ſumiturque tot modis, cet. Valetudo mea per Dei gratiam cum ſenectute incipiente incipit meliorari. Lactea diæta quidem continuanda; ſed cum libertate, jungendi propemodum, quæ velim, modicis doſibus vicibuſque. Abhinc menſe proximo juſculo etiam bubulo reficior mirum in modum. Hoc ſi porrò ſuccedit, ſpero, alvi ſiccitatem & virium a laboribus defectum omnem poſſe corrigi. Quæ duo ſola me adhuc infeſtant. Vale. *Hamburgi d. 15. April. 1691.*

Digitized by Google

(40.)

IDEM EIDEM.

Placcius *alia quædam ſua* Leibnitii *cenſuræ offert.*

DIu, fateor, tacitus amicitiam noſtram continuavi, non alia de cauſſa, quàm ne intempeſtivè interpellando illam violarem. Nunc ut adjuncta, quæ vides, opuſcula mea cenſuræ offeram tuæ, intermittere non potui. Quæſo illa digneris, quantum occupationes tuæ graviſſimæ concedunt, hanc opellam: ſin minus ſtatim omnem, at ſaltem aliquam partem, quam volueris. Ut admoneas me de iis, quæ tua perſpicacitas non potuit non emendanda pluſcula deprehendere; quando & præ me ſubtilius longè philoſophari ſueta, fatigato mihi, deſertis potiùs, quàm ad finem productis, immo præruptis, ſuperaccedit. Quæſo, da hoc non tam precibus meis, quæ tantum non merentur, ſed argumenti pretio, & bono publico inde juvando. Certè quo monueris me de pluribus, & gravioribus, eo magis tibi placuiſſe judicabo ſcriptionem, quam tanta cura ſis dignatus, tot aliis occupatior. Vale. *Hamburgi d. 3. April. 1695.*

Si fortè, ut aliàs memini factum, detrectante tabularium faſciculo, ut nimis grandi, (eſt autem quinque alphabetorum, & tamen adhuc deſunt folia ſex vel ſeptem) onerari, hæ litteræ ad te veniant ſine faſciculo, quæſo, aliam occaſionem tranſmittendi mihi ſuppedites quàm primùm. Vale iterum.

(41.)

LEIBNITIUS PLACCIO.

Leibnitius *attingit* Thomaſii *cum* Placcio *controverſiam*, *& ad perlegenda Placciana paratum ſe oſtendit.*

LItteras tuas gratiſſimas accepi, & pro munere, quod mihi deſtinas, gratias prævias ago. Neque enim dubita, quin egregium ſit futurum. Suffecerit, faſciculum Brunſvigo-Luneburgico veredario ordinario more ſolito committi; ita enim rectè ad me deferetur. Interea gaudeo, a te ipſo nuntium de rebus tuis accepiſſe, ſperoque, te optima valetudine frui, cùm antea diu nihil de te accepiſſem, niſi occaſione controverſiæ, quam tibi cum Dn. *Thomaſio* eſſe intellexi. Aliquoties a te volui

quæ-

quærere, qualiſnam ſit Jungianarum ſchedarum jactura ex incendio ædium Vagetianarum. Spero tamen potiſſima quæque fuiſſe ſervata, & tantùm fortaſſe apographa faſciculorum plerorumque periiſſe. Fac igitur, quæſo, ut ſciam, quid ſuperſit, aut quid nobis inde promittere poſſimus. Spero, quod ad me mittere polliceris, Ethicam fore tuam, a qua multum nobis bonæ frugis promitto; quemadmodum & ab iis, quæ edis, omnibus, atque adeo & ab iis, quæ nuper *de juriſconſulto perfecto* iterato dediſti. Ingenium Dn. *Thomaſii* noſtri utique magni facio; plerumque tamen faciliùs ipſi aſſentior, cùm profert propria, quàm cùm rejicit aliena. Ego diuturno uſu didici nihil facilè ſpernere. Profundæ illæ meditationes in omni doctrinarum genere habent & ipſæ uſus ſuos, etſi non tam obvios. Itaque quod de variis interpretationum generibus meditatus es, majore ſolito ἀκριβείᾳ mihi applauſum potiùs, quàm contemtum mereri videtur, excitandoſque potiùs doctos ad notiones illas enucleatiores proſequendas, quàm deterrendos. Quin ſim lecturus avidè, &, quantum licebit, ſtudioſè, quidquid a te proficiſcitur, dubitare non debes. Sed cenſuram exercere, majoris operæ eſt, nec a me exſpectandæ, qui natura atque inſtituto ita comparatus ſum, ut in aliorum ſcriptis potiùs quæram profectus meos, quàm defectus alienos. Si quid tamen monere neceſſarium videatur, pro meo candore non diſſimulabo. Vale. *Hanoveræ die* 28. *Aprilis* 1695.

(42.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius *mittit reliqua folia ſcripti ſui & quamdam diſſertationem.*

MItto, quæ deſunt, ſoliola meis libellis, avidiſſimè tua ſuper illos monita exſpectans, quæ ſola magnam operæ illis impenſæ partem mihi perſolvunt. Addidi diſputationem ad juris naturalis mei uſum aliquo modo minùs adſequentibus pleriſque indicandum. Vale, bonique conſule, deque te ſtudiiſque tuis, ac rebus aliis litterariis, nunc quæ noſti indica. *Hamburgi d.* 19. *Jun.* 1695.

Digitized by Google

(43.)

LEIBNITIUS PLACCIO.

Leibnitius Placcii *ſcripta laudat*, *Jungianorum deſignationem & diætæ regulas ſibi expetit*, *de* Buſſingii *libro* Burnetiano *oppoſito judicat*, *juvenilium diſputationum reminiſcitur*, *ſua a* Nieuwentitio *malè intellecta queritur*, *lites* Spenero *motas pro ridiculis habet*; *myſticos tamen aliquando juſto audaciores eſſe ſtatuit.*

CUm tua omnia me doctiorem reddant; tum illud egregium opus *Acceſſionum* multa habet, unde proficere poſſim, & magna me voluptate perfudit, qua magis adhuc fruar, ubi diligentiore ſtudio meditari licebit. Interea pro inſigni munere, quo & me, & rem publicam auxiſti, gratias ingentes ago. Videris mihi aptiſſimè vocabulo *conſortii* uti, & quidquid ejus perfectioni univerſim conducit, juri naturali tribuere. Tametſi enim egregiè vir clariſſimus, *Jac. Thomaſius*, jus naturæ pro norma optimæ rei publicæ acceperit, oppoſueritque rationi ſtatus, quæ norma eſt corruptæ; idque omnino ſufficiat, ſi ea accedat interpretatio, ut more meo intelligamus, univerſum comprehendi unico imperio, cujus monarcha eſt Deus: ſi tamen ea a re abſtrahatur animus, finganturque paucæ tantùm perſonæ inter ſe componi; erit tamen inter eos conſortium, & jus naturæ, modò ne commodum hujus conſortii quæratur majoris melioriſve conſortii malo. Nam ad univerſitatem mentium reſpicere potiſſimum in æſtimando jure oportet, quàm tuam quoque ſententiam eſſe conſtat, cùm in conſortio auxilium ad hominum felicitatem conſideres. Utinam majore illo opere tuo, cujus velut lineas duxiſti, maturè fruamur, cui elaborando vires tibi & annos opto. Neque enim ſpero, ubi perfeceris, in poſtuma tempora, ut minari videris, translaturum. Raro poſtuma rectè eduntur, quod vel exemplo vides ſchedarum Jungianarum, quas pleraſque interiiſſe irreparabili jactura, magnopere doleo. Fac mihi, quæſo, hanc gratiam, ut cures indiculam eorum, quæ ſuperſunt, pro me tranſcribi: qualeſcumque enim tanti viri reliquias non ſpernendas cenſeo. Duo maximè ſervata vellem, nempe quæ ad phyſicam, & quæ ad matheſin ſpecialem pertinent. Logicas quoque acceſſiones periiſſe valde nollem; etſi ſperem pro bona parte repertum iri in logicis notatis Vogelianis & Vagetianis, quæ fortaſſe apud vos ſuperſunt. In mathematicis quoque abſtractioribus ſcio magnum fuiſſe *Jungium*; ſed repertis ejus in eo genere faciliùs careri putem, quod nunc multo longiùs provecti ſumus; quamquam non dubitem, non pauca in illis quoque aureola eſſe, aut fuiſſe.

Beaſti

Digitized by Google

Beaſti me inprimis, quod valetudinem tuam multo meliore, quàm olim, loco eſſe ſcribis. Opto, ut hoc bonum tibi nobiſque ſit diuturnum. De me paria aſſeverare non poſſum, nam a biennio me non optimè habeo, & ſubitas quaſdam ſubinde incerto tempore patior velut φλόγωσις, ut calido cingulo circumdatus mihi videar; quod etſi hactenus cum alio incommodo non ſit conjunctum, in futurum tamen timere cogit. Itaque temperandos mihi video labores ſtudiorum, quibus intendi malum manifeſtè ſentio, & de diæta quoque adſtrictiore cogitandum: unde tuam paullo accuratiùs noſſe deſidero.

Buſſingii veſtri, doctiſſimi viri, libellum, Burnetianæ *Telluri* oppoſitum, ſingulari cum voluptate legi, cùm acumen prodat non vulgare. Vellem nobis ex hypotheſi ſua explicare etiam tentaſſet cauſſam ipſius eccentricitatis: hanc enim in reddenda obliquitatis eclipticæ ratione ſupponit. Deinde, cùm de formatione telluris & mutationibus non perfunctorie meditatus videatur, optarem ſententiam ejus intelligere de ſchediaſmate quodam meo, cujus titulus: *Protogæa*, quod exſtat in *Actis eruditorum Januarii* 1693.

Hæc jam ſcripſeram, cùm alterum munus tuum, *Epitome* ſcilicet *conſilii de ſtudio philoſophiæ practicæ*, in *Acceſſionibus* ex promiſſo fruſtra quæſita, ſupervenit, pro qua novas gratias ago. Utinam ipſum *Conſilium*, & in eo *Bibliographiam practicam* diu deſideratam edas! In Gallia prodiiſſe dicitur *juridica* quædam *Bibliotheca*; ſed a qua nihil magni exſpecto. Ego ante multos annos cogitaveram de *Methodo* mea recudenda & augenda, quin & ſubinde corrigenda; ſed poſt tua parum id neceſſarium videtur. Lipſiæ binas diſputationes juridicas *de conditionibus* publicè ſuſtinueram. Eas in meliorem formam redactas, & a nimia ſubtilitate ad popularius dicendi genus traductas, unà cum meo *Specimine quæſtionum philoſophicarum*, alia *diſputatione Lipſienſi*, & diſſertatione inaugurali Altorfina *de caſibus perplexis in jure*, bibliopolæ cuidam Norimbergenſi edendas commendaveram: qui cùm non multo poſt obiiſſet, omnia amiſſa putabam, præſertim cùm nec in catalogis comparuiſſent, nec mihi vel aliis, me rogante inquirentibus, innotuiſſent, & heredes quidquam apud ſe reperiri negarent. Cùm ecce! ante aliquot annos quidam juris candidatus, a meditationibus non abhorrens, duo exempla typis edita caſu neſcio quo reperta attulit, unumque mihi conceſſit. Ita poſtliminio tot annorum recepta relegi, & non contemnenda quædam habere notavi. Agnovi tamen, multa accuratius, & ad uſum accommodatius ſcribi potuiſſe.

Domini *de Tſchirnhaus Medicina mentis* iterum prodiit. Vellem plura, ut poterat, addidiſſet. Ille intellectui, magis tu voluntati mederis. Habet quædam non abhorrentia a meis cogitationibus; etſi mihi non pauca altius repetenda videantur. Ridebis fortaſſe meum *ſpecimen dynamicum*, in *Actis Lipſienſibus* datum, & molimen *entelechiæ* formarumque ſubſtantialium in integrum reſtituendarum. Ego verò ſpero aliquando explicare adhuc majus aliquid, commercii ſcilicet rationem, quæ inter corpus & ani-

animam intercedit. Mathematicus quidam Batavus, *Bernardus Nieuwentyt*, miſit mihi libellos duos analyticos, quibus calculum novum infiniteſimalem vel differentialem, a me inventum, & multis præſtantiſſimis viris uſu ipſo probatum, partim in rem ſuam transfert, partim impugnat; ſed ubi non intellexit. Rectiùs me conſuluiſſet per litteras, quod ipſi ſuaſerant amici; ſed noluit, credo, jus amittere librum edendi. Ego verò puto, ſi hos libros ſcribendi occaſionem ea ratione perdidiſſet, inventurum fuiſſe occaſionem procudendi alios meliores. Quia tamen tota ejus ſcribendi ratio moderatiſſima honeſtiſſimaque eſt, par pari referam in Actis, ubi reſpondebo. Quidam mihi, ſed loco a Batavis diſſito, nuntiavit, *Hugenium* obiiſſe. Hoc Deus prohibeſſit! Ego tantum illi viro tribuo, quantum vix alteri cuiquam ſæculo noſtro. Et ſpero, falſum nuntium fore. Nos hic non admodum maturè intelligimus, quæ in re litteraria geruntur. Dn. *Dartis*, diarii veſtri conditor Gallus, ſolet mihi ſeptimanatim mittere, quæ edit. Ego ipſi optimè cupio: ſed velim, tuo & ſimilium conſilio interdum utatur. Hamburgum omnia litteraria multo citiùs, quàm ad nos, transferuntur. Controverſiæ cum *Spenero* pene ridiculæ videntur. *Neumannus*, vir alioqui doctus in eo culpat, quod ego laudo: moderationem ſcilicet in aſſeverando, dum, quæ pro demonſtratis non habet, non ſine dubitatione quadam admiſſa enuntiat. Camara imperialis reſtitui mandavit civem quemdam artificem Ratisbonenſem, urbe pulſum, quòd formulæ cuidam a miniſterio præſcriptæ contra Boehmiſtas ſubſcribere noluiſſet. Nunc Ratisbonenſe miniſterium conſilia theologorum corrogat ad ſe tuendum. Inter alia mirè exaggerant, quod Boehmiſtæ dicere videantur, omnia eſſe ex divina eſſentia, ut olim quidam *David de Dinanto* dixerat, Deum eſſe materiam primam rerum. *Julium Cæſarem Scaligerum* memini ſtatuere, res potiùs ex potentia activa agentis, quàm paſſiva patientis educi. Ego controverſias iſtas inanes puto, nec intelligi, quid dicatur. Interea ſunt quædam interdum in myſticis illis mirè audacia, & plena translationibus duris, & pene vergentia ad impietatem, qualia notavi in Germanicis carminibus, cetera elegantibus interdum, cujuſdam qui ſe *Joannem Angelum Sileſium* vocat, & vereor, ne *Molinoſius* quoque ad talia inclinarit. Miratus ſum tamen, *Angelum* illum ſine nota laudari in quodam nuperorum ſcriptorum noſtræ partis, neſcio, an *Colero*, Amſtelodamenſi. Vale. *Hanoveræ d. 25. Jun. 1695.*

Digitized by Google

(44.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius *inſtat pro cenſura ſcripti ſui*, *Jungiana*, *quæ ſuperſunt*, *poſtuma ſpernit*, *& exactam victûs ſui* Leibnitio *rationem reddit.*

NUperæ tuæ, ut aliæ omnes priores, mihi longè ſuaviſſimæ, dupliciter tamen animum afflixere meum. Nuntio nempe de ſiniſtra valetudine, quem ſpero proximis meliorem me intellecturum, & opto precorque Deum, ut canicularibus hiſce diebus, ferias meditationibus & corpori acidularum aut aliam medicinam faciens, vigeas iterum plenè valeasque. Alterum ex eo capio dolorem, quòd nihil adeo quidquam me commonefacis de ullo articulo ſupplendo vel mutando mearum *Acceſſionum.* Quod adeo nulli alii cauſſæ, quàm deficienti adhuc ad acriorem cenſuram otio, poſſum imputare. Itaque tertium meis id rogo quàm inſtantiſſimè. Da hoc non tam mihi, quàm orbi erudito, ut, dum licet ac ineditum eſt ſyſtema, fructum ex tuis monitionibus capiens, illis emendem & ſuppleam, ex ingenio etiam tuo, ad hoc tam benignè tibi divinitus conceſſo, aliquam multa. Non potes mihi gratius quidquam praeſtare. Habebis non obſequentem modo monitis tuis, ſed ex animo gratum. *Jacobi Thomaſii* acceptio vocabuli ſtrictior de jure naturæ nihil in re ipſa immutat, & conſenſu hactenus noſtro de ratione ſtatus, niſi quod eam et bonam facio et malam: nec ipſo invito; utramque verò *partem*, non *ſpeciem* condiviſam juris naturae. Syſtemata horum compendiorum vix alia quam poſtuma publicabuntur. Nec in ſchedis ſunt, ſed continuo textu mundè jam deſcripto, cui, quoties additur aliquid, continuo per amanuenſem mundè adſcribitur, aut inſeritur, aut mutatur. Eam etiam teſtamento meo legem editioni dicam, ut non ſperem, niſi Deo peculiari ex ratione aliud ordinante, inedita me defuncto diu manſura. Schedarum Jungianarum faſciculos ecce titulis ſplendidis, contentis pleroſque jejuniſſimis, conſtantes. E. gr. hiſtoria litteraria continet aliquot libros in nundinis emendos, aut nundinali catalogo promiſſos, cet. Ego jam tandem, combuſtis omnibus melioribus, in teſtamentariorum etiam Jungianorum numerum allectus, decrevi adſcripta, ſi quando editor inveniatur, publicare. Sed ægrè tam parum lucroſis ſumtus a bibliopola impetrantur.

Ad diætam quod attinet meam, ea in ſolo lactis vaccini boni uſu pro potu & cibo conſiſtit, aut ex ubere, aut igne calentis, non cocti, ſine ullo additamento. Eam nunc ſeptennio pene integro ſervavi, & primo quidem trimeſtri adeo ſtrictè, ut neque buccellam panis addiderim, adeoque phyſicè cognoverim, quod non ſolo pane vivat homo. Inde panis

Digitized by Google

buccellam intrivi in prandio & cæna: jentaculo & merenda pura retenta. Tandem ova & farinacia ac crimnacia incocta lacti, & placentas, teganites (*Pfannkuchen*), & belloria: poſt annum, quando placuit, piſces & carnes, ſed rarius, addere cœpi. Semel tamen diebus 15. fere mane ac veſperi in horto, ſtudiis abſtinens, & motu corporis continuo quotidie me exercens, omnia, quæ matri & commenſalibus ejus apponebantur, una comedi citra noxam. Totis illis ſeptem annis recidivam arthriticam ſenſi nullam, niſi quod, finito primo ſemeſtri, paſſulis majoribus alvum ciens, aliquoties octiduo inde iterum decubui, ſed doloribus exiguis. Semel ex alio errore diætæ ad horas duas acri dolore ſum afflictus, quem maceratis lacte meo floribus ſambuci mox ſedavi, & alvo per ſuppoſitorium ſubducta, quam movere tartaro vitriolato fruſtra tentans malum hoc maximè procuraveram, alias tamen jam imminens ex errore plus quàm uno diætæ. Ceteroqui duritie alvi continua, ut ante curam ſuſceptam plerumque jam affligebar, ita exinde multo magis ſum vexatus, quæ in dolores capitis olim ignotos mihi planè vergit. Olim variis laxantibus infeliciter, nunc ſolis ſuppoſitoriis & clyſteribus feliciter curatur ſatis æſtate hac: quid hieme futurum ſit, Deus noverit. Juſcula bubula, uti nuper ſcripſi, nunc demum uſurpari cœpta non multum continuabuntur, calefacientia nunc ſanguinem & ſitim inducentia; ſed ſtomacho læſo, quæ *Cicero* ad *Atticum* vetabat, ea mihi conducunt. Denique quo puriorem lactis ſolius uſum ſervo, hoc mihi & corpore & animo eſt melius. Quo minus id continuè ſervem, impedit officii mei ratio. Quo per loquelam nimiam ſæpe ſitis excitata, & fatigatio plus lactis requireret, quàm cui concoquendo ventriculus ſufficit. Inde juſculorum & cereviſiæ ſecundariæ aut decoctorum neceſſitas, quæ deinde aliam ciborum ſolidiorum poſt ſe trahit. Ceteroqui a lectionibus ferians & quieſcens alioqui plus ſolito, ut lacte ſolo poſſim nutriri, nil me felicius, nil ſapidius meo lacte, quod nulla diei hora ad nauſeam offertur, & capitur, quoties appeto, ita ut non faſtidiam, neque ſatiar, ſed in perpetua maneam appetitione ac nutritione per vices horarum quatuor aut circiter. Ecce rem totam, ſi tanti eſt.

Juridicam bibliothecam Gallicam nondum vidi. Tua quæ memoras, ſi vel commodato ad dies paucos habere liceret, oppido id mihi volupe foret. *Tſchirnhauſii* editio nova necdum mihi viſa eſt, &, niſi quæ nova memorabilia, quod negare videris, contineat, priora, ut verum fatear, parum me juvarunt. Non video, quid logicis addat novi; ea verò quærebam. Quod ad diſtinctionem notitiæ per imaginationem & intellectum, aut ego non capio eum, aut ipſe non præſtat promiſſa. Ceteroqui hanc diſtinctionem omnino cuperem probè noſſe. *Specimen dynamicum* non riſi, ſed ulterius declarari optavi. At nunc etiam magis invito de ratione commercii animum inter & corpus, quæ ſperare jubes. Mathematica reſumere non vacat. D. *Dartis* me convenire dignatus haud eſt. De Spenerianis conſenſio, & eccleſiæ vicem doleo. *Hamburgi d.* 8. *Auguſti* 1695.

(45.)

Digitized by Google

(45.)

LEIBNITIUS PLACCIO.

BEaſti me, quod ſignificas, curaturum te, ne via poſtuma edantur tua; ſed rurſus turbant, quæ de teſtamento ſcribis. Scis, neminem ultimæ voluntatis ſuæ meliorem eſſe curatorem ſe ipſo. Valetudini tuæ optimè ominor ex his, quæ ſcribis. Novi, qui cum alvi duritie ad magnam ſenectutem pervenere. Chocolaten quin ſis expertus, non dubito, ſed puto eam litterarum tuarum ſilentio damnari: Lacti tamen nihil aptius alias copulatur. An vacaverit tibi cum *Buſſingio* communicare, quæ de protogæis nuper ſcripſi; tum quid de iis ſentiat vir clariſſimus, ſcire pervelim, item quo loco ſint manuſcripta *Hinckelmanni* orientalia; ſed maximè, quid porrò moliare. Doleo, *Jungii* optima quæque periiſſe. Utinam vir ſummus magis elaboraſſet in ſtabiliendis propriis, quam diſcutiendis alienis! Miror, nihil pene medicum in ſchedis ejus reperiri, magno indicio, etſi medicinæ doctorem, de arte utcunque conſtituenda deſperaſſe. *Hanoveræ d.* 21. *Aug.* 1695.

(46.)

LEIBNITIUS PLACCIO.

Leibnitius Placcio *diſertè explicat, quibus in ſtudiis nunc occupetur.*

QUàm mirificè ſim diſtractus, dici non poteſt. Varia ex archivis eruo, antiquas chartas inſpicio, manuſcripta inedita conquiro. Ex his lucem dare conor Brunſvicenſi hiſtoriæ. Magno numero litteras & accipio, & dimitto. Habeo verò tam multa nova in mathematicis, tot cogitationes in philoſophicis, tot alias litterarias obſervationes, quas vellem non perire, ut ſæpe inter agenda anceps hæream, & prope illud Ovidianum ſentiam: *inopem me copia fecit.* Jam viginti & ampliùs anni ſunt, quòd Galli Anglique videre meum inſtrumentum arithmeticum, ſine exemplo novum, & a Neperiana rhabdologia, a Paſcaliana machina pariter & a Morlandiana toto cælo diverſum. Nam ſi numerum ingentem per alium ingentem multiplicare velis, tantum opus eſt toties rotam quamdam promota parte machinæ circumagere, quot ſunt notæ in multiplicatore. Et prodit productum omnibus numeris abſolutum, ita ut nulla additione intercalari ſit opus. Et ſive parvus, an magnus ſit numerus multiplicandus,

 non

Digitized by Google

non refert, cùm res eodem tempore in utroque abſolvatur. Ex eo *Oldenburgius*, & *Hugenius*, & *Arnaldus* me per litteras ſuas amicorumve hortati ſunt, ut artificii deſcriptionem in publicum proferrem; ſed diſtuli, quod ſpecimen machinæ non niſi exiguum haberem, ſufficiens quidem demonſtrationi apud artifices, ſed non uſui apud quoſcumque. Tandem, vocato ad me opifice, nec ſumtibus nec tempori peperci, donec rem ad perfectionem deduxi, machina confecta, in qua adſcendi poteſt ad numeros duodecim notarum. Annus eſt, quòd hoc ſum conſequutus; retineo tamen adhuc opificem, ut alias machinas ſimiles jam paret. Nam paſſim expetuntur. Deſcriberem libens peculiari diſſertatione, ſed tempus deeſt. Inprimis tamen & dynamicem curam abſolviſſe vellem, qua veras tandem naturæ corporeæ leges me complexum puto, ut problemata ſolvere poſſim circa corporum actiones inter ſe, quæ per nota hactenus præcepta non habentur. Amici, geometriæ interioris a me productæ conſcii, urgent, ut meam infiniti ſcientiam edam, qua noſtræ novæ *Analyſeos* fundamenta continentur. Nam matheſis univerſalis de quantitate in univerſum duplex eſt. Agit enim vel de magnitudine *finita*, & hoc facit analyſis vulgaris ſeu algebra, (vulgarem voco, quæ *Vieto* & *Carteſio* innotuit) vel de magnitudine *infinita*, ſed quatenus ejus ope finitæ magnitudines inveniuntur. Et hoc facit analyſis, cujus calculum ego produxi, quem *Hugenius* ipſe, quamvis maximus geometra, mirè probare cœperat, publicè profeſſus, eſſe multa tam profundè abdita, ut vix aliter obtineri poſſe videantur. Adde his novam, quam molior, characteriſticam ſitus, et alia multo adhuc generaliora de arte inveniendi. Hi tamen omnes labores mei, ſi hiſtoricos excipias, pene furtivi ſunt. Nam in aulis ſcis longè alia quæri atque exſpectari. Itaque ſunt interdum tractanda, quæ pertinent ad jura gentium, principumque imperii, in primis noſtri. Hoc tamen beneficio principis ſum conſequutus, ut pro arbitrio poſſim privatis litibus abſtinere. Curabo, ut ad te perferantur tentamenta ex imperato ſcripta περὶ τῦ βυσδοφόρυ judicii tui diſcendi cauſſa: nam ne hæc quidem te latenr. Interea & τὰ ἐριςικὰ tractanda perſæpe fuere cum Neoſtadienſi & Meldenſi epiſcopis, cum *Peliſſonio*, aliisque, qui cum moderationem magnam præ ſe tulerint, nihil viciſſim a noſtra parte humanitatis reliquum factum eſt, ſed in rebus ipſis cura opus fuit, ne quid res noſtræ detrimenti caperent. Et inſignes theologi meas meditationes non ſprevere. Quantum verò id mihi cumulum litterarum ac diſſertatiuncularum peperit, neque editarum licet, neque edendarum, dici vix poteſt. Hæc verò, alibi ferè diſſimulata, tibi, de cujus candore multum mihi polliceor, ideo ſcribo, ut faciliùs ignoſcas meditationem circa *Acceſſiones* tuas differre coacto. Do tamen operam, adhibito quodam juvene, ut nonnullæ meæ meditationes juridicæ in ordinem redigantur, quas tuo judicio ſubjiciam lubens. *Hanoveræ d.* 5. *Sept.* 1695.

(47.)

Digitized by Google

(47.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius *inter plura alia adjutorem ſe in* Theatro anonymorum & pſeudonymorum *nactum* Leibnitio *ſignificat*, *querulus in fine*, *& vitæ pertæſus.*

PRo donatis per Dn. *Hinüber* grates ſedulas ago. Quamvis enim a meis ſtudiis alieniora ſint; tamen in memoriam tui ſuaviſſimam & lecta & cuſtodita mihi erunt omnino. Lator earum obtulit ſeſe *Anonymis* atque *pſeudonymis* meis ordinandis, intra hebdomadas aliquot reverſurum & hic commoraturum. Si fecerit, liberabo tandem quomodocumque fidem meam publico, & bonis illis animabus, qui ſymbolas ſuas contulere. Quorum aliqui ſatis etiam moleſtè tulerunt, & adhuc ferunt, meam procraſtinationem. Illis ut ſatis faciam, qua poſſum, meque liberem hoc onere tam inconſulto in me recepto, quidquid ad manum eſt, ſine ulteriorum accumulatione, titulo *Apparatus*, in quarta, ut vocant, forma edere conſtitui, volumine ducentorum credo foliorum coërcendum. Quod Deus fortunet, ſi placeat, aut hoc, aut alio adjutore dato. Nam meas horas melioribus impendendas, & animarum culturæ dicatas, huc convertere, mihi quidem religio eſt, & fuit dudum: alias unius anni ſpatio ſatis certo rem confeciſſem. Interim doleo philoſophiæ meæ vicem, cui vacare adeo parum, & tibi, & aliis animabus eximiis deſuper imploratis, & ampliùs etiam, ni fruſtra id fore intelligam, implorandis, contingit: ut ſanè plus, quàm credebam, vero præſagio inſcripſerim titulo mearum *Acceſſionum* quod auditoribus meis præcipue ſolis ſit publicatum. *Teſmari* opus eruditum evolvi. Et ſanè non poſſum non tecum judicare, quod hic copia jam laboremus, & ad fontes ſuos revocare magis ea tantùm expediat. In quo utinam tua me ſollertia poſſet aliquid juvare! Quàm aulicis illis hiſtoricis occupari nimis video; nec tamen ullum, qui poſſet utilitate mea & publica majore. Saltem, quæſo, præfationem & lemmata capitum, ac libri aliqua tibi præcipuè inſpicienda, ut legas, deſuperque me tuis monitionibus inſtruas, ſine ut exorem. Quando adeo nemo hæc tuis oculis alius reſpicit. O! ſi vel unum ſolum haberem in hoc opere collegam, ſimili accuratione definitiones notionibus diſtinctis, & diviſiones membris philoſophicè diviſis, ac demonſtrationes inde theorematis, ſolutiones problematis ſolidas, mecum ſine honoris aut lucri ſtudio, ſoli honori divino & profectui publico meditantem. Quantum inde lætarer, & ingruenti ante tempus ſenio ſolatium invenirem!

Fuit hic apud me ante octiduum Dn. *Weigelius*, æquè tecum occupatus, adeo ut mea vel nec inſpecta illi moralia, vel admodum obiter,

 ani-

animadverterem. Quæ tamen cum examinatis mihi, poſt abitum ejus, ad ſcholam virtutum pertinentibus ſcriptis adeo conveniunt, ut ſatis lætari non potuerim, verum verò ita, ut *Ariſtoteles* ait, *συνάδειν*. Nempe tota mea *Therapeutica* ipſius exemplo hocce ſcholaſtico membratim per omnes partes illuſtravi; ejus verò exemplum ſimiliter ex meis univerſalibus, per omnia remedia & partes prudentiæ, methodum medendi conſtituentis, immò & diætæ moralis, quatenus ætatulæ illi accommodari potuit, ſollertia mirifica demonſtrari poteſt applicata. Nec intermittam hunc parallelliſmum propediem ſcripto concipere, ut theoriam meam ipſius praxi actuoſam reddi poſſe atque debere conſtet. Tu quid ea de re ſentias, & huc pertinens monere habeas, conſerre, quæſo, ne gravare. Quando ſumma totius emendationis moralis humanæ pendet ab hacce pueruli emendatione pædagogica & ſcholaſtica, aut inde, aut numquam habebimus, quod opponamus Jeſuitis, ad quos *Verulamius* nos remittit unicè, uno verbo: *abi ad ſcholas Jeſuitarum!* hanc rem omnem ita credens expeditam, in aliis tam operoſus, quæ longè minoris erant momenti. Sed quo rapit me hic zelus? Ad tuas revertar litteras. *Pennii* opus non vidi. Qualis ſit molis & formæ, loci, & anni, atque tituli, quæſo, expedi, ut emi vel hic, vel in Batavis poſſit. Idem de *Ketwigii* libro peto, interim de ſeparabilitate partium majeſtatis certiſſimus; ut ex *Juris* mei *naturalis* publici, vel typo hocce, patet *pag.* 196. & aliis locis multis. De Gudianis ubi reſcivero quid, primus ſcies. *Meieri de favore & odio* tractatum vidi, ut conjicio ante jam conceptum, quàm ideam inſpexerat meam. Alias credo minimum ordine meliori, & ad rationes collectaneis ſuis aſſignandas, accommodatiori paullo, tam disjecta compoſuiſſet. Interim ſi quando juſtum, ut promiſit, opus ſit daturus; hæc emendari poterunt omnia, &, ſi velit, etiam meis collectaneis, & diſputationum integrarum eo pertinentium multarum indiciis & ulterioribus meditationibus adjuvari. Nam hactenus quidem, ut rectè ſcribis, coloribus ſolis mea lineamenta, non corporis ſubſtantia & ſucco nervisque ſunt inducta, uti vellem, & expediret. Juris gentium definitio tua, qualis in *Actis eruditorum*, omine bono mox ante meum *Jureconſultum* opus tuum recenſentibus, quod ipſum nondum eſt ad manus, exhibetur, utique mihi probatur. Et miror, in definitionibus tuis cenſurandis, adeo *Thomaſium* ſuam oſtentare tibimet adeo ipſi hoc in genere ruditatem audere. De ipſius pietate dicam? an pietiſmo multa mihi referuntur, quæ cum inter ſe non conciliare, & multo minùs etiam cum ſcriptis ejuſdem valeam, incertum me relinquunt, & optarem, optima eorum aut vera jam eſſe, aut propediem fieri. De *Bibliographia* mea *juridica* res deſperata eſt: dudum id propoſitum abjeci. Qua mole futura ſint *Anecdota* tua, quorum titulum accepi, ſcire aveam. Nunc ad ſuperiorem epiſtolam tuam venio, cui adhuc reponere aliqua me debere mones, nempe de ultima voluntate mea circa manuſcripta puto rem ita conceptam, ut, niſi Deo evidenter renitente, non poſſit eludi. Eo
aliter
Digitized by Google

aliter volente, fiat de illis idem, quod de Jungianis & Vagetianis, atque Vogelianis. Interim eorum errores quæſivi præcavere. Vitam longam ex alvi ſiccitate quod prænuntias, non lætor. Ex ſola obedientia vitam hujus ævi protrahens, alias cum gaudio emigraturus majore, quàm manſurus. Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto! Nec puto, me lætius nuntium ullum aliud exſpectandum habere. Interim continuabo labores hoſce frivolos & ærumnoſos, ut par eſt. Chocolata numquam auſus ſum uti, quando & aromatica, & dulcia omnia, poſt vinum & vinoſa, nocere comperi. Galli illius jus in naturalem ordinem redactum rectè negas. Tot ibi ſunt hyſtera protera, quot capita ferè, ac membra. Mathematicis vacare mihi vel horulam ultra non licet. Cum Dn. *Buſſingio* quo minus quidquam agam, obſtant collegia nimis numeroſa mea, & ipſius, inſuper etiam tot mille animarum curis ſociata. *Hinckelmanniana* orientalia emtorem adhuc præſtolantur. *Jungius* in ea erat ſententia, quòd in phyſicis ultra doxoſcopias adhuc progredi nondum liceret ob experientiarum defectum. Hæc ſunt ad utraſque tuas, quæ nunc habeo. Quod ſupereſt, vale, & favere perge. *Hamburgi d.* 12. *Febr.* 1696.

Eſt mihi apud Dn. *Bailletum* repoſitus faſciculus librorum donandus, ut ipſe ſcripſit, ante annum jam, & quod excurrit, fruſtra concionatori aulico Danici legati perferendus oblatus. Eum an ulla ratione ad me ut perveniat juvare poſſis, ſcire cupiam. Nec minus, an meas ad ipſum *Acceſſiones*, vel, ſi minus hoc queat, aliqua minoris molis, vel ſolas tandem litteras, ita, ut reſcire queam certo curatas, promovere queas. Poſterius hoc etiam de meis *Acceſſionibus* vel minoribus ad Dn. *Magliabeccum* habeo rogare, multo majori ſpe ac deſiderio: quandoquidem cum illo ſcio tibi adhuc continuari commercia. Utraque ad *Anonymos* meos facient auxilia, quæ ferre ne recuſes, vel publico etiam nomine eſt quod orem. Fac exorem, & vale iterum.

(48.)

LEIBNITIUS PLACCIO.

Leibnitius Placcium, *laudando libros ejus, erigit, ſuam juris gentium definitionem defendit, deque bono publico per emendatam juventutis educationem promovendo egregiè diſſerit.*

LÆtor, quòd Dn. *Hinüber* ſe adjutorem ordinandis tuis *Anonymis & pſeudonymis* obtulit. Si quid ad *Bailletum* ſcribes, litteras facilè curabo; faſciculos non æquè, niſi quis fortè hinc ad Gallos eat: quod rarum eſt. In Italiam ad *Magliabechum* faciliùs licet. Potuiſſem nullo negotio,

gotio, cùm hinc diſcederet ſponſa ſereniſſima Mutinenſis. Litteras interea ad utrumque ſaxo perferri, cùm miſeris.

Nolim me putes de præclaro labore tuo *Medicinæ moralis* ſentire tenuiter, aut non legiſſe, quin ſtricturas non dedi. Scilicet nemo eſt ingenio minùs, quàm ego, cenſorio. Mirum dictu: probo pleraque, quæ lego, etiam apud alios, nedum apud te. Mihi enim, gnaro, quàm variè res accipiantur, plerumque inter legendum occurrunt, quæ ſcriptores excuſant, aut defendunt. Ita rara ſunt, quæ mihi legenti diſpliceant; etſi alia plus aliis placeant. Tua verò præ multis aliis ſemper magni feci, nec, quod culpem, temerè occurrit. Neque enim culpandum eſt, quòd exempli cauſſa jus naturæ ad conſortia hominum reſtrinxiſti; etſi ita tradi poſſit, ut omnes ſubſtantias ratione utentes comprehendat, inter quas commercium intelligi poteſt, arbitrerque, regulas juris naturæ etiam inter Deum & homines valere, & valde falli, quibus illud Ovidianum in ore eſt: *ſunt ſuperis ſua jura;* aut qui crudiùs ſentiunt de divina reprobatione. Sed tibi licuit contrahere argumentum etiam invidiæ vitandæ cauſſa, cùm theologi ſibi doctrinam vindicent de jure Dei. De definitionibus meis juſtitiæ, caritatis, cet. quid ſentias, intelligere pervelim; quamquam non videantur, niſi fortè in verbis aut formulis, abhorrere a tuis. Dn. *Thomaſium* audivi non probare meam notionem juris gentium; ſed ignoravi, quod ſignificas, publicè judicium ſuum interpoſuiſſe, &, ſi verba ſunt ad manus, communicari mihi peto. Neque enim frequenter video, quæ in Academiis eduntur; tametſi non putem, niſi λογομαχίαν fore. Nec video, quid prohibeat conſuetudines plurium gentium annotare, quas vim juris habere arbitror, non minùs quàm in civitate mores ſtatuto æquantur. Atque hæc adeo vera puto, ut ea quoque, quæ recepta patent inter gentes circa publica cujuſque populi jura ſeu communia jurium publicorum quæ ſunt apud diverſas gentes, ad jus gentium referam. Nam jus publicum eſt inter eos, qui partes in eadem re publica capiunt de jure ſummæ poteſtatis. Et *Grotius* quoque de ſucceſſionibus regnorum tractandum ſibi putavit, tamquam ad jus gentium pertinentibus. *Wilhelmi Pennii* libellus in octava eſt forma, & *Itinerarii* titulum præfert: *Keturigii* aliquot tantum plagularum ſchediaſma eſt.

Sed venio ad res majoris momenti. Mirificè probo atque exoſculor zelum tuum pro publico bono, in quo auſim dicere, me nemini mortalium concedere. Nec puto quemquam umquam me intentius cogitaſſe de hoc argumento. Incredibile eſt, quàm multa etiam miſerim ſubinde in ſchedas hoc unum. Et ecce hic breve ſcriptum, quod aliquando in gratiam Angli non malè animati, Gallica lingua deproperavi. Itaque tu cum præclaro viro, *Erhardo Weigelio*, de optima ardentiſſimaque voluntate mea dubitare non debes; quamquam hæc non tibi minus, quàm illi, nova eſſe putem. Certè *Weigelius* numquam ad me ſcripſit, niſi cùm quædam apud noſtros curare volebat, quæ non admodum cohærebant melioribus illis

Digitized by Google

illis curis (*e*). Unde ſatis intellexi, me ipſi exotericum videri: ſcilicet qui me non niſi editis novit, non novit.

Cogitanti mihi de rationibus procurandi publici boni, ſuccurrit ſanè, quod vos quoque rectiſſimè judicatis, emendatum iri humanum genus educatione juventutis in melius reformata. Sed huc facilè perveniri, niſi per eos, qui & auctoritate, & rerum notitia, & præclara voluntate præſtant, non poteſt. Jeſuitæ poterant res magnas gerere, præſertim cùm conſilia eorum a religione commendarentur. Sed, quantum hodie apparet, infra mediocritatem ſtetere, ut *Verulamium* valde falli putem, cùm illuc tantum ablegat. Noſtris talia molientibus non eadem auxilia adſunt, & pro labore contemtus redditur. Et cum nihil ſit majoris ad religionem pietatemque momenti; tamen nec favor a pietate, nec reverentia a religione præſto eſt. Sæpe cogitavi, poſſe ſocietatem iniri inter eos, qui paſſim zelo ſcientiaque commendantur. Sed notitia nexuſque deeſt, & multi opinionibus quibuſdam dediti vellent omnes alios ſuo palato ſapere. Alius ſtudia ſpernit, aut ſpiritum jactat; alius millenarium regnum credi jubet; eſt, qui neminem putat pium eſſe, niſi exeat Babylone, id eſt, ſingulare ſequatur vitæ genus. Ita miſerabili errore, eadem expetentes, tamen ſibi mutuò obſtant, cùm magnam partem votorum conſpirantes obtinere poſſent. Putavi per gradus iri poſſe, ſi doctrinæ ſolidioris cauſſa prima fundamenta jacerentur, paullatimque conjungeretur ſapientiæ ſtudium & virtutis, innecteretur juventutis cura, emendatioque ſcholarum; & mediocribus initiis non defutura eſſent legata & fundationes ad cauſſas tam pias. Sed multa verſando deprehendi, vix vel aditus primos dari, niſi accedat auctoritas magnorum virorum. Duo Principes mihi cogniti fuere, quibus aliqua inſinuaveram, audita ipſis non ſine applauſu, *Joannes Philippus*, Moguntinus Elector, & *Joannes Fridericus*, Brunſvicenſium Dux; ſed præclara agitantibus mors interceſſit. Et ſucceſſere tempora, ubi etiam magnates ad anguſtias ſunt redacti. Itaque crevere difficultates. Nec tamen deſperem, rationes poſſe excogitari commovendis Principibus etiam propriæ utilitatis reſpectu. Quod primum nobis quærendum eſſet, notitia foret virorum egregiorum, qui conſilia ſociare poſſint. Sed magna cautione opus eſt, ne optima inſtituta contemtui exponantur; quo nihil etiam in futurum pernicioſius eſt, dum nemo audet renovare, quæ ſemel non ſuo merito, ſed culpa vel infortunio auctorum pro damnatis habentur. Ceterum hæc tam liberè non niſi

(*e*) Exempli cauſſa: anni ſunt aliquot, cùm per me globos heraldicos hic commendari voluit. Feci, quantum res poterat ferre, & laudavi apud principem & miniſtros; ſed magnum applauſum nec ſperare potui, nec exigere apud viros prudentia egregios, qui facilè judicabant, nihilo faciliorem reddi aſtronomiam mutatis aſteriſmis, & alias gentes, ne quid de poſteritate dicam, noſtris legibus non ſtaturas. Cùm res non ſucceſſiſſet, ſtatim abruptum commercium eſt. Unde facilè judicavi, quid illi de me videatur. *Leibnitii Additio.*

Digitized by Google

tibi ſcribo; ſcio enim, eos, qui prudentiæ opinionem affectant, irridere, quidquid rebus in melius novandis agitatur, niſi cenſum inde augeri putent: & nullam eſſe certiorem rationem, res optimas in nihilum redigendi, quàm ſi temerè ſpargantur, compareantque loco non ſuo. Interea cùm non dubitem, Dn. *Weigelium* reducem tecum porrò communicaturum, percurreritque ille non contemnendam Germaniæ partem; des, quæſo, operam, ut ab eo velut per ridiculum intelligas, quoſnam repererit inſtitutis laudabilibus faventiores, quibuſcum utiliter de rebus in commune profuturis conſultari poſſit. Vale. *Hanoveræ d.* 21. *Febr.* 1696.

(49.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Conſentit Placcius, *ſed principum & magnatum interventu ne quidem opus eſſe, quodam exemplo demonſtrat.*

INæſtimabilis eruditionis & prudentiæ benevolentiæque erga me tuas plurima cum jucunditate perlegi, relegi, nec differre ſuſtineo reſponſum, nullis aliis lubentiùs a me impertiendum. Quod ut partite maximè præſtem, de Dni. *Hinüber* indole ac moribus velim explorata ſi q æ habeas, ſcitu mihi, ad eos, quibus deſtinabitur, uſus, profutura, ne diſſimules, immò ut explorati quid habere poſſim, allabores. Nec enim aliter ex voto inſervire mihi poſſit, quàm ſi ſcrinia ipſi mea cuncta pateant, abſente ſæpe per dies pluſculos, immò hebdomadam plus quàm unam, æſtate, feriarum puta temporibus, hortulante me ac ruſticante futuro. Neſcio ſanè quid ominis in hoc ponam, quod litteras haſce nuperas meas, cum perferendas tibi recepiſſet, neque conſtituto tempore petiiſſet, traditas tabellariorum tabernæ, ipſe a magiſtro tabellionum auſu proprio repoſcere ſuſtinuit, ac id factum ipſe mihi ſignificare. Quod etſi magis in datore mirer, qui neſcius ſanè, quanti mea intereat id minimè fieri, tamen habet aliquam etiam ipſius petentis neſcio quorſum interpretandam audaciam. *Bailleto* non, antequàm de progreſſu *Anonymorum* meorum, aut occaſione *Acceſſiones* meas una mittendi quid habuero certi, facilè ſcribam. Nec *Magliabeccho* ante, quàm faſciculus, utinam *Jureconſultum* & *Acceſſiones* meas complectens, certè aliquis ejus, quam ſtatueris ipſe, molis una tranſmitti poſſit. Unde horum a tua benevolentia ſignificationes ſuo tempore præſtolor. Tenuiter ut ſentire te de meis tot annorum cura elaboratis, toties tecum ſermone collato memoratis & approbatis opuſculis, ut ſuſpicer, neque tuus candor, neque philautia mea umquam permiſit. Occupationibus illis, a philoſophiæ hac parte alienis, iraſcor interdum, quod tantopere te, alioſque

que mei monitores, occupent: te verò maximè, qui ſanè, mathematicis illis abſtruſioribus, quæ non capio, ſemotis, de cetero poſſis idem de me prædicare, quod Apoſtolus de ſuo *Timotheo*: neminem te habere magis ἰσόψυχον, qui γνησίως publicum bonum litterarium μεριμνήσει. Vel adjuncta tua Gallica charta, & de jure naturæ acceptione monitio, hujus rei evidens præbet documentum. Poſterioris enim *Ethicorum pag.* 337. in calce vide quæſo, an non §. 17. prorſus expreſſum habeat conſenſum. Prioris verò ſententiæ plus quàm decennio abhinc in meis *de ratione ſtatus rei publicæ litterariæ* diſſertationibus, inter edenda memoratis, indiculo libellis meis omnibus non alia mente jungi ſueto, pluſcula delineavi: quæ ſuperiori etiam anno Verulamianis commentariis, ut adjuncta, copulavi, quando eorum editionem in folio, nuperæ operum illuſtris viri recuſorum ſociandæ offerebat nonnemo, poſtea levitatis nimiæ compertus bibliopola, quam ut manuſcriptum ei committere ſuſtinerem, cujus exemplum habebam aliud nullum, & præcipua tantùm non omnia, præter acceſſionum ſyſtemata, inſtar additamentorum ſuccenturiaveram. Ibi ſocietatum aliquot adeo ineundarum planè typos & ideas adumbraveram, & maximè primæ omnium ineundæ, ad quam tot collegia, vel viri ſinguli laborioſi ſponte nunc inclinant, hiſtoriæ litterariæ, ut quid haberemus jam, aut nanciſceremur quotidie bonorum librorum, & noviter repertorum, in memorias accuratas, ordinate, non, uti nunc, tumultuarie, de omnibus aliquid, de toto nihil, de multis ad nauſeam iterata fortuitis deſignationibus aſſervarentur, ſubpartite penſis & invicem collatis, deinde ac repetita luſtratione digeſtis bibliothecam verè univerſalem, omnibus modis ad omnigenos uſus futura ſupellectili, omnibus ad manum poſita inſtructum penuarium, promtuarium, armamentarium, & quid non? exhiberent. O utinam de talibus ſaltem amplius inter nos conferre nobis liceret! Interim vel hinc vides, quam non correctoriæ & contradictoriæ ſolæ ſtricturæ, ſed maximè amplificatoriæ cœptorum, & confirmatoriæ mutuæ exigantur ac proſint. Has ſolas, ſi tantopere ab alteris tua te arcet modeſtia, impertire, ut cœpiſti, perge. Tui de juſtitia & charitate conceptus re ipſa nihil a meis iterum abeunt; expreſſione verò convenire ſemper, nec opus eſt, nec poteſt. Thomaſianum publicum de tua juris gentium definitione nullum ſcio; nec volui, quando tibi de privato, cujus ipſemet indicium faciebas, reſpondi. De Weigelianis omnino, quidquid potero, explorare conabor, & doleo, non ampliùs in ore famæ tantum eſſe conatum, a cujus ſucceſſu tota poſteritatis emendatio pendet. Quæſo, ni legiſti, lege quantocyus relationes aliquot de cœpta jam abhinc duodecim annis privatim cum denis pueris bimulis ac trimulis ſchola, quæ nunc ad publicam trium, ut audio, claſſium in ædibus ipſius continuata & aucta, quomodo in univerſalem ſenſim abire poſſit executionis facillimæ conſilio Germanico eſt delineata. Si nempe monentibus præſentibus ludimagiſtris inſtructæ ab ipſo claſſes infimæ ſolæ ſuccedant, ſenſim addendis dein etiam ſupremis. Nec opus hic erit magnati-

bus, aut ſumtu magno. Cuilibet pauci privati ſuis liberis conjunctis ſufficerent, beandis in exemplum & æmulationem reliquorum, ni deſperent, certam. Hæc res ſponte ſua fieret publica, & ab ima plebecula vel pauperrima invaleſceret, ut exſtirpari non poſſet ampliùs, ſed vel invitos aut adigeret ad aliquam certè conſenſionem, aut tolerantiam magnates, æquè ac fecit religio Chriſtiana, a nullis minùs, quàm magnatibus, cœpta, ægrè admiſſa & recepta. Unus ſuperintendens aut rector ſcholæ, ſeriò volens & valens, integræ civitati aut provinciæ ſufficeret. Ac aveo vehementer ex reduce *Weigelio* modos agendi ſuos cognoſcere, ut intelligam, qui fiat, quod magis non profecerit, nec plures ejus generis alibi ſcholas erigendas perſuaſerit. Quod, ni omnia me fallant, hic Hamburgi non erit adeo difficile, ubi pro derelicta pene eſt res ſcholaſtica, & nullus non advena, incertum, cujus moris, aut animi, vel religionis, ſæpe trivialem erigit ſcholam. Quiſque domi ſuæ civis ſuam tuetur ab omni viſitatione parochorum immunem. Unde quid non tam opulentis vel ſingulis, nedum paucis ſymbolam conferentibus, ad hoc inſtituti exempla danda liceat. Niſi fortè minùs ad bonum, quàm malum, & hic liceat, nihilque minus ſit impune, ut aiebat aliquando beatus noſter *Hinkelmannus* paſtor, quàm eſt ſtrenuè pium, & promovere pietatem quoque puerilem. Cujus quam admiranda compendia & ſubſidia ſubminiſtret Weigeliana ſchola, vel ſola illa relatio anonymi I. M. P. P. *in dem Wieneriſchen Tugend-Saal*, 8. *Nürnberg* 1687. *p.* 100. *& ſeqq.* probat. Qua, quæſo, lecta mentem tuam uberius expone, ſi me, ſi publicum amas, uti ſanè ſeriò te facere utrumque credo, immo ſcio. Ita deinde ſpecialiora etiam ſuper hac re conſilia poterimus conferre. Et ſanè non habeo, cum quo malim. Ego meum *Paralleliſmum* pene jam abſolvi; & nihil video prætermiſſum magni momenti, multa ultra ſpem applicata feliciter, ſiquidem relata reſpondent vero ad unguem. Certè applicatu facilia video ſingula & univerſa; pauca dubia, & de quibus ultra ſit percontandum & ſtatuendum. Vale. *Hamburgi d.* 26. *Febr.* 1696.

Manuſcripta Hinkelmanniana, de quibus nuper quærebas, junctim venalia bis mille imperialibus aſſervantur. Manuſcriptum tuum occaſione proxima remittetur. Vale iterum.

(50.)

LEIBNITIUS PLACCIO.

Cogitationes de juvandâ Republicâ per profectum ſolidæ doctrinæ.

PAullo diſtractior indies reſponſum diſtuli; etſi nihil mihi ſit gratius, quàm de rebus profuturis tecum conferre, cujus ſenſa meis reſpondent. De Dn. *Hinüber*, ut hoc primum abſolvam, ita exiſtimo, & poſſe ipſum

ipſum præſtare aliquid, & velle. Amicus Hildeſienſis, a quo mihi commendatus fuit, teſtimonio eum ornavit honorifico, & cùm ipſe coram non imminuerit conceptam opinionem, putaverim, exſpectationi quoque tuæ reſponſurum.

Cùm occaſiones mittendi aliquid in Italiam præterierint, exſpectandæ ſunt novæ; neque negligam ego ſignificare, ſi quid ſeſe obtulerit.

Nunc ad caput rei venio, cogitationes ſcilicet de juvanda re publicâ per profectum ſolidæ doctrinæ. Equidem ita ſentio, ſi homines præclaras veritates ac profuturas intelligerent, atque in oculis haberent, haud dubiè etiam vitam doctrinæ reſponſuram. Nunc recitant rectè dogma potiùs, quàm capiunt, cùm fontes ipſis non ſint aperti, & quod non capiunt, nec curant. Pleroſque video magis hiſtoricis narrationibus, quàm rerum rationibus delectari, in quibus tamen ſolis animi perfectio conſiſtit. Interim cogimur accommodare nos humanæ imbecillitati, & utilia jucundis condire. Itaque fateor, valde profuturam hiſtoriam litterariam, ſed quæ non tantùm hiſtoria hominum abſolveretur, ſed daret progreſſus quoque cognitionis noſtræ. Cogitavi aliquando de cimeliis nonnullis litterariis publicandis. Habeo enim quædam inedita *Galilæi*, *Carteſii*, *Campanellæ*, *Valeriani Magni*, *Paſcalii*; quibus fortaſſe non inutiliter adderentur Jungiana quædam. Nam *Jungium* nullo illorum inferiorem cenſeo. His adjungerem animadverſiones quaſdam in *Vitam Carteſii*, a *Bailleto* editam. Videram dudum compendium ejus, quod ferè ſolum ad has oras pervenit: ſed nunc nactus ſum ipſum opus majus redemtum ex bibliotheca Hugeniana in Batavis vendita, cui ipſe *Hugenius* quædam notatu digna manu ſua appinxit. Video *Bailletum* quædam in librum ſuum ex epiſtola mea ad amicum, *Bailleti* nomine rogantem, Roma ſcripta, tranſtuliſſe, mentione etiam nominis mei facta; ſed non ea ingenuitate uſum, quæ conveniebat veritatis magis, quàm *Carteſii*, amico. Nam ea tantùm retulit, quæ in laudem *Carteſii* dixeram, ſuppreſſis nævis, quos notaram. Cogita, quæſo, quidnam inter Jungiana breve & ſelectum addi poſſe commodè putes.

Nihil utique utilius eſt, quàm eruditos coire in ſocietates. Optandum eſſet, unam eſſe univerſalem, ſed velut in collegia diverſa diſtinctam. Tanta enim eſt inter ſe connexio diverſarum eruditionis partium, ut non magis, quàm mutuo conſenſu & conſpiratione quadam juvari poſſint. Sed quando vix eſt, ut ſperari nunc tale quiddam poſſit, niſi major accedat auctoritas, contentos nos eſſe oportet diverſis ſocietatibus, quas tandem ipſa rerum ratio connectet. Itaque vellem collegium, hiſtoriæ patriæ illuſtrandæ deſtinatum, urgeri a viris doctis paullo excitatius, quàm fieri video. Dn. *Ludolphus* præſes queritur, collegas per varia diſtractos, non ſatis de collegio cogitare. Suaſi, ne ſtatim ad elaborationes properarent, ſed potiùs apparatum pro ſuo quiſque modulo conferrent. Multa obtuli de meo, cùm faveat iis ſtudiis aula noſtra.

Maximam partem eorum, quæ edidit aut præſtitit Dn. *Weigelius*, vidi,

vel probo. Ita eſt, ut ſcribis: non opus eſt neceſſario magnatibus ad emendationem educationis; ſed ſufficerent privati conatus, ſi modò adeſſent juvenes ingenioſi, docti, pii, laborioſi: addo & externa quadam ſpecie atque eloquentia validi, qui ſi tales ſcholas aperire vellent, quales optamus, haud dubiè mox in ſe omnium animos converterent. Sed ſi qui tales ſunt, malunt plauſibiliora agere. Apud pontificios ſcholæ etiam triviales religionis auctoritate commendantur, apud nos ſumma injuria, ne dicam ſtultitia, contemtæ, ac pene ſordidæ habentur. Ut niſi quis ſingulari quodam zelo, & impulſu ſuperiore huc feratur, vix ſit in tale ergaſtulum deſcenſurus. Tales igitur juvenes quærendi ſunt, nec deſperem poſſe reperiri, præſertim in Academiis, & in magnis urbibus. Inter infelicia bonorum conſiliorum impedimenta etiam pietiſticas lites refero, quæ faciunt, ut innocentiſſima etiam ſuſpecta habeantur.

Scholam virtutum Viennenſem habui; nunc habeam, nec ne, incertum eſt; hactenus enim fruſtra quæſivi in librorum indigeſtorum maſſa.

Fuit hic per dies aliquot *Franciſcus Mercurius Helmontius*, cum quo mihi fuere quotidiani ſermones. Præclarè animatum reperio ad juvandum publicum, ſupra quam facilè credas; tametſi paradoxa ejus in iis rebus, quibus theologia miſcetur, ſeponam. Is in juventutis quoque profectibus augendis, & variis artibus atque doctrinis egregia monere poteſt. Promiſit ad nos in reditu reviſere. Cum Electrice noſtra, maximi ingenii Principe, multa illi neceſſitudo ab antiquo; Nam ante multos annos apud Electorem, ejus fratrem, Heidelbergæ quotidianus fuerat. Sed & mihi cum eo notitia fuit inde ab anno 1671. cujus probè meminerat ipſe. Toto pene tempore, quo hic fuit, quotidie hora circiter nona matutina in Electricis conclavi convenimus, quo tempore nondum aliis aditus datur, &, ipſa præſente, de variis rebus ſumus collocuti. Solet ille ſua per miras ambages dicere, eamque ob rem paucis auditoribus intelligebatur; mihi verò, quò tenderet, facilè proſpicienti, jucunda ejus conſuetudo fuit. Sed gravis ætas viri facit, ut valetudini ejus timeam, tam incommodo tempore iter facientis. Nam ab octogenario non multum abeſt. Sulsbacum ire ſeſe dictitabat ad viſendum Principem, veterem amicum, a quo fuit invitatus. Multa ipſi illic cum *Knorrio Roſenrothio* familiaritas fuerat, cancellariæ principalis directore; ſed jam defuncto: viro in omni doctrinæ genere, ipſiſque Judæorum interioribus egregiè verſato, quod *Cabala denudata* oſtendit. Cùm Sulsbaci tranſirem, monſtravit mihi librum a ſe compoſitum, titulo *Meſſias puer*, in quo Chriſti nativitas & pueritia ex Hebræorum doctrina illuſtratur. Sed de his nunc quidem ſatis. Vale & me ama. *Dabam Hanoveræ d. 27. Martii 1696.*

(51.)

Digitized by Google

(51.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius *laudat Jungiana, ſpretis Helmontianis & cabbaliſticis.*

RESponſurus ultimis tuis, remitto commodatam diſſertationem cum gratiis, & auctario levidenſi amanuenſis mei, Roſtochium propediem migraturi. Quem, ut vides, in logicis Jungianis ita exercui, ut alios docere cum fructu poſſit. Illius *Jungii* aliqua cimeliis tuis inſerere ſi volueris, nil erit dignius ejuſdem *noëmaticis definitionibus & diviſionibus*, cum cura ſumma elaboratis, & folia pauca conficientibus. *Ethicæ* quoque pauciſſimorum foliorum diſputationes adſunt; ſed non æqui valoris. Reſponſio ad limam *Scharffii* non eſt penes me; ſed ab amico impetrari credo poſſit. Sunt alia parvæ molis edita, æquè ac ſi non edita eſſent, combuſtis nempe pleriſque omnibus exemplaribus, aut perpaucis ab initio impreſſis, adeo ut vix exſtent. Id quod de *Geometriæ* ipſius *empiricæ* foliis Germanicè verſis, quæ cum *Fogelii* bibliotheca ad vos pervenere, dictum etiam volo. Quorum aliud exemplum nullum exſtare putem. Dni. *Weigelii* reditum huc avidus exſpecto. Ex cabbaliſticis *Helmontii* & *Knorrii* ego fateor me parum aut nihil proficere potuiſſe. Non video fundamenta illius rei ſolida ulla. Opinionum verò & placitorum arbitrariorum plus nimis eſt ferax imaginatio humana. Utinam iis relictis ad ἐπιδόσεις τῶν τεχνῶν accuratas tandem accingerentur philoſophi omnes tecum, & cum ſimilibus tui, quos veneror. Vale. *Hamburgi d.* 11. *April.* 1696.

(52.)

LEIBNITIUS PLACCIO.

Leibnitius *diſputationes in forma inſtitui optat*, *Helmontiana non ſpernit*, Jungii *ſtricturas in* Carteſium & Hobbeſium *deſiderat*, *nec non per* Brandium *peregrinatorem linguarum Tartaricarum ſpecimen.*

CUm valetudinis potiſſimum cauſſâ per aliquot ſeptimanas Hanovera abſuerim, ſerius tuas accepi cum adjuncta *Socratis apologia contra Cardanum* non contemnenda, quam juvenis tibi aliquamdiu domeſticus ſcripſit, pro qua gratias ago. Analyſis illa logica orationis Cardanicæ mihi per-

perplacet, nec illis aſſentior, qui talia parvi faciunt. Expertus ſum, quantum uſum habeat forma logica in controverſiis finiendis, & miror, uſque adeo inuſitatum eſſe ejus uſum, adhiberique, ubi exitum habere non poteſt; ubi verò poſſet habere, non adhiberi. Nam cùm viva voce concertatur, vix fieri poteſt, ut diu ſervetur formæ rigor, tum ob tædium, tum verò maximè, quod totam illam catenam longiùs productam animo bene retinere difficile eſt. Itaque plerumque poſt unum proſyllogiſmum, in liberam denique confabulationem abire ſolent diſputantes. Sed ſi ſcripta ultro citroque miſſitantibus formæ leges ſeveræ obſervarentur; non ingratum, nec difficile foret, mittendo remittendoque ſyllogiſmos & reſponſiones, tamdiu reciprocare ſerram, donec vel confectum ſit, quod probandum erat, vel nihil ultra habeat, quod afferat, argumentator. Cui tamen rei in praxin transferendæ multa adhuc obſervanda eſſent, quæ vulgo non ſatis conſtituta habentur, quorum potiſſimum eſt a JCtis mutuandum: quod ſæpe in materia, præſertim concreta, rationis eſt, reſpondentem fieri opponentem, & contra; quemadmodum cùm reus exceptione oppoſita onus probandi in ſe transfert. Et videtur mihi ipſe *Jungius*, qui tamen in eo genere alios omnes ſuperavit, nondum ſatis hæc abſolviſſe. Ego certè legitimam diſputandi formam appellare ſoleo *judicem controverſiarum*, & hominum negligentiam miror, qui certis rationibus exeundi ex tot labyrinthis, quas in poteſtate habent, non utuntur.

Ego *Franc. Mercurium Helmontium* & *Knorrium*, Sulsbacenſem, non a cabbaliſticis ſuis meditationibus, ſed aliis multis rectis, ut mihi videtur, ſententiis, & notitiis apud te laudavi. Atque ita factus ſum, ut ubique quæram atque animadvertam potiſſimum, quod laudem, quam quod reprehenſionem meretur.

Noëmaticæ *Jungii* diſputationes haud dubiè egregiæ ſunt, ut ejus viri omnia; neſcio tamen, an non e re potiùs futurum ſit, dare aliquid, quod magis ſit ad plauſum captumque vulgi, veluti, ſi ſupereſſent, quæ in *Carteſium* & *Hobbium*, & alios tales notavit, & quædam matheſeos mixtæ. Dn. *Weigelium* aiunt in Sueciam uſque ire conſtituiſſe. Succeſſus ei felices precor. Nam non tantùm optimè animatus eſt; ſed etiam multa præclara monet, quæ utinam ſatis audiantur! Puto, viſam tibi Dn. *Nicolai Witſen*, conſulis Amſtelodamenſis, *tabulam Tartariæ magnæ*, vel orientis ſeptentrionalis. Ea ſanè præclara eſt, & multa nos prius ignota docet. Ut tamen non poſſunt omnia uno ſtatu confici, ita aiunt, Lubecenſem quemdam, Dn. *Brandium*, ex China & Moſcovia reducem, non pauca notaſſe, in quibus locorum ſitus viſus eſt a tabula illa diſcrepare. Ea ſi diſcere liceret favore tuo amicorumve, non exiguum in me beneficium collatum putarem. Vellem præterea valde noſſe, an non Dn. *Brandius* aliquid notaverit, aut cognoverit de differentiis linguarum, quas loquuntur gentes, per quas tranſivit. Nempe linguæ propriæ Siberienſium, Tingreſiorum, eorumque, quos *Bratzki* vocant, & ſimilium, tum Calmuckorum, Mugalenſium, & deni-

Digitized by Google

denique Tartarorum ipſorum, Sinæ dominorum, quænam ſint, & quo uſque extendantur. Quodſi ipſe Dn. *Brandius* per amicos ſuos, quos in Moſcovia aut Siberia, extremiſque Moſchici imperii oris habere poteſt, ſaltem Orationem dominicam linguis diverſorum populorum a Slavonica differentibus expreſſam cum verſionibus interlinearibus Slavonicis ſaltem vel Ruſſicis impetrare poſſet, non mediocriter obſtringeret rei litterariæ cultores. Nam ex linguis maximè gentium cognationes diſcuntur. Et in chartis ut imperiorum, ita & linguarum fines notari deberent. Vale ex animi ſententia, & fave! *Hamburgi d.* 19. *Maii* 1696.

(53.)

HINUBER LEIBNITIO.

Hinüber, *adjutor* Placcii, *de mandatis quibuſdam librariis rationem reddit* Leibnitio.

QUod dolorem tuum de valetudine mea teſtaris facis humaniſſimè. Te quidem benigniſſimum Numen incolumem velit eſſe, atque ab omni immunem ægritudine per omnem vitam, quam, ut totius litterati orbis intereſt, quàm maximè diuturnam eſſe, ita tuis, & ſic quoque, ſi pateris, mihi, conſervare eam velit quàm diutiſſimè. Nunc, quod devotiſſima laude creatori meo acceptum fero, bene rurſum me habeo, gaudeoque, occaſionem a te mihi ſuppeditari, qua aliquantum ſaltem tibi inſerviendi promtitudinem probare poſſim. Accipe igitur jam & ſcriptorum Dn. *Majoris* indicem, non plenum, qualem nuper de Reiherianis tranſmiſi, ſed ex potioribus magiſque exſtantibus collectum: accuratiorem tamen exſpectare me juſſit ſtudioſus quidam Kilonienſis propediem a ſe conquirendum. De eo nunc pariter, ut de Reiheriano catalogo, quid a me redimi pro te velis, mandatum tuum exſpecto. Quamquam omnia *Reiheri*, quæ excepta *Matheſi Moſaica*, deſideras, tam citò a bibliopolis, qui eadem ipſi prius coëmere neceſſum habent, mittere non potero, præſertim quod ad diſputationes, quarum nullam ſe curam habere poſſe tantùm non omnes aiunt; aliam rationem eſſe bibliopolarum, qui vivunt in Academiis, nec ab emtoribus juſtum pro illis pretium ſibi reddi. Illud reapſe comperi, bibliopolas hoſce præ academicis aliiſque in locis degentibus non paullo cariùs ſua vendere, idque etiam cum faſtu ac ſingulari morum auſteritate; quamquam vix mercatorum aliquis eſt, ſi ſit paullo ditior, qui ſe talem non præbeat. Quare facias, ut proximè ſciam, veliſne tibi Reiheriana ac Majoriſtica a me mitti ſingulatim, uti eadem adipiſci poſſum, an differre tranſmiſſionem, uſque dum coëmerim vel omnia, vel multa ſimul. Dn. *Majoris Cimbriam*, quæ cum his litteris ad te jam perfertur, citius mit-

Digitized by Google

tere nequivi, quia Kilonio huc eam tranſportari priùs neceſſum fuit. Exſolvi pro ea tres marcas Lubecenſes, quas unus thalerus & tres groſſi boni noſtræ pecuniæ ferè æquabunt. *Diarii Hamburgenſis* litt. G. L. & N. pariter adjunxi, impoſitas *Cimbriæ*; pro quavis plagula ſolvere me oportuit duos ſchillingos.

Dn. *Placcius* ſe una hac vice ſcripturum ad te eſſe reſpondit. Ipſe ſingulis hebdomadibus in prædium ſuum extra urbem concedit, die Mercurii aut Jovis eo abiens, ac die Saturni vel Solis inde domum rediens; quem morem per totam æſtatem ſervat. Ego ferè quotidie ipſi per aliquot horas operam meam præſto in elaborando tractatu *de ſcriptoribus anonymis & pſeudonymis*, cui operi perficiendo ſumtibus, ſtudiis, ac tempori jam non parcitur: ipſique complendo non ita pridem elegans *Pauli Colomeſii* autographum *de ſcriptoribus dubiis* ex Hollandia huc a vidua redemtum accepit, de quo non parum gaudet. Sed fortaſſis ipſe de his aliiſque ad te digniora jam ſcribit. De juvene, qualem in tractandis apud te mathematicis diſciplinis deſideras, qua poſſum diligentia ſollicitus ero; ſed quia ſolent quærere, quibus cum conditionibus vivendum ipſis ſit, ideo hac de re, quæ tua voluntas ſit, quid reſpondere debeam, magis definitè, ſi placet, perſcribes. Vale interea, ac fave, ut facis. *Hamburgi d. 15. Jul. 1696.*

Jam ſuas his includendas mittit Dn. *Placcius.*

(54.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius *de* Brandio *notitiam quamdam ſubmittit.*

SEriùs reſpondeo binis honoratiſſimis tuis, cupiens pleniùs id facere. Quid tamen reſcire Lubecæ potuerim, adjunctæ docent. Ketwigianæ notæ erunt mihi pergratæ, quemadmodum & de Burchardianis ago gratias longè maximas. Dn. *Hinüberi* cooperatio in *pſeudonymis* lentè ſatis procedit. Nec ipſe in hiſtoria litteraria, vel cognitione librorum eo pertinentium, quidquam antea ſtudii collocavit. Unde nova & inſueta illi omnia, ſecus ac ei, qui ante ipſum in hoc labore mihi ſe commodabat. Modò tamen continuaverit; tandem, etſi ſeriùs eo, quo volumus, perveniemus. Faxit id, ſi ſic viſum fuerit, Deus! cui te & tua omnia viciſſim commendo mecum una. Vale! *Hamburgi d. 1. Jul.* 1696.

Lubecæ d. 1. Jul. 1696.

Adamus Brant, *qui in comitatu D.* Isbrand *ad Moſcoviam, Chinamque itinere fuit, ſedem ſuam hic collocavit, at ante aliquod tempus, Narvam versùs navigavit, ut iterum Moſcoviam inviſeret: Proximo autumno redux erit:*

Digitized by Google

erit: Fama fert, ipſum ſui itineris in Chinam narrationem editurum fore; ſi poſt ejus reditum aliquid novi & grati tibi per literas perſcribere potero, lubenti id faciam animo, meque juſſis tuis parêre ſemper paratum habebis.

(55.)

LEIBNITIUS PLACCIO.

Leibnitius *in mentem revocat* Placcio *inſtitutum emendandæ educationis juventutis.*

VEnit in mentem quærere, quid agas, & num adhuc de emendatione rationis educandæ juventutis cum præclaro viro, *Erhardo Weigelio*, conſilia communices; cui mihi potiſſimum collaboratores bene animati & operi pares deeſſe videntur. Nam etſi optandum eſſet, rerum potentes in eam curam venire; putem tamen, inſtitutum ſe ipſum alere poſſe, præſertim in magnis urbibus, qualis veſtra eſt, modò ſaltem non obſtent, qui auctoritate valent. Vidi nuper, quæ Dn. *Tenzelius* in aliquo *Colloquiorum* ſuorum de laudatiſſimo inſtituto tuo pro dignitate ejus dixit, diſcipuli cujuſdam tui, ut apparet, docti verbis. Et tuum tibi tribui, mihi gratum fuit. Quæ enim alia in terris præmia pro tali labore ſperari poſſunt, quàm ut pro merito æſtimetur? *Hanoveræ d.* 22. *Dec.* 1696.

(56.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius *ſine* Hinübero Theatrum anonymorum *ad prælum parat, eo pertinentia quædam ſciſcitatus a* Leibnitio.

SEriùs reſpondeo, dum ad litteras reperiendas tuas, quibus aliquid Dn. *Buſſingio* communicandum inerat, omnes ſuperioris anni & ſemeſtris præcedentis epiſtolas recenſeo. Nec tamen invenio quidquam, repetita ter & ampliùs luſtratione. Puto itaque, me tunc illico eas ipſi miſiſſe per communem, quem habebamus, auditorem, qui jam interim in Academias abiit. Erant ſane, quantum recordor, lineolæ perpaucæ, quæ ad ipſum pertinebant: neque nos conveniemus in poſterum ſæpius: *Weigelio* etiam defuncto in itinere, quod miror te neſcire. De *Hinübero* piget meminiſſe. Adeo me ludificatus eſt, & menſibus quinque totis ita moratus, ut nec tantùm illis potuerim proficere, quantùm nunc totidem diebus ſolus cum binis amanuenſibus ſatis etiam inidoneis abſolvo. Non poterat alienior ingenio genioque ad hoc opus ſeſe obtuliſſe tanto moli-

 mine.

Digitized by Google

mine. Rideres affatum, ſi vel decimam partem enarrarem abſurdorum, quæ committebat. Neque mores hominis ſatis faciebant. Sanè præſagiebat animus aliquo modo hæc omnia. Sed ut in eo ego ſemper decipior, & decipiar, dum vivam, quòd alios puto, quàm ſunt, meliores; ita hic inſuper & tua me commendatio, & aviditas voto meo potiundi magis obſirmabat ad magnam patientiam. Ita ut non omnia modò, quæ exigeret, honorarii loco promtè offerrem; ſed additurus etiam ultra multum fuiſſem, ſi candidè aperteque id quod obliquè volebat extorquere, petiviſſet. Ego interim eò adactus tandem, ut, quod integro decennio ampliùs obſtinatè detrectaveram, manus operi admoverem ipſe; nunc bonam partem jam in mundum habeo redactam, &, Deo volente, ſi ſic liceat pergere, intra annum opus bibliopolæ edituro potero tradere, licèt moles ſit ultra exſpectationem magna, & ultra ſemimyriadem adſcenſura. Nondum *caput* 8. *Anonymorum* abſolvi, & jam ultra 1400. ſum nactus. Jam verò pſeudonymi facilè anonymos ſuperabunt. Quo etiam citiùs & certiùs faciliuſque me expediam, id ago unicè, ut, quæ jam parata ſunt in collectaneis meis, aut ſymbolis alienis, ea ſola in ordinem redacta deſcribantur, nulla niſi planè obvia ulteriori aut abſolutè neceſſaria inquiſitione, aliàs ſenſum non habiturorum, ſuperaddita. Cetera perficiant, qui volunt & valent. Mihi abrumpere ac protrudere, ne pereant illa, quæ parata ſunt, ſuffecerit. Nam abſolvere hoc opus, vel ſi ſæculum vivam, non potero. Adeo quotidie vel lectio vel communicatio ſcripta cumulat laborem, abrumpendum interea, non finiendum.

Interim occurrunt etiam his ipſis diebus oblata, de quibus peto mihi, ſi fieri poteſt, reſcribi.

1. In Fogeliana bibliotheca erant quatuor quaterniones ſive plagulæ in 4. Geometriam Jungianam Germanicè verſam nondum integram, ſed ſine capite atque calce continentes. Earum exemplum aliud nullum exſtare ampliùs puto, adeoque manuſcripto hoc æquiparandum: quæſo, an in Hanoverana etiamnum bibliotheca illud exſtat? Puto Jungianam, aut Taſſianam, certè alterutrius, eſſe illam verſionem, immò communicatis operis factam, omnibus technicis vocibus accuratè redditis.

2. An aliquis *Magellottus* in Italia tibi innotuit, cujus anonyma quædam mihi tam deliris ſunt liris indicata, ut ipſe ſupplere non poſſim inarticulatam adeo ſcriptionem, et ſenſum hinc inde hiantem amicae deſuper ſymbolae aucupari. Ex Academia *del Cimento* Florentina ſcribitur fuiſſe. De qua indubitato etiam tibi conſtat.

3. In *Menagianis pag.* 274. mentio fit tui, occaſione libelli, cui titulus, *Hiſtoire d'Holand*, tibi contra voluntatem tuam imputari. Quid libri ſit, & cujus, quæſo, perſcribe, ut *Anonymis* meis inſervire poſſit, in quibus alias etiam, abſque hoc ſcripto tui erit crebra mentio honorifica facienda. Vale! *Hamburgi Idibus Januarjis*, quoties expedit divinitus ut tibi recurrant, a me optatis ſemper ac optandis, 1697.

(57.)

(57.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius a Leibnitio *quædam litteraria anonymis detegendis inſervientia flagitat.*

QUod cum eruditis aliis omnibus abruptum mihi litterarium commercium manet, tecum uno conſervare, dum vivam, volupe cùm ſit; exactè ad omnia ultimarum tuarum reſpondeo. Et primo quidem de Weigeliana morte per Dei gratiam falſus eſt rumor, excitatus litteris Helmſtadianis Dn. *Schmidii.* Ipſe *Weigelius* ſuperiori hebdomade hic tranſiit, commoratus ſolo biduo, nec mihi, ſed Dn. *Buſſingio* viſus, & Viennam a nobis pergens. Jungianæ Geometriæ ſpem ſupereſſe gaudeo, eamque in *Anonymis* meis publicabo. De *Menagianis* necdum mihi ſatis fit. Neſcio, an, & quæ nova illa editio. *Tomum II. Pariſiis* 1695. equidem vidi, ſed in ea nihil de *Iolante*, *Eleonora*, vel *Alienora* regina. Quæſo itaque, paullo explicatiùs me informes. *Cautionis criminalis proceſſus circa ſagas* auctor te indice certus omnino mihi ut fiat, opto. Manet enim dubia illius mihi & ambigua valde hactenus notitia. Quidam amicorum in ſymbola ſua manuſcripta *N. Speeium*, Jeſuitam; *Simon Paulli* in *Catalogo* ſuo *Hermannum Sibram von Singen* neſcio quem inſcribit. Editio 1691. Soliſbaci *Joannem Groacrum* C. Auſtriacum, ut puto, fictitium nomen præfationi ad lectorem, non operi, facit. Librum lectu dignum legi. Quo magis auctorem ſcire aveo. Denique an innotuerit tibi aut deſcribi mihi quoque poſſit argumentum & moles libri *Cornelii Duplicii Scepperi Apologiæ pro Chriſtierno II. Daniæ rege* in Belgium profugo, circiter a. 1524. excuſi, ſcire aveo. Vale. *Hamburgi prid. Cal. April.* 1697.

(58.)

IDEM EIDEM.

Placcius *Apologiæ Chriſtierni*, *Daniæ regis*, *copiam petit*, Leibnitii *amicis*, *etiam* Hinübero, *viciſſim gratificaturus.*

ANte dies hoſce 14. ſcripſi ea, quæ moram ferre putabam. At nunc ſecus nuntiat amicus, ob quem *Cornelii Duplicii Scepperi Defenſionem Chriſtierni II. Daniæ regis*, petii. Nam ſua intereſſe plus, quàm crediderarn, refert, ut vel quovis pretio redemtum exemplar, vel deſcriptum ita, ut paginæ paginis reſpondeant, accipiat quantocyus. Vide itaque, num

 hoc

Digitized by Google

hoc beneficium nobis dare poſſis, & reſcribe, ſimul ac poſſis. Ego viciſſim inſerviam commodis tuis, & eorum, quos mihi commendaveris. Ex quibus nuper Dn. *Hinüber* meis, ante tot menſes ad ipſum datis, reſcripſit ita, ut ipſe ſpeciem expoſtulationis vocet, ſimulque petit, ſui rationem haberi, ſi quem in ephorum commendare poſſem. Equidem ſubibat illud *Ciceronis ad Familiares, officium poſtulare nec populus ſolet.* Quid ergo expoſtulando petere? Incidebat nuper auctori veteri reſtitutum anonymum carmen, incipiens: *parce precor juvenis*, cet. Neſciebam, me illi tam familiarem adhuc eſſe. Tamen ubi rectè poſſim, commodis ejus non deero, vel tui reſpectu. Vale! *Hamburgi d.* 14. *April.* 1697.

(59.)

IDEM EIDEM.

Placcius Leibnitii Noviſſima Sinica *laudat quidem, ſed deſideria intra deſideria ſubſtitura pronuntiat.*

Ruſticationem in prædiolo meo amœniſſimo amœniorem etiam fecere multo litteræ tuæ, cum adjuncto dono. Cui nunc niſi diſputatiunculam hanc, quod reponam, non habeo. Habiturus propediem, ni bibliopola fefellerit, qui recepit editionem *Problematum VIII. de affectibus*, & quidem Chriſtianè movendis. Primum C. D. B. V. e theologicis meis opuſculum, ad quod, contra decretum animi mei, publicè profeſſum, edendum me conſcientiæ meæ arbiter, M. *Dornemannus*, impulit. His, ut adæquent molem tui libelli, addam alia æquè diu jam preſſa, videlicet *de interitu mundi* diſſertationem contra annihilationi, *Luthero* improbatæ, addictos: *de hora crucifixionis Chriſti*: *& antilogia Marci evangeliſtæ cum Joanne*: *de ſoliloquiis Chriſtianis.* Interim tua *Sinica*, meos etiam anonymos auctura, perlegi. Sanè, quàm optarem voto reſpondere ſucceſſum, tam parum a mea incredulitate impetro ſpem tantam. Et quæſo, quis credat, Jeſuitas nos in ſuæ felicitatis jam ſtabilitæ partem ullam admiſſuros, aut rem ita umquam agi permiſſuros, ut ne intelligant Sinenſes, quibus inter nos diſſideamus, cùm, ubi dudum impleverint ſua ſuperſtitione, quàm nos antichriſtianam dicimus, omnia, nec ſine illa umquam ſint perrecturi docere? Mitto tot alia impedimenta, etiam a noſtris partibus obſtitura. Interim exoſculor tua pia deſideria, (ſed, faxit ut errem Deus, & falſus evadam vates!) in deſideriis ſubſtitura. Ni fallor, alias etiam *Thomæ Mori* Utopienſes narrantur ita ſectis ſuis innumeris addicti, ne quis, publicos illorum cultus ſacros frequentans, id animadvertat. Ita ſi fieret, re vera evaderent, id quod ſunt, *Luthero* verſæ logomachiæ 1. *Timoth.* 6. ℣. 4. *Schul-Gezänck.* Id quod facilè impetrari aliquatenus potuiſſet, ſi hoc ſolum

Digitized by Google

ſum egiſſent ſtatim ab initio magnates, adjuncta potentia, ne aliter quàm Latinè talia diſputarentur. Sed hæc quidem extra oleas. Bina tua exemplaria, Dn. *Buſſingio* & *Meiero* deſtinata, ſimul ac in urbem rediero, tradam. De *Weigelio* & ipſe miror, quòd nec indicium ſui reditus & tranſitus fecerit mihi. Quo magis deſpero, & noſtros deſperare conjecturo de ſcholaſtica per ipſum emendatione hic locorum ulla. Nempe Pietiſmi & Diotrephis calumnias timent, qui adjuvare nos debebant, ſanè hac in parte me magis meticuloſi, qui minus eſſe debebant. Vale. *Neoſtadii d.* 27. *Maii* 1697.

(60.)

LEIBNITIUS PLACCIO.

Leibnitius *quo fine præfationem ad Sinica ſua ſcripſerit, apertiùs indicat.*

IN cauſſa haud dubiè ipſe ſum, quòd meum in edendis *Sinicis* conſilium non ſatis percepiſti, dum locutus ſum paullo obſcuriùs. Ego in præfatione ſtudioſè evitavi quæ poterant irritare Jeſuitas: non quòd putem, illos noſtris in illas regiones acceſſuris fautores cùm nec Batavi ipſis euntibus faveant, ſed ut ipſorum communicationibus porrò utar privatim. Ceterum noſtri in eas regiones acceſſuri ipſorum ope non indigebunt. Nam monarcha tanti imperii in Jeſuitis non niſi ſcientias Europæas æſtimat, in qua noſtri, ut minimum dicam, ipſis non concedunt. Quin puto, ſapientes gentis puriorem religionem vel ipſa natura duce magis probaturos, ſi vel maximè concertationes evitari non poſſint. Ceterum ipſis Jeſuitis cum Dominicanis & Epiſcopis a Papa miſſis, immo Jeſuitis ipſis inter ſe, nempe Luſitanis & Italis cum Gallis, certamina fuere, quæ prolixè ediſſerere nolui, ne ipſis ægrè facerem. Diſſertationes te ſubinde editurum, gaudeo, & nobis gratulor. Pro diſſertatione elegante *de antizelia*, utili argumento, gratias ago. Dn. *Weigelium* non ita res inſtituere, ut bene procedere poſſint, doleo. Pene in mentem venit ipſi ſuadere, ut magnum Moſcorum Czarem adeat, de quo nunc peregrinante mira mihi Regiomonte ſcribuntur. Ardenti enim ſtudio fertur ad res ſuæ gentis emendandas. Quid Dn. *Weigelius* optare magis poſſit? quin immò jam nunc decerno, vel ſi irrideatis, litteras ad eum hic accludere. Ienæ non eſt. Ubi ſit, Dn. *Buſſingius* haud dubiè novit, cui cum officioſa a me ſalute has litteras curandas ad ipſum commendari peto. Aiunt, Ratisbonam vel Viennam rediiſſe. Quodſi certam curandi rationem non habetis, fac, quæſo, ut maturè ad me remittantur. Ceterum non curo, ſi quis pia & recta deſideria dicat effectu caritura. Nos noſtra agamus; Deus ſuum aget, cùm volet. Suadeamus bona, quantum aures hominum ferre poſ-

Digitized by Google

poſſunt; agemus etiam, quantum non ſtat per potentiores: Nam velle ultra ire, ſine peculiari Dei impulſu auxilioque, eſt bona inconſultè quærendo, mala pejora reddere, ut ſolent, qui dant turbas, emendandi prætextu. Nihil igitur præter prudentiæ leges agimus, vel dicamus. Et ſi Spartam noſtram, qua pote, ornaverimus, contenti ſimus. Quid dicis de indicio auctoris libri inſcripti: *cautio criminalis*, quod tibi feci? *Hanoveræ d.* 4. *Jun.* 1697.

(61.)

PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius *varia quærit ex* Leibnitio, *ultionem a cenſore Batavo ſumturus.*

QUam ego conjectura ſola divinaveram aliquo modo prudentiſſimam conſilii tui rationem, ea nunc disertè ſatis expoſita tanto confirmatius lætor. Interim in mentem mihi venit querela defuncti abhinc antè viginti annos cognati alicujus mei, qui Africæ littora, circa Guineam, ubi aliquot annis ſubſtiterat, bis legendo, id expertum ſe referebat, quod Batavi, illic locorum emporia ſua qui fixiſſent, regulorum filios educandos ſibi, & Europæa politia imbuendos ſuſciperent; at adorari ſe, colique flexis genibus, inſtar regis Angliæ, facientes, de religione nil cum iiſdem communicarent; cùm tamen & abſoluta regulorum eorum poteſtas in ſibi ſubjectos, & paucitas ſacerdotum, & idolorum publicus contemtus, ingentem unius talis reguli converſione progreſſum Chriſtianiſmi tam luculenter oſtenderet. O! quàm verè, *ſi fides eſſet, penes quos maximè deberet, non laboraremus*, ſcribit Cicero in *prima epiſtola ad Familiares.*

Proh dolor! *Weigelius* una ſola nocte hic hæſit. Inde Ratisbonam delatus, nunc de calendarii emendatioris receptione publica ſpem magnam fovet. Litteræ tuæ per Dn. *Buſſingium* illi curabuntur, ut ſpero, quàm rectiſſimè. Scholæ ipſius inſtitutio adhuc in ſpe manet, ſimul ac commodi ad talem informationem præceptores ab ipſo poterunt ſuppeditari. Nam in eo ſunt omnia. Et oportet ſanè ſingulari dexteritate, patientia, & aliis requiſitis pollentes ſolos ad id adhiberi, ne impingentes in principio, rem deſperatam faciamus, cùm aliàs in tali civitate, qualis noſtra eſt, ſi fundata fuerit aliquo modo, poſſit univerſæ Lutheranæ Germaniæ ſeminarium præſtare. O utinam felicem hunc diem videre mihi contingat! vel hinc tandem miſſionarii quoque ad barbaros ſuppeterent. De auctore *Cautionis criminalis* quæ ſuppeditaſti, erunt inter cimelia mihi, ut & ex *Aureliano* indice; licèt hujus bene multa jam *Bibliotheca Jeſuitica* ſuppeditaverit, & aliorum amicorum curioſitas. Grates interim ago privatas, publicarum nec obliturus. *Scepperi* liber is non eſt, quem deſiderat amicus meus, ſed contra

Digitized by Google

contra nobilitatem Danicam defenſio. Hanc & in noſtra bibliotheca Joannea poſſidemus. Illum adhuc quærimus. Quæ ſi poſſit ullo modo ſuppeditari, beneficium hoc dederis novum: ut & ſi quid indicare poſſis de Anglico rei litterariæ ſtatu, quod ad practicam philoſophiam, & an ullum illic noris, de quo ſpes ſit, *Acceſſiones* meas ipſi donatas examinatum iri philoſophica accuratione, ut monitis ejus adjuvari quid poſſim? ſocietas etiam regia ut habeat? quo ſecretario nunc utatur? an in ea quiſquam vel ipſe talis, ut tale quid ab eo poſſim exſpectare? quæ *Verulamii* apud ipſos memoria? an mea in *Verulamium* illic editorem invenire poſſint, factura volumen in folio ipſis operibus æquale? Sed nimium te fatigo. Id unum addo, *Anonymis* meis pene factis, obtuliſſe ſe juris utriuſque candidatum in *pſeudonymis* opem offerentem honeſtis conditionibus. Eo per alteram hebdomadem jam utor, tali ſucceſſu, ut, licet æquè ſit hiſtoriæ litterariæ ignarus, tamen facilè triplo magis *Hiltibero* me adjuvet. Hunc ergo ſi ad finem anni uſque retineam, opus indubitato circa vernum erit abſolutum. Quod Deus, ſi videatur ſic ipſi, faxit! Vale, meque redamare perge. *Hamburgi d.* 12. *Jun.* 1697.

Jam ter quærere volui, an noſſes *Petrum Rabum*, quid hominis eſſet? qui nobis dedit aliquot abhinc annis continuatam recenſionem Batavam librorum titulo *Boeckzael van Europa.* Ergo & de Turcia, cet. in 8. *Roterodami*, & an legeris recenſionem, vel potius traductionem ſcopticam *Acceſſionum* mearum? & an non mecum cogitaveris, quid ſui cum amaracino? Quid cum tali cenſore publicè agendum? quid in eum dignè ſtatuendum exempli, quo alii deterreantur? Ut unum ex alio in mentem venit, an non Halberſtadii quis rectorem nunc agat, indicare poſſes, ut augeantur ejus nomine *Anonymi* mei. Quandoquidem auctor ipſe perhibetur illius Germanici contra *Thomaſium* ſcripti duarum plagularum in octavo nuperis nundinis editi, cui titulus: *unvorgreiflich Concept von der wahren Gelehrſamkeit.* Vale iterum.

(62.)

LEIBNITIUS PLACCIO.

Leibnitius *reſpondet*, *laudans inſtitutum educationis Hallenſis*, Lockium & Bentleium, & *cenſorem Batavum ſpernendum putat.*

NActus ſum nuper denuo epiſtolas ad *Leuſdenium* de progreſſibus Evangelicis Batavorum opera procuratis. Habueram olim, ſed amiſeram, quod non niſi unam plagulam implerent. Si habuiſſem, *Sinicis noviſſimis* adjeciſſem. Exſpecto & præfationem Catechiſmi, lingua Americana Holmiæ impreſſi, ex Suecico per amicum vertendam. Unde apparet, Suecos laudabili opera id agere, ut Chriſtianam fidem Barbaris inſtillent. Sed

hæc minuta ſunt, ſi comparentur illis, quæ fieri a noſtris Reformatiſque poſſent, ſi pontificiorum exemplum ſequerentur. Doleo, optimum *Weigelium*, majoribus omiſſis, minuta conſectari, & de calendario laborare, in quo non multum eſt ſitum.

Nuper ad me venit quidam Dn. *Neubauerus*, a Dn. *Auguſto Hermanno Franco*, profeſſore Halenſi, mihi alias niſi fama non cognito, commendatus. Is oſtendit, retulitque ſpecimina novæ puerorum pauperculorum inſtitutionis, quam Halæ Saxonum inchoavit Dn. *Francus*, ſanè laudabiliter, quantum intellexi, & ad ſenſum noſtrum, ut ſperem, ſi ſic pergat, adjuveturque, poſſe ejus opera in rem conferri, quæ Dn. *Weigelius* diſtractus, & ſubinde ἐξωτικώτερος cogitavit, movit potiùs, quàm promovit. Dixi illi, in magna & populoſa urbe, qualis veſtra eſt, tale quid fieri poſſe inſigni cum ſucceſſu, eo modo, quo in Gallia academiæ gymnaſticæ a privatis habentur, ſuaſique, ut, ubi Hamburgum veniſſet, te adiret. Viſus eſt delectari admodum conſiliis iſtis, & credidit, præceptores idoneos non defuturos: jam tum enim tales Halæ haberi. Pro cautione tamen addidi, ut evitentur litigia apud veſtros, non debere apparere commendationem exemplumque Dn. *Franci*, vitandaque initio omnia, quæ ſuſpicionem pietiſmi illius imaginarii facere poſſint. Interea cum Dn. *Franco* ampliùs per litteras de hoc inſtituto communicabo. Audio, Dn. *Samuelem Reiberum* Kilonii aliam a Weigeliana moliri calendarii reſtitutionem; mihi de neutra ſatis conſtat, etſi aliquam videram ſchedam Dn. *Weigelii.* Duo ſunt in Anglia viri egregii, mihique faventes, etſi nullum niſi per amicum communem nobis commercium intercedat, ambo, ni fallor, apti intelligendis philoſophiæ practicæ dotibus. *Lockius* ſcilicet, cujus prodiere cum alia, tum *Tentamina de intellectu*, (*Eſſay of Underſtanding*), & liber *de educatione*, ambo ex Anglico in Gallicum verſi, & præclara non pauca monentes. Alter eſt *Bentleius*, vir non tantùm in litteris elegantibus excellenter verſatus, ſed & philoſophiam, & rem moralem non negligens, ut apparet ex ejus diſſertationibus contra Chriſtianæ fidei adverſarios, Anglicè editis, ſed a viro docto Berolini Latinè verſis non malè. Gaudeo tibi oblatum, qui ritè adjuvet in digeſtione *Pſeudonymorum.* Ita ominor, te mox ea moleſtia poſſe defungi, ut agites, ſi non plauſibiliora in vulgus, certè ſolidiora & magis expedita apud ſapientes.

Petrus Rabus, qui libros Belgicè recenſere inſtituit, quid hominis ſit, non ſatis exploratum habeo. Videtur Belgica eloquentia potiſſimùm valere, & vix in res ipſas ingredi altius, & ſubinde captare riſum lectorum ut ſolent ſuperficiaria ingenia. Quæ de tuis habet, non legi. Negligi hominis cenſuram inſipidam, conſultiſſimum putem. Vale. *Guelpherbyti d.* 8. *Aug.* 1697.

Digitized by Google

(63.)
PLACCIUS LEIBNITIO.

Placcius *Acceſſiones ſuas a* Lockio *&* Bentleio *examinari cupit*, *laudatum ſe ab Anglis nuntians.*

EQuidem credebam, peregrè te, vel, quod abhorrebat animus, in morbo eſſe, quia nil reſpondebatur. Et, ni fallor, etiam peregrinaris. Nam Hanoveræ antea ſemper te puto egiſſe. Neque ſcio, an Guelpherbytum nunc & in poſterum debeam meas deſtinare. Præſentes ſanè adhuc Hanoveram miſi, ſperans, etiam inde ad te perventuras, ſi abſis. *Weigelius* ſpem, viros executores ſuæ inſtitutionis dandi, planè omnem ademit. Francianæ ſcholæ ad me deſcriptio etiam pervenit. Sed generalia magis, quàm ſpecialia delineans. *Spenerus* edere illam molitur, ut audio. Faxit Deus feliciter! De *Scepperi* altero libro amicus meus ſpem deponit. Nec ego *de Cambricæ linguæ Boxhornii* libello audivi umquam, aut audire aliunde confido (*f*).

Par illud Anglorum mihi ex ſuis ſcriptis, non aliunde, notum eſt, & mirificè commendatum. Nullis lubentius exemplar *Acceſſionum* mearum dono mittam, ſi ſcirem occaſionem certò ad manus eorum perferendi. Nec enim puto ad eos etiamnum perveniſſe; licèt jam ſeſqui anno in bibliopoliis ſint. Quæſo, ſi potes hac in re pararium te præſtare, id facias ut eorum mentem de hiſce meis accipiam. Pſeudonymis jamjam finitis ultra dimidium, & Anonymis ferè in totum, quietem ab hoc labore anhelo, ut ſolis poſthac ſacris vacem, quorum tamen dum vivam vix aliquid edetur. O ſi poſſem eruditam & verè philoſophicam theologiam eam meæ philoſophiæ ſuperſtruere, quæ ab imbecillitatibus conceptum de divinis liberet ita, ut intelligant theologi, ſe hactenus populariter nimis de rebus illis diſputaſſe, neque ullam, niſi vulgarem ideam, concepiſſe, adeoque rejectis omnibus iſtis hactenus habitis controverſiis fruſtra fuiſſe! Sanè, ni fallor, intelligunt, Deum propriè ſumtis philoſophicè vocibus & ſenſibus, non iraſci, non opus habere ſatisfactione & vindicta. Quid ergo ſubſtituent eruditæ notioni, ut a Socinianiſmo immunes & orthodoxi maneant? Sanè aliquid altioris notionis & Deo dignioris in hac ſapientia eſt, quæ parvulis, ut parvulis, non ad diſputandum, ſed credendum proponitur. In qua quia ſubſiſtere nolunt, utinam ſaltim aliquid majeſtate divina dignum ſubſtituant notionibus adeo plebeiis, ne inter ſacrum & ſaxum poſiti, nec eruditè, nec plebeiè credant. Sed manum de tabula. Vale! *Hamburgi d.* 7. *Sept.* 1697.

Jam nunc epiſtolam accipio Helmſtadio, in qua hæc verba: Placcianam ſoliditatem (cui Anglorum eruditos, quos & innatum ingenii acumen, & diligens exercitatio idoneos maximè harum rerum æſtimatores facit, cum tempore ubique aſſurgere accepi) cet.

(*f*) An me de eo ſomniaſſe putas? *Nota Leibnitii.*

(64.)

LEIBNITIUS PLACCIO.

Leibnitius *ſua cogitata de conceptu divinorum* Placcio *transſcribit.*

DE theologia naturali, quæ rectæ rationi conſentiat, nihilque detrahat revelatæ honorique divino, quam optas, diu multumque jam a multis annis cogitavi, mecumque ita inivi rationes, ut res ſatis in poteſtate videatur. Deum duplici modo conſiderare oportet, *phyſicè*, & *moraliter*. *Phyſicè* ſcilicet, ut ultimam rationem rerum, nempe quoad omnem perfectionem, quæ illis ineſt; *moraliter* verò, ut monarcham perfectiſſimæ rei publicæ, qualis eſt iſta, ut ſic dicam, civitas mentium totius univerſi. Hoc poſito, theologia practica nihil aliud eſt, quàm juris prudentia pro re publica univerſali, cujus rector eſt Deus, quatenus noſtra in ea officia comprehendit. Hinc autem porrò ſolvitur difficilis ille prædeſtinationis nodus, qui variè homines torſit. Nempe Deus non permitteret peccatum, aut malum, niſi majus bonum obtineret ex malo. Pro certo etiam habendum, neminem damnari niſi a ſe ipſo, immò ne perſeverare quidem in ſtatu miſeriæ, niſi voluntate ſua. Multa etiam alia præclara meo judicio dici poſſunt, non quidem ſatis vulgo animadverſa explicatave theologis; neque tamen contraria ſanæ theologiæ, inter nos receptæ. Socinianis certè non aſſentior, qui putant, ſatisfactione aut vindicta opus non eſſe; ſed contra potiùs judico, ultra emendationem peccantis, & exemplum alios præſervans, ſpectari poſſe & debere in pœna harmoniam ipſam, quæ vindicta demum juſta impletur. Itaque puto, in re publica univerſi nullum bonum factum eſſe ſine præmio; nullum peccatum ſine pœna. Quodſi igitur iræ detrahatur imperfectio, quæ in rationis obnubilatione doloriſque ſenſu conſiſtit, tantumque vindicandi voluntas relinquatur, Deo tribui poteſt, ſcripturæ ſacræ exemplo. Nempe peccatum non Deo malum eſt, neque univerſo, correctione ſcilicet accedente, quæ majus inde bonum procurat; ſed peccanti. Omnis ſcilicet affectus, exceptis illis, qui per ſe mali aliquid involvunt, qualis eſt invidia, quam veteres ineptè diis ſuis tribuebant, ſi pro appetitu rationali habeatur, ſepoſito nempe ſenſitivo tumultu, Deo adſcribi poteſt. Fortaſſe tamen vocabula ſubinde adhibere licebit purgatiora, de quibus ipſe optimè diſpicies.

Nuper ex Gallia mihi miſſa eſt epiſtola, quam archiepiſcopi & epiſcopi aliquot ad pontificem Romanum ſcripſere contra nodum prædeſtinationis ſolutum cardinalis *Sfondrati*, cujus cenſuram expetere videntur. Improbant inprimis, quod dixit, infantes ſine baptiſmo defunctos, etſi ad cæleſtia gaudia non perveniant, tamen meliore & perfectiore in ſtatu eſſe ob ſummam innocentiam, quam qui adulti per pœnitentiam ſalutem æternam ſunt conſecuti. Mihi, ut verum fatear, erraſſe videtur *Sfondratus*, ſed bono animo, & horrore peccati, quo judicavit præſtare non peccare, & cælo carere, quàm peccare, & regnum cæleſte obtinere. Qualia cùm ſint dudum agitata inter ſcholaſticos, cenſuram mereri non videntur, cet. *Hanoveræ 25. Sept. 1697.*

GODO-

Digitized by Google

GODOFREDI GUILIELMI
LEIBNITII
E T
JOBI LUDOLFI
COMMERCIUM EPISTOLICUM:

CUM ANIMADVERSIONIBUS

AUGUSTI BENEDICTI MICHAELIS J. U. D.

Et Philoſoph. Profeſſoris in Acad. Georgiâ Auguſtâ.

Juxtà exemplar Gottingæ ann. 1755. *editum.*

L 3

Digitized by Google

Digitized by Google

G. G. LEIBNITII
ET
JOBI LUDOLFI
COMMERCIUM EPISTOLICUM.

I.

LEIBNITIUS AD LUDOLFUM.

De bello Turcis a Galliæ rege inferendo exponit. Omnium linguarum cognitarum lexica confici, & alphabeta Latinis characteribus exprimi deſiderat. Denique Ludolfi *conſilia de adornanda harmonica plurium populorum juriſprudentia probat.*

PRæclaras cogitationes tuas de ratione belli Turcici glorioſa pace terminandi heri remiſi. Multa ibi prudentiſſimè monentur. Nimis enim verum eſt, facilè in Europa novi belli incendium excitari poſſe, non tantùm morte Regis Hiſpaniæ, quæ utinam ſerò, nec niſi pace relicta contingat! ſed & Gallorum miniſtrorum ardore, qui non obſcurè minantur & Regis Chriſtianiſſimi laudatiſſima promiſſa retractant, ex quo Cæſar novis munimentis contradicere audet. Eo ſcilicet res redacta eſt, ut ne verborum quidem libertatem nobis relictam velint, & non modò arma parari & fœdera jungi, ſed & vocem mitti crimini detur. Illud cogitandum relinquo, an neceſſe ſit in tractatibus fœderatorum, quorum formam præſcribis, agnitam Chriſtianis melioribus Cæſaris prærogativam, affectata ſecundùm mundi plagas ſedium diſpoſitione in incerto relinqui, quam ne Galli quidem in dubium vocare audent. Neque enim, niſi Moſcus contradicere poterit, qui tamen fortaſſe cedet, intellecto reliquæ Europæ Chriſtianæ conſenſu. Ipſa articulorum pacis delineatione nihil vidi exactius circumſpectiusque. Itaque excerpendi mihi libertatem ſumſi. *Joannes Philippus* Elector Moguntinus, me hortatu *Boineburgii* ſcriptis rationes complecti juſſo, id agitabat, ut

ut Gallis perſuaderet, arma expedire in Ægyptum, *Ludovico Sancto*, ſed imparibus viribus olim fruſtra petitam, dum Cæſar & Poloni pro ſua parte incumberent hoſti. Sed Galli propiora cogitantes talia ſpernebant, quæ nunc fortaſſe probarent, ſi paris auctoritatis ſuaſor accederet; imò credo per ſe agent, ſi appareat imminere imperii Ottomanni ruinam, & nobiliſſimas provincias volenti prædam paratam eſſe. Memini tum me verſus quoſdam edere, quibus per occaſionem rem obiter attigeram, ex quibus nunc iſti ſuccurrunt:

Alæ Sarmaticæ juxta pedes Hungarus ultro,
Addit ſe comitem & ſpoliis Orientis inardet.
Tum repetens famæ miſerabile Græcia buſtum
Et *Conſtantini* redduntur mœnia Chriſto.
Parte alia venis & Dis *Ludovice* ſecundis,
Immenſum invictis inſternis claſſibus æquor.
Rumpit enim dulces idem tibi nomine ſomnos,
Æternam meritus *Sancti* cognomine famam.
Progenitor magnus faces ſtragesque ſuorum
Flagitat ulciſci.

Omnium linguarum cognitarum Alphabeta, qua licet, latinis characteribus variè effictis explicari optarem, non tantùm eo fini, ut nomina propria rectè enuncientur, ſed & majoris fructus cauſſa, ut ſcilicet libri Arabici & Æthiopici & Syriaci & ſimiles, ſaltem aliqui ut biblia aut dictionaria latinis characteribus excudantur: ita enim fortaſſe dimidio labore has linguas diſceremus. (*a*) Me certè nihil magis, quàm characteres peregrini deterruerunt, quaſi cortices duriſſimi, medullas ſive nucleos includentes, quibus multi fruerentur, ſi fractam priùs hanc nucem reperirent. Certè characteres illi barbari res accidentariæ ſunt, ſine quibus lingua ſtare poteſt efferrique & ſcribi. Cur igitur nobis difficultatem duplicamus per ſe maximam?

(*a*) *Eruditos aliquot, qui variarum linguarum alphabeta typis exſcripta dederunt,* *laudat* Auguſtinus Grichovius *in* Introductione ad philologiam generalem *p.* 45. *Ipſe etiam* Leibnitius *in literis ad* Jo. Chamberlaynium *datis, hujusque editioni orationis dominicæ* in diverſas omnium ferè gentium linguas verſæ *adjectis*, *p.*130. *Laudat* Eduardi Bernardi tabulam alphabetorum harmonicam, *at in eam commentarium olim ab ipſo auctore expectatum, nunquam prodiiſſe non minus dolet, quam* Jobum Ludolfum *promiſſis non ſtetiſſe, qui Hiſtoriæ Æthiopicæ tabulam addere pollicitus fuerat alphabetorum ducentorum ea ferè ratione quam* Leibnitius *indicat, concinnatam. Quodammodo etiam huc faciunt, quamvis non ex aſſe deſideriis Leibnitianis ſatisfaciant, qui orationem dominicam variis linguis typisque expreſſam dederunt, veluti is, quem modo nominavimus,* Jo.Chamberlaynius, Amſtel.1715. 4to. *& anonymus quidam, qui Auguſtæ Vindelicorum, nulla mentione anni impreſſionis adjecta, in forma majore prodire juſſit:* Orationem dominicam, plus centum linguis, verſionibus & characteribus expreſſam. *Memini etiam ſimilis cujuſdam, ejusdemque recentiſſimi inſtituti, quod* Greiſenhahnius, *ni fallor, adjutore uſus Pl. Rev.* Benjam. Schulzio, *ad Indos olim Miſſionario Danico, executus eſt, ſed annum editionis indicare nequeo cum Opuſculum illud jam ad manus non ſit.*

Digitized by Google

ximam? Qui ſemel linguam nonnihil intelligit, paulatim & faciliùs procedet ad characteres. Neque enim illius opus eſt, niſi ad legenda manuſcripta, quod non requiritur, niſi in iis, qui conſummatiorem linguæ notitiam profitentur, aut ad communicandum cum indigenis; quod rarum eſt in his oris. Ut taceam ſumtus difficultatesque Typorum tam variorum & exoticorum, quibus & tardantur editiones, & pretia rerum augentur, & errores multiplicantur. Itaque & libros Gothicos aut Anglo-Saxonicos barbaris characteribus edi, quod in *Ulfila* & *Caedmonis* paraphraſi factum memini; (Hanc *Junius* edidit Anglo-Saxonicam: meminiſſe creditur *Beda*, eſt paraphraſis poëtica in Geneſin & alia) parum conſultum arbitror; & perinde eſſe, ac ſi manuſcriptos codices Latinos eo charactere ederemus, quo exarati ſunt, & qualem in ſpecimen *Mabillonius* expreſſit. Sufficit alphabeta illa ſervari in uſum curioſorum & intelligentiam manuſcriptorum. Sed antequam hoc conſilium exitum reperire poſſit, tuo Vir Ampliſſime, opus eſt alphabeto univerſali, cujus proinde majorem utilitatem agnoſco, quàm ipſe polliceris.

Deinde optarem, non opera quidem tua, conſilio tamen & auctoritate & judicio, ab hominibus linguarum peritis dictionariola edi, quibus plerarumque linguarum cognitarum radices atque primariæ voces continerentur, adjecto grammatico cujusque compendiolo, quæ ſufficerent converſationi & ſcripturæ & faciliorum librorum lectioni, poſtea uſu & ſtudio cujusque pro arbitrio longiùs deinde proferenda. Itaque peto a te cogitari ſaltem, quibusnam hæc committi, & quorum opera & qua methodo res uſu quàm mole major abſolvi poſſit. Quod ſi fas eſſet, a te occupatiſſimo magnis curis, & per varia diſtracto impetrare, ut meditari aliquid de conficiendo hoc negotio & in chartam conjicere velles, profecto haberem, cur mihi & reipublicæ gratularer. Neque enim quicquam deſideratur, quod viri docti, tibi noti partim & juvenes, linguarum quisque certarum periti, filo Ariadnæo a te præbito, præſtare brevi non poſſint. Ac tum demum accederemus, credo, nonnihil ad id, quod *Sykius* & *Stiernhielmius*, aliique fruſtra attentarunt, harmoniam ſcilicet linguarum plerarumque & in plerisque; ut alia multa taceam latentia in his arcana, quæ una demum collatio detegeret. Erunt ſuo tempore, qui rem provehent longiùs & dialectos quoque populorum viventium in ſcripta redigent, quæ res neceſſaria erit perficiendæ linguarum harmoniæ. (Memini me audire in Toletanis montibus in media Hiſpania reliquias eſſe gentis, lingua ab aliis omnibus Hiſpaniarum populis diſcrepantis.) (*b*) Quis dubitat, his

 ex-

(*b*) *Memini & me talia olim legiſſe, ubi vero? nunc non ſuccurrit. Et quem hac de re adii* Franc. Xaverius de Garma y Salcedo in Theatro univerſal de Eſpaña (*quod opuſquium Mantuæ Carpetanorum* 1738, *in* 12*mo prodiit*) T. I. p. 241. *ſq. caſtam potius linguæ Toletanæ puritatem laudat, nec ab hoc p.* 227. *excitatus* Bern. Alderette *in* Originibus linguæ Caſtellanæ, *quidquam adfert, explicandis iis quæ* Leibnitius *profert, quæque nos olim,*

excuſſis veterum quoque linguarum caliginem & nominum propriorum ſignificationes, aliqua luce colluſtrari poſſe? Intelligo Suecos patriis antiquitatibus eruderandis dudum collegium inſtituiſſe, (*c*) eique præſidem *Stiernhelmium* regia auctoritate impoſitum fuiſſe. Idem tibi, meo certè ſuffragio meliore jure Cæſar & Germania omnis deferrent. Certè in linguæ Theotiſcæ profundiore cognitione magna latet pars hiſtoriæ & velut baſis antiquitatum.

Atque hac occaſione ad *collegii hiſtorici* conſilium tranſeo: quod ſi rectè exequi liceat, mihi ſanè mirificè probatur. Vidiſti & notaſti pro ſumma prudentia tua, quantis ea res difficultatibus laboret; non puto tamen inſuperabiles eſſe, præſertim ſi per gradus ad ſumma contendamus. Itaque repeto quod dixi, doctiſſimos *naturæ curioſos*, in parte imitandos videri. Duplex illis inſtitutum fuit, condere elaborata ſyſtemata vel opera, & tamen præclaras quoque obſervationes interim miſcellaneis voluminibus dare. Varia illi naturæ effecta ſpeciesque inter collegas diſtribuerunt. Hic cinnabarim, ille chryſocollam, alius opium, alius gammaros, aliaque alii ex tribus naturæ regnis accurate deſcribenda ſibi ſumſerunt, & magnam partem præſtiterunt. Interim ne præclaræ multæ notitiæ perirent, quæ ſyſtemata hæc non commodè ingredi vel exſpectare poſſe videbantur, placuit illis *Ephemerides* dare, omnium frugi rerum capaces. Quid vetat idem in *hiſtoria* inſtitutum ſervari? Diuturnæ & moroſæ operæ eſt, provinciæ alicujus aut ſæculi hiſtoriam perfectam dare. Dum igitur collegæ in his erunt, liceat quotidie materiam publicare, ipſiſmet collegis, in progreſſu, totique reipublicæ profuturam. Erunt enim quibus diplomata & chronica & fragmenta ſint ad manus, quæ aliis collegis lucem accendere poſſint; ſed hoc non agnoſcent ſemper, qui habent: ignari conſequentiarum, quas alius inſtituere poteſt in argumento verſatior, nec licet circummiſſitare ad omnes, niſi typorum beneficio. Mihi certè non rarò contigit cognoſcere in diplomatibus, quæ alii me oculatiores illic non viderunt. Unum vereor, ne publicato collegio, extranei ſive invidia, ſive ſuſpicione quadam & moroſitate in communicandis monumentis tardiores fiant. Itaque Cæſaris auctoritate, fateor, & principium favore opus foret. Denique multa adhuc deliberatione opus eſt, ne quemadmodum corvus Æſopicus cantando prædam amittamus. Velim igitur eos, qui hæc moliuntur, tuis omnia conſiliis agere, neque quidquam præcipitare, ubi cum delicatis hominibus in aulis, in rebuspublicis, in eccleſiis & monaſteriis negotium eſt. Nec inutile erit diſcere, qui jam nomina dare ſint parati; quæ ab iis ſpes, qui apparatus. Ego libenter ſymbolam conferam. Habeo enim monumenta inedita non pauca. Erunt alii me inſtructiores. Sed conſilia conferri, & plura quàm edita

olim mei ipſi legimus aptum. Cantabricam verò linguam a reliquis Hiſpaniæ dialectis mirificè differre, etiam in vulgus notum eſt.

(*c*) De *Collegio antiquitatum patriæ* apud Suecos inſtituto, conf. *Struvii* Introd. in notit. rei litterariæ. p. 915. [edit, *Fiſcher.*]

edita ſcheda comprehendi fas erat, de inſtituto bene animatis opus erit, quo intelligant, an in eo jam res ſit, ut ſolida tanti ædificii fundamenta jaci poſſint. Itaque antequam certi quid concludatur, rogandi ſunt, qui nomen dare volent, ut circa propoſitas leges conditionesque monita cogitataque ſcripto communicare velint.

Præclara erit ſummique tua *harmonica populorum jurisprudentia*, (*d*) nec ab alio temerè exſpectanda. Opus enim eſt hiſtoriarum cujusque populi & linguarum notitia, cum exquiſita juris ſcientia conjuncta, quæ quantum mihi quidem conſtat, non alibi, quàm in te uno *Vir Ampliſſime*, collecta reperiuntur. Delineavi olim *tabulam* quandam *Romani juris*, qua non, ut vulgo in tabulis fit, tituli tantùm & nomina, ſed ipſi omnium actionum, exceptionum, & ut verbo dicam, poſtulationum fontes continentur. Ad manum nunc non habeo. Ordinem ac diſpoſitionem, quantum meminiſſe licuit, in ſcheda adjecta repræſento, (*e*) ſi fortè tibi omnia in tabulis quibusdam uno conſpecta exhibituro, uſui eſſe poſſint. Vale, Vir ſumme, & fave nominis tui ac virtutum cultori perpetuo *God. Guil. Leibnitio.*

II.

IDEM EIDEM.

De collegio Imperiali hiſtorico, deque Chriſtiani Knorrii a Roſenroth *conatibus caballiſticis agit.*

CUm antea merita tua in rempublicam & notiſſimam eruditionem maximi facerem; poſt propiorem notitiam Francofurti contractam, etiam effuſam humanitatem exoſculatus ſum. Et meum erat, dudum gratias agere per literas, quod & abſoluto itinere deſtinaveram facere; ſed extractum eſt hoc longius, quàm putaram. Nunc cùm alioquin occurrerent, quæ Francofurtum ſcriberem, crimen judicavi ſilere diutiùs. Ego poſt luſtratam Germaniæ ſuperioris bonam partem ex Bavaria Viennam denique deſcendere

M 2 in-

(*d*) *Quodammodo cum his Leibnitianis convenire videtur, conſilium* Jo. Petri de Ludewig, *qui* Corpus juris univerſale *meditatus eſt, in quo non divina tantum jura, eaque vel ex naturalibus, vel ex poſitivis legibus derivata, verum etiam omnium gentium populorumque placita, ne exceptis quidem Muhammedicis & Judaicis proponere conſtituit. Spem ampliſſimi operis fecit* in diurnis Halenſibus, (den Gelehrten Anzeigen) T. I. p. 500. *ſq. Sed otium, quod ſibi optabat, nunquam nactus, tam immenſum laborem non ſolum non perficere, ſed ne aggredi quidem potuit. Nobis certè, bibliothecam & omnem apparatum literarium Viri celeberrimi, poſt ejus fata, ſtudioſe per aliquot menſes quotidie viſitantibus, ne unica quidem ſchedula obvenit, promovendo huic inſtituto deſtinata.*

(*e*) *Hanc in manus noſtras haud perveniſſe, meritò dolemus.*

Digitized by Google

inſtitui, natis domi rationibus & invitante fluminis commoditate. Viennæ aditum ad bibliothecam ſuam, pro incredibili in literas affectu, conceſſit magnus Imperator, ubi & Ampliſſimi *Neſſelii* multam humanitatem ſum expertus. Venere huc duo patres ſocietatis Jeſu ex Brabantia, *Papebrochio* in Actis Sanctorum colligendis adjutores, qui etiam hoc theſauro hiſtoriæ in bibliotheca Cæſarea recondito fruuntur, & inprimis tres græcos codices Menæorum prædicant. *Neſſelius* apud me non una occaſione teſtatus eſt, quam te colat. Pervelim noſſe, quo ſit loco *collegium Imperiale hiſtoricum*, de quo tecum litterarium commercium inſtituerat clariſſimus *Paulinus*. Hic mihi dictum eſt a viro magno, ſtipendia Cæſarea flagitaſſe inſtitutores, quod his temporibus non ſatis videtur convenire. Ego digniſſimos cenſeo honoribus & commodis quicunque aliquid præclarum atque utile moliuntur. Sulzbaci multum mihi fuit colloquium cum Ampliſſimo *Knorrio*, directore cancellorum aulicorum; magno, ut non ignorabis, Hebræophilo, & in profundiore illa parte linguæ Judaicæ, quam *Kabbalam* vocant, ſupra pleroſque Chriſtianos verſato. Is multa inſignia manuſcripta partim ex Oriente nactus eſt, partim aliunde ſibi comparavit, unde arcana illius doctrinæ eruit, quæ ferè metaphyſica eſt, & in *Kabbala denudata* atque alibi paſſim ſpecimina dedit. Præclara ſunt Judæorum Cabbaliſtarum teſtimonia in rem Chriſtianam, quæ obſervavit. Oſtendit mihi jam prope confectum opus, cui titulus eſt *Meſſias puer.* (*f*) Ubi hiſtoria Chriſti ab annunciatione ad baptiſmum uſque, quæ ab Evangeliſtis traditur, cùm aliunde, tum ex locis veterum Cabbaliſtarum mirificè illuſtratur. Magno plauſu accepit & Æthiopicorum tuorum ſperatam continuationem, & quæ de Samaritanorum ad te epiſtola, (*g*) & tuo inſtituto conferendi varia alphabeta narrabam. Eſt & ipſe πολυγλωττος. Itaque optarem inter vos commercium intercedere. Ex literis Sereniſſimi Principis, Landgravii *Erneſti* intellexi, neſcio quam ipſi tecum diſputatiunculam in cauſſa religionis interceſſiſſe. Magna eſt certè in hoc Principe variarum rerum cognitio, nec minor animi candor. Legatum Turcicum, qui in caſtra venit, creditur huc admiſſum iri. Veniet cum illo *Alexander Maurocordatus*, primarius interpres Portæ. Is medicus eſt Chriſtianus, qui olim in Italia ſtudiis dedit operam & libellum quendam de Anatomia edidit. Interim vix eſt, ut pax coitura ſit facile. In magnam enim ſpem erecti ſunt noſtri, Turcas omni Europa expelli poſſe, niſi quid tempeſtatum ab Occidente inſurgat. Quod ſupereſt vale, & mihi porrò fave. *Viennæ d.* 30. *Aug. v. St.* 1688.

III.

(*f*) *Opus hoc nunquam typis vulgatum eſſe, conſtat. De auctore conſ.* B. Buddæi Introd. ad Hiſt. phil. Ebræor. *p.* 280. *ſqq.* & Nova literar. a. 1718. in ſupplementum Actor. Erud. divulgata, auctore *Jo. Gottl. Crauſio p.* 191. *ſqq.*

(*g*) *De Samaritanorum rebus*, Chriſtoph. Cellarius, *tam aliis præſidiis, quam in primis his ad* Ludolfum *literis inſtructus, diligentiſſimè, in peculiari diſſertatione expoſuit, quæ inter* diſſertationes *ejus* academicas, junctim a Ven. *Jo. Ge. Walchio* editas leguur p. 108. *ſqq.*

Digitized by Google

III.

EJUSDEM AD EUNDEM.

De collegio imperiali hiſtorico & de pace cum Turcis ineunda.

NOn ſatis dici poteſt, quàm gratæ mihi fuerint literæ tuæ, tum quòd rectè valere te, & mei magis, quàm mereor meminiſſe ſignificarent, tum quòd occaſionem præberent, erga te non minùs, quàm viros doctiſſimos, qui hiſtoriam patriam communi conſilio aggrediuntur, oſtendendi ſtudium meum. Propoſitum eorum imperiale collegium hiſtoricum fundandi, uti nunc conceptum eſt, Cæſari, tum per me, tum per inſignes viros, acceſſum frequentem ad Sacram ejus perſonam habentes, commendatum, innotuit, placuitque. Præterea Illuſtriſſimus atque Excellentiſſimus Imperii Procancellarius, Comes de *Koenigſeck*, ad cujus munus etiam illa pertinent, non obſcurè favet. Itaque rebus ritè ordinatis protectio Auguſta & ſingularis ſummi principis benignitas erga præclara inſtituta huic uni certè non deerit. Interea non dubito nomen daturos plures, aut certè opem pollicitaturos. Ampliſſimus *Neſſelius* qui & ipſe me ſuggerente rem Cæſari commendavit, uſibus collegii non deerit. Nam certum eſt, innumera ex bibliotheca Cæſarea erui poſſe, unde hiſtoria patria ornetur.

Cæterum deliberandum putaverim, utrum præſtet annales Germanicos ſcribi ſtilo quodam æqualiter fluente, quali in annalibus eccleſiaſticis uſus eſt Cardinalis *Baronius*. Atque huc ego potiùs inclinarem. Aliud enim ſcribi compendium aliquod elegans & floridum hiſtoriæ; aliud dari vaſtum corpus: quod non ideo elaboratur, ut tempori fallendo legatur, ſed & ut præſens ætas theſaurum quendam relinquat poſteritati, unde quisvis poſtea ſecurè fundamenta hiſtoriæ petere poſſit. Atque ita etiam tutiùs ſcribitur & certiùs veritati litatur. Et cùm aliorum haud dubiè non omnes, inter quos diſtribuendus erit labor, æque ſtylo valeant, hoc ſcribendi methodo omnes æquantur. Sed hæc tibi aliisque perpendenda ſubmitto, & omne ſtudium meum & quàm potero operam ſpondeo. Ampliſſimus *Neſſelius* ſalutat officioſiſſimè; reſpondiſſe aliquando innuit. Rabbinum neſcio quem, a te quæſitum, tandem repertum ait. Ego memini me Dominum *Meninskium* videre apud Reverendos Patres Brabantinos, qui dudum hic diſceſſere, ſalutat & ipſe multo cum affectu. In ſcribendo, de iis præſertim, quæ ad munus ſuum pertinent, magna circumſpectione ſibi opus eſſe ait; nam fuiſſe qui etiam innocentiſſima ſint criminati. Creditur tandem aliquando legatos Turcas ad Cæſaris aſpectum admiſſum iri neque ego ſanè video, cur adeo arctè habeantur. Nam auferre eis rerum notitiam impoſſibile arbitror,

biiror, nec video etiam quo jure id contendere noſtri poſſint. *Hoppius* Batavus ablegatus extraordinarius, qui olim in aula noſtra & Berolinenſi fuit, juſſu ordinum Sultani literis rogatorum, conciliatoris partes agit, & ſpes eſt, utilem ejus operam fore. Veneti ſignificarunt, paci honeſtæ ſeſe non repugnaturos. Baro *Zierowskius* Polonorum comitiis Cæſaris nomine aderit. Nec dubito, quin aliquando ſeriò cogitandum ſit, de aditu ad tractatus faciendo. Curandum enim eſt, ne legatorum Turcicorum animi penitus exacerbentur. *Maurocordatus*, Græcæ religionis homo, nunc palmarius portæ interpres & collegatus, olim in Italia medicinæ dedit operam, & libellum etiam edidit *de pulmone ejusque affectibus*, quem me videre memini. Aiunt præterea ingenio & uſu rerum valere. Itaque pro certo habendum eſt, noſtras res ipſi ſatis proſpectas eſſe. Certiſſimum eſt Cæſarem, niſi ſuprema coactus neceſſitate, quam Gallus impoſuit, non fuiſſe de pace cum Turcis cogitaturum. Itaque meræ ſunt calumniæ quæ in Gallico manifeſto ſparguntur. *Viennæ d.* $\frac{2}{12}$. *Dec.* 1688.

IV.

JOBI LUDOLFI ad præcedentes literas reſponſio.

Leibnitii *monita de ratione collegii Imperialis hiſtorici probat & varia de negotiis publicis addit.*

PEropportunè allata mihi fuit gratiſſima epiſtola tua die $\frac{2}{12}$ Dec. ſcripta, cum jam lætiſſima ſalvatoris noſtri natalitia tibi precari, nec non fauſtum ac felix novi anni auſpicium tibi optare vellem, tantùm de loco ſollicitus, quo literas meas dirigerem. Nunc cùm intelligam te Viennæ adhuc unam & alteram hebdomada ſubſtituturum, ſine mora reſpondere atque ſignificare volui, conſilium tuum de ratione collegii imperialis hiſtorici, mirè mihi placere. Etenim ſatis agnoſco, plurimis difficultatibus atque dubiis ſubjectum fore opus, ſi annales Germanici ſtylo gravi atque verè hiſtorico ſcribendi eſſent. Quàm paucorum enim hoc talentum eſt! quàm difficilis cenſura! quàm arduum præſidis officium, ſi animadverteret, minùs dignè & convenienter id ab uno vel altero tractari? Facilè enim contingere poſſet ut cento fieret potiùs, quàm hiſtoria, vel caſeus Suecicus, quem illi *Plokooſt*, *Sammelkaſe* vocant, de quo mihi retulit Dominus *Biörneklaw* Secretarius Regius in tractatibus Oſnabrugenſibus, Comitem *Gabrielem Oxenſtiernam*, poſtea Cancellarium, tunc temporis verò ſtudioſum ex academiis reducem & in Latinitate bene verſatum, interrogaviſſe *Salvium*, unde tanta diverſitas ſtyli in Inſtrumento Pacis? Reſpondit ille: rem meliùs comparari non poſſe, quàm cum caſeo Suecico modo memorato.

Ete-

Etenim certo anni tempore lac concretum a parochianis vicatim habitantibus in parochi ædes congeri, & in magno caldario conſundi, & poſtea exprimi, ut caſeus ingens fiat, qui poſt aliquod tempus diſſectus, alibi flavus, alibi cœruleus, alibi viridis appareat, atque diverſiſſimi ſaporis ſit. Ita ſe habere Inſtrumentum Pacis: quemlibet enim ex Ordinibus pro ſuo modo ſuoque ſtylo ſchedulas inſerendas ad Legatos miſiſſe, quas illi ſine alia cenſura inſeruerint. Sed hæc obiter & jocosè. Apographum epiſtolæ tuæ illico ad *Paulinum* miſi, ut ibi collegis ſignificet, qui lætabuntur, ſe magna ſollicitudine, quid & quomodo ſcriberent, exſolutos eſſe, eoque libentius operam ſuam, in conquirendis variis hiſtoriis & monumentis ineditis impendent. Præſidis verò erit, ea ſecundùm ſeriem temporum ordinare, atque connexionem oſtendere, prorſus ad modum Baronianum, uti ſuaſiſti. Plane volupe omnibus erit, intelligere, quod Cæſari conſilium, uti ſcripſiſti placeat; ſed procul dubio ſcire volent, *unde* id conſtet? *an* & *cui* verbulo hoc unico reſponderit: *Placet*? an aliud benevolentiæ Cæſareæ ſignum dederit? quænam etiam indicia ſint, quod Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Comes *de Kœnigſeck* operi faveat, & quis cum eo hac de re locutus fuerit?

Ampliſſimo *Neſſelio* pro benevola & prona in collegium hiſtoricum voluntate gratias age. Ita eſt, ut nuper ſcripſi, me nullam unquam ab eo epiſtolam vidiſſe. Librum Rabbinicum quem reperit, quæſo aſpicias: qualis vel quantus ſit, niſi grave fuerit, mihi nunties. Non pro me, ſed pro alio amico quæſitus fuit. Quippe amicorum ſtudia, quantum in me eſt, promovere ſoleo. Quam ob cauſſam aliud memoriale tibi hic mitto, quod *Baluzius* Lutetiæ Pariſiorum pridem mihi commendavit: ut & aliud novum, quod Dominus Aſſeſſor *Eyben* mihi commiſit, ut plurima cum ſalute ad te mitterem. Videbis, quid negotia tua patiantur. Dominum *Meninskium* quoque data occaſione ſalutari officioſe peto, & tantum interrogare, num epiſtolam meam die $\frac{15}{25}$ Octobris ad illum datam, cum diſquiſitione mea de Pace Turcica acceperit: id modò ſciam, reſponſum non efflagitabo. Ex illa, ut & noviſſimis meis ſatis comprehendere potuiſti, quantum induciis Gallicis diffiſus fuerim, & quantum ſuaſerim tractatus pacis ſolummodo inchoare; ſed ſpretus fui. *Tractare* non eſt *concludere*. Lactandos potiùs putarem hoſtes ſpe pacis, quam oſtendendo arma magis exaſperare & accendere. Utrumque bellum ſimul geri poſſe, ex nemine rerum perito huc uſque intellexi. Ab Anglicarum rerum eventu ſalutem noſtram pendere rectiſſimè judicas. Certiſſimum eſt, Regem Angliæ, ut deſiderio ſuo ſatisfaceret, reliquæ Europæ ſalutem nihili æſtimaviſſe; etiamſi Gallia univerſalem monarchiam adipiſceretur, nihil ſibi metuit, potius conſiliorum & armorum conjunctionem intendit. Jam Parlamentum liberum ad $\frac{15}{25}$ Januarii indictum eſt. Catholicæ religioni nihil certè metuendum; imò melior conditio catholicis in Anglia ſub auctoritate Auriaci principis ſperanda. Nam prout Rex hoc negotium tractare exorſus eſt, durabile non erat: nam ſola ejus auctoritas nihil ſtabile efficere poterat; multo gravius periculum catholicis

tholicis eo imminebat. Si moderatè agere & cum conſilio Parlamenti legitimè convocati libertatem conſcientiæ, ut vocant, ſtabilire voluiſſet, credo rem ſucceſſum habituram fuiſſe; nunc unicè cavendum eſt, ne intempeſtiva pro religione ſollicitudine, recta conſiliorum ratio turbetur, quæ unicè in hoc conſiſtit, ut animi fortitudine & immobili conſtantia Gallorum arma tam diu reprimantur, donec ſolida & firma pax coaleſcere poſſit. Aut nunc, aut nunquam talem pacem habebimus, ſi uniti & conjuncti maneamus. Status noſter hic prope Rhenum valde ambiguus eſt: nam Galli *Moguntia* potiti, Rhenum tranſire cùm lubet, poſſunt. Et niſi aliis in locis diverſio tanti hoſtis tentetur, pauci Fœderati hic circumcirca hoſpitantes illum laceſſere non audent, ſatis habentes, ſi hanc urbem & *Confluentiam*, quæ certè in magno periculo adhuc eſt, tueantur. At ſummopere nos exhilaraverant fortiſſima conſilia ab inviciſſimo Imperatore noſtro capta, dum Legatos Gallicos Germania excedere jubet, Ordines hortatur ad conſtantiam, & calumnias eorum per Legatos ſuos Ratisbonæ redarguit, qui dixerant: Cæſari hos Circulos curæ non eſſe. Credo illas inde ortas, quod Magnatum quidam, paulo incautius locutus, dixerat: niſi Ordines ſemet defendere vellent: Cæſarem parum de iis ſollicitum fore: ditiones ejus patrimoniales nullum periculum habere, illumque adhuc bello Turcico diſtineri. Verum nunc omnes arrecti ſunt, laudatiſſimis Cæſaris declarationibus, pro Cæſare & Imperio omnia paſſuri & tentaturi. Deus avertat pravas ſuſpiciones, altercationes, & certamina inter liberas gentes heu! nimium frequentia. Sed quo voto cœpi, nunc quoque finio, Deus te ſervet in multos annos, atque proſperum negotiorum ſucceſſum & proſperum iter largiatur. Vale, mihique favere perge, qui ſum &c. *Francof. d.* $\frac{11}{21}$ *Dec.* 1688.

V.

LEIBNITII RESPONSIO.

De Annalibus Germaniæ ſcribendis. Collegium hiſtoricum Imperiale Cæſari placuiſſe ſignificat. De quibusdam codicibus Rabbinicis bibliothecæ Vindobonenſis, aliisque literariis, denique de negotiis publicis diſſerit.

GAudeo, cogitationes qualeſcunque meas, circa *annalium Germaniæ* ſtylum ac methodum ad Baronianum morem, tibi non diſplicuiſſe: ita enim non tantùm facilior erit labor, ſed & exactior. Nam in hiſtoria vetere omnino teſtibus eſt opus. Nec me *Maimburgii* judicium movet, qui Κριτικωτερον illud ſcribendi genus & hiſtoricum decere negat, & hiſtorico admiſceri non vult. Id enim eſt, ſub prætextu elegantiæ fingendi portam apertam ſibi ſervare velle. Quod ad Cæſaris ſententiam de tota re attinet, de

de qua teſtem quæris, ita habeto, mihi tunc non amplius integrum fuiſſe, ex ipſius Sacratiſſimæ Majeſtatis ſuæ ore diſcere, quid videretur; cùm igitur tum ægrotaret ex podagra, Illuſtriſſimus Comes de *Koenigseck*, Imperii Procancellarius, & fortè Reverendiſſimus atque Illuſtriſſimus Epiſcopus Neoſtadienſis, cum quo mihi aliqua dudum notitia interceſſerat, in eo eſſet, ut adiret Cæſarem, a me offerendam maximo principi, quam miſeras, inſtituti delineationem, ipſi commiſi. Fecit è veſtigio, & renunciavit, Cæſarem diſertè ſatis teſtatum fuiſſe, pergratam ſibi eſſe, hanc ordinandæ hiſtoriæ patriæ voluntatem. Porrò cum Illuſtriſſimo Procancellario, de quo etiam quæris, antea locutus eram ipſe, & ſatis intellexi, favere illum pro ſummo judicio ſuo, cum hiſtoricis inveſtigationibus in univerſum, tum verò ſingulatim conſilio huic, condendi collegii hiſtorici Imperialis. Dominus *Neſſelius* & tibi & ampliſſimo *Eybenio* ſua officia cultumque deferri jubet, & ita ad me ſcribit: *Diſplicet mihi magnopere, quod literæ meæ olim exaratæ, non mea culpa, ſed forte poſtarum ſint deperditæ, data in poſterum ſcribendi materia, jacturam illam lubens reſarciam.* Miſit mihi inſpiciendum librum illum Rabbinicum, de quo ſcripſeras. Eſt is codex Hebræus decimus tertius Bibliothecæ Cæſareæ chartaceus, in quarto. Continentur in eo, ex notatione *Tengnagelii*: 1) *Averrois* Commentarius in *Ariſtotelis* analytica poſteriora, 2) *Rambam* ſive *R. Moſe Menachem* vel *Recanatenſis* opuſculum cabbaliſticum, quod eſt 30. circiter foliorum, 3) *R. Nechonia Ben Hakana Sepher Habbahir*, cabbaliſticum opus, cujus ſunt circiter folia 27. 4) Excerpta ex *Medraſch* ſive Commentario in Ruth & Canticum Canticorum. Quæ cel. *Baluzius* deſiderat, etiam inſpexi. Non facilè hic aliquem prece vel pretio invenias, qui hujuſmodi aliquid deſcribere poſſit velitque. Oportet & perpetuo aſſidere: nam ſcribendi ratio a communi ſatis diſtat, paſſimque notis compendiariis, hodie inuſitatis obſcuratur. Adde, quod in his oris, Græcæ literæ & omnino ſtudia interiora minus vulgo colantur, quàm quis facilè credat. Studioſa enim juventus ſcholaſticæ philoſophiæ & juriſprudentiæ in medio poſitæ, dat operam. Tentabo an ipſe aliquid, ſi tempus ſuppetit, ſaltem poſſim in gratiam celeberrimi viri, cui olim non prorſus ignotus; quamquam mihi nec magnus olim fuerit & nunc prope nullus ſit linguæ Græcæ uſus. Ampliſſimo *Eybenio* me commendari & officioſiſſimam meo nomine ſalutem nuntiari peto, quem ego virum inter rara juriſprudentiæ elegantioris ornamenta ſemper colui. De auctoribus, quos nominavit, Domino *Neſſelio* nihil nunc ſuccurrit, quoniam nondum confectus eſt plenus Index Cæſareæ bibliothecæ.

Rerum Anglicarum maxima commutatio oſtendit, nec Galliam infallibilem eſſe. Dubium nullum eſt, quin abruptæ cum Imperio pacis & obſeſſæ Philippolis nuntius Auriaco optatiſſimus advenerit. Nam ſi Gallus magnas vires, quibus ſuperiorem Germaniam inundavit reliquis junctas, Batavis de propinquo oſtendiſſet, haud dubiè & Cardinalem *Fürſtenber-*

gium texiſſet, quem nemo, opinor, invaſurus erat, & metu præſentiſſimo injecto Auriaci transfretationem impediviſſet. Interea, etſi peccaverit fortè Gallia, nos tamen cavere debemus, ne nobis nimium faveamus. Quam enim malè conſultum adhuc ſit Circulo Weſtphalico, & quod hinc ſequitur Saxonico inferiori, cui a tergo Danus imminet, Juliacenſis & Bergenſis tractus, Gallicæ rapacitati expoſiti, oſtendunt. Itaque optandum, ut copiæ maturè ex Anglia redeant, & quidem auctiores. Neque ego exſcenſioni in Galliam, quæ a pleriſque jactatur, tantum tribuo, ut ea fiducia fines noſtros Batavoſque negligendos putem. Claſſis interim aliquo impoſito milite nihilominus oram Gallicam infeſtam habebit, & forſan aliquid gerendi occaſionem inveniet; certè non exiguam virium regni partem; quin & bombis fortaſſe urbes maritimas inceſſet. Ita redibit in auctores malum. Sed quia hujus pernicioſi inventi mentio incidit, adjiciam Epigramma, (*h*) quo nuper in bombos luſi, pulchrum futurum, ſi eorum vim coërcere poſſet, ut olim carmina Theſſalica, quæ efficaciam verbis, magico ritu, ſi credimus, addebant. Vale & ſave. *Viennæ Auſtriæ d.* $\frac{10}{20}$ *Januar.* 1689.

VI.

LEIBNITIUS AD LUDOLFUM.

De collegio Imperiali hiſtorico nondum Principum liberalitate juvando, & de negotiis publicis, cogitationes ſuas exponit.

EX *Tenzelii* tui, viri doctiſſimi, menſtruis dialogis didici, literas quaſdam meas ad te perveniſſe, quibus ſcripſeram, præclarum collegii hiſtorici Imperialis conſilium Viennæ ipſi Cæſari, ſummiſque quibuſdam viris probari. Sed illud tamen, ibi non ſine dolore animadvertere mihi videor, interruptum opus pendere, nec eam afferri ab iis alacritatem, a quibus maximè præſtari debebat. Vellem ego, quædam Dominus *Paulinus* ibi ſcripſiſſet parcius, nec niſi conſilio tecum communicato. Tu quidem prudentiſſimè ad me ſcripſeras, rem omnem initio conſpirantium eruditorum opibus gerendam, nec petendum quidquam a Principibus, antequam

(*h*) *Epigramma hoc nunquam vidimus. Periit fortè inter* Ludolfinas *ſchedas. Nec adeo magnum, opinor, inde ſentiet detrimentum vel literatus orbis, vel poeticam artem amantes. Notiſſimum enim eſt* Leibnitium, *virum ceteroquin* ſummum, *in carminibus pangendis vix ſe oſtendiſſe* mediocrem. *Nolo referre quæ* Jo. Petr. de Ludewig Gel. Anz. T. II. p. 130. *hanc in rem commemorat, dubia fortaſſe. Sufficit ad fidem aſſertis faciendam, inſpexiſſe carminis* Leibnitiani fragmentum, *quod ſupra* p. 88. retulimus.

quam ſpeciminibus publicè editis excitatæ generoſæ in aulis mentes, velut ſponte ad opem ferendam inardeſcerent. Dominus *Paulinus* alia ſibi conſilia eſſe ſubinnuit, eaque re, ni fallor, detrahit aliquid de auctoritate inſtituti.

Confœderati rem præclarè geſſere, quamdiu intra civilis negotiationis tractatuſque politici artes ſtare licuit. Sic Anglia *Jacobo* Regi ingenio magis, quàm vi erepta eſt, Danus a Gallicis portibus avulſus, & nunc Sabaudus ipſe animo ſumto ad factionem acceſſit, Europæ, ſi fata ſinunt, liberatricem. Sed video, in campo & pulvere non eadem induſtria rem adminiſtrari, remiſſis animis intempeſtivoque hoſtium contemtu. Scilicet quidam tantum tribuebant cauſſæ, quæ ſanè juſtiſſima eſt, ut crederent, Deum omnia per ſe geſturum; alii ineptorum hominum adulatoriis vocibus decepti, perſuadere ſibi non poterant, Gallum arma & naves habere. Hoc quidem jactari credique a promiſcuo milite facilè fero, imò & probo: nam in hoc hominum genere audacia pro virtute eſt. Sed Duces ipſos, quorum imprudentia inſanabilis clades accipi facilè poteſt, tam vanis vocibus moveri miror. Interea pro Principe *Waldeccenſi* teſtimonium perhibent literæ Batavorum, prælium viribus imparibus ſedulo diſſuaſiſſe; ſed aliorum ſuffragiis in concilio victum, manus dediſſe. *Saræpontanus*, neſcio an verè, auctor infelicis cœpti accuſatur; jactas ab eo in *Waldeccenſem* voces aculeatas; effectumque ut conſilia cauta pro timidis haberentur. Sed utinam Princeps egregius maluiſſet ſui judicii habere rationem, quàm alieni, *Fabium*que imitari, *Minutii* dicteria ſpernentem, nec rumores ſaluti ante ponentem. Guelferbytana auxilia ingens detrimentum paſſa ſunt, bona parte a corpore exercitus avulſa, & ad deditionem adacta. *Die* 13. *Jul.* 1690.

VII.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM literæ.

Excuſata ſcribendi mora, leges collegii Imperialis hiſtorici editas ad Leibnitium *mittit.*

RESponſum me debere ad binas tuas fateor, ſed multis me impedimentis diſtrictum, inprimis *Commentarii* mei Æthiopici editione fuiſſe, non diffiteor. Defectum ſufficientis excuſationis, benevolentia tua ſupplebit. Exemplar operis mei tibi deſtinavi, ut videas, me in edendo illo otioſum non fuiſſe; ſimul ut ſi monenda quædam reperias, ea me non celes. Abſoluto opere ad conſilium noſtrum de conſcribendis Germaniæ

noſtræ annalibus redii, revidi leges editas ac denuo ſeorſim imprimi curavi, ut eruditi legere & æſtimare poſſint, num ad ſcopum præſcriptum ſufficiant. Qua in re judicium tuum præ cæteris ſummopere æſtimabo, ac ob id illarum exemplar tibi mitto. Reperies in iis conſilium tuum approbatum, nimirum ut annales noſtri, ad modum eccleſiaſticorum *Baronii* conſcribantur. Epiſtolas tuas domi reliqui, cùm ob mortem repentinam Sereniſſimi Principis *Friderici* huc feſtinarem. Alias plura nunc adderem. Quis verò rerum *Gothanarum* ſtatus ſit, *Molkius* veſter referet. Tu interim vale meque amare perge. *Gothæ d.* 21. *Aug.* 1691.

VIII.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

Varia philologica continet, in primis ad Ludolfi *conſilium, apparatum linguæ Germanicæ conficiendi, ſpectantia. De codicis argentei dialecto. Continuationem operis* Seckendorſiani de Lutheraniſmo, *optat.*

VAlere te, & defunctum eſſe inſigni labore *commentarii rerum Æthiopicarum*, gratiſſimum intellectu fuit. Plurimum tamen acceſſit, voluptati meæ, quod tute hoc ſignificaſti, quod dicam? quod munus ingens ipſius operis addidiſti. Munus certè invidendum, & ſuo pretio, & donantis. Acceſſere in cumulum *leges hiſtorici collegii* denuo a te limatæ, quibus meritò applaudo. Nec dubito, te, nunc ab aliis cogitationibus abſolutiorem, hanc rem impenſiùs curaturum, quod utique ad dignitatem pariter & fructum Germaniæ pertinet. Atque utinam cogitata hæc veniſſent, ante tot Rheni urbium cladem & ſpolia archivorum in Galliam avecta. Fortaſſe tamen etiam inde aliquid lucis per *Thevenotium*, *Obrechtium* aliosque viros doctos nanciſcemur.

De originibus Germanicis, linguaque inprimis, tibi apparatum ut audio molienti, cogitandum erit attentiùs. Conſideravi non ita pridem linguæ Cambricæ vel Wallicæ lexicon, quod recudi curavit *Boxhornius*, & video multa eſſe Germanicis noſtris conſentientia; ſed & multa tamen abhorrentia prorſus, quod eo minùs miror, quoties cogito, quàm multa ſint in veteribus Francicis aut Saxonicis gloſſariis toto cœlo diverſa a noſtris. Nempe ſi prima inter vicinos linguæ mutatio dialectum aliam parit, ſecunda & tertia mutatio tandem aliam faciet linguam; neque ego valde illis repugnem, qui pleraſque linguas, cognitæ veteribus orbis ab eodem fonte fluxiſſe judicant. Sed de Sinenſibus, Americanis, Afribus, quid dicam non habeo, uſque adeo illi toto ſermonis, ne dicam corporis habitu, a noſtris diſſident. *Codex argenteus* an Gothicam linguam contineat, nondum

dum ſatis ſecurus ſum. (*i*) Res ſumitur magis, quàm probatur. Sed & de Gothis Sueciæ ſæpe hæreo, etiam poſt *Jornandis* teſtimonia lecta expenſaque. Certè idioma codicis argentei non minùs, quàm character, a Suedicis & Runicis immane quantum differt. Suecica & Danica plus Anglo-Saxonici habere mihi videntur. Unum *Fan* pro *domino* notavi in codice argenteo, quod hodieque habent Suedi. Non dubito, quin ſint plura: ſed mihi nec vacavit, nec parum gnaro Suedicorum & Runicorum, licuit inquirere: ſed etſi paucula vocabula conſentirent, ipſa tamen idiomatis ſtructura multum abit. Sed nemo de his melius te uno judicabit. *Seckendorfianum opus* illuſtre nunc habemus, credo. Vellem eſſet, qui proſequeretur ultra *Lutheri* mortem. In eam rem ego ſummo illi viro doctiſſimum *Tenzelium* propoſui, ut quoniam valetudinem ejus affectam, tam moroſo labore ultra ſollicitari æquum non eſt, ſaltem ſub ejus oculis res geri poſſet. Nec dubito, ipſius auctoritate Principes quoſdam Evangelicos animatos, facile adduci poſſe, ut otia faciant clariſſimo viro, neceſſaria ad hujuſmodi opus. Et cum tui quoque ſuffragii magnum pondus ſit futurum, intelligere velim, quid ea de re ſentias. Rogo, ut incluſas curari jubeas. *Kraftius* ad quem ſcriptæ ſunt, vir eſt tibi fortaſſe nomine notus; in chemicis, mechanicis & re mercatoria excellens uſu ac meditatione. Dominus D. *Weizius* archiater Gothanus, vel alii, rationem literas ad eum curandi facilè ſuppeditabunt. Quod ſupereſt vale ac fave. *Brunſvic. d. 5. Sept. 1691.*

IX.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Quædam, potiſſimum ad origines linguæ Germanicæ ſpectantia tradit.

Literis tuis gratiſſimis d. 5. Sept. & 26. Nov. ad me datis, tardius reſpondeo. Cujus moræ, quo plures cauſſas habeo, eo faciliorem veniam a te ſpero. Poſt reditum meum è Saxonia, negotia, tam publica, quàm privata, interim accumulata, expedienda erant. Literis, quæ undique advolant, tantùm non obruor. Ut Europæas taceam, a Sichemitis de-

N 3 nuo

(*i*) *Codicis argentei idioma Francicum credidit* Maturinus Veyſſiere la Croze, *philologus olim ſummus. Vide quæ in hanc rem monuit in* theſauro epiſtolico Lacroziano T. III. p. 78. *& quæ uberius pro eadem opinione firmanda expoſuit* Jo. Dav. Michaelis, *frater conjunctiſſimus:* in der Einleitung zu den göttlichen Schriften des Neuen Bundes *p. 274. ſeqq.*

Noviſſimè *Jo. Ihre* V. C. Gothicam originem codicis argentei adſeruit, argumentis uſus haud contemnendis, in diſſ. *de linguâ codicis argentei.* Upſal. 1754. 8. editâ. Cf. Goettingiſche Anzeigen 1755. *p. 419. ſeqq.*

nuo literas accepi. Priores impreſſas procul dubio vidiſti. Si *Scaligeriana* è bibliotheca regia Gallica habere poſſim, omnes ſimul imprimerentur. (*k*) Auxilium pecuniarium expetunt miſeri, idque ſeſe mereri poſſe putant, ſi doceant, quàm accurati ſint obſervatores legis Moſaicæ, meliores multo Judæis, atque huc trahunt nomen שמרים cuſtodes vel obſervatores legis. *Chalybone* (*Aleppo*) quoque a conſule Hollandico nuper epiſtolam retuli, eamque minimè vacuam, ſed cum munere τῶν דודאים Dudaim, & בטנים ſeu Piſtaciis, hodie בטמי Botme, dictis, quæ *Jacobus* filio *Joſepho* in Ægyptum miſit dono. Palmulæ enim, ut quidam reddunt, idem fuiſſet, ac noctuas Athenas. A *promontorio bonæ ſpei* miſſa ad me fuerunt ſpecimina *linguæ Hottentoticæ*, ut videam, num cum Æthiopica mea conveniant, quaſi ego etiam de ferorum hominum glocitatione verius, quàm lingua judicare poſſim. Idem, quod tu ais, fateri me oportet, de *Sinenſibus*, *Americanis* & *Cafribus*, cujuſmodi Hottentotii ſunt, me non habere quid dicam; de habitu & conſtitutione corporum multo minus, videlicet Anthropophagorum, Pamphagorum, Pygmæorum, mulierum menſtruo carentium & ſimilium. Quæ obiter tetigi in *commentario* meo *lib. I. c. I. nu. XXII.* §. 23. De Pygmæis tantùm addam, quæ Dominus *Ant. Rod. Coſtius* Secretarius ac Theſaurarius Regius, poſt editum opus meum, de Pygmæis interrogatus; ad me ſcripſit: *Tenbo averiguado, que la Reinha defunta mando a o Duca de Savoia duos negros e duas negras de tres palmas cadabum.* Compertum ſe habere ait, quòd Regina defuncta duos Æthiopes & duas Æthiopiſſas miſerit Duci Sabaudiæ, trium palmorum ſingulas. Cætera habes in opere ipſo.

De linguis, quarum te video ſtudioſiſſimum, in commentario meo egi *lib. I. c. XV. n. CXI.* ubi neceſſe habui, non tantùm inſanos Talmudiſtas, ſed & alios viros claros notare. Verùm ea omnia limatiſſimo judicio tuo ſubmitto, idque commoda occaſione exſpecto. Sed a cauſſis diuturnioris ſilentii mei diſtractus, ſummam nunc expono, ne ſcilicet epiſtola mea, celerius veniret promiſſo munere, adeoque promtior viderer ſcribendis literis, quàm exſolvendo debito. En commentarium meum! quem tibi benevolè offero, ſed non ſine magno onere, ut eum videlicet horis ſucciſivis

(*k*) *Primus fortè Europæorum fuit, qui Samaritanarum literarum cupiditate teneretur* Joſ. Juſt. Scaliger, nactus *hanc in rem ſchedas quaſdam ex Ægypto allatas, quas vel edidit, vel ineditas bibliothecæ Lugdunenſi apud Batavos legavit. Sed his cum reſtingui ſitis magni* Scaligeri *haud potuerit, ad Samaritanorum in Ægyptum & Palæſtinam ſynagogas exaravit literas, quibus geminis epiſtolis reſponſum fuit, neutra tamen ad* Scaligerum *pervenit. Sed poſt ejus fata illas nactus* Peireſcius, *per* Jo. Morinum, *è congregatione oratorii, latinas reddi curavit. Ex* Peireſcii *theſauris literariis* αὐτογραφα *in bibliothecam Regiam Pariſienſem migrarunt: fruſtra non a* Ludolfo *ſolum, ſed etiam a* Chriſtoph. Cellario *expetita. Verſio tamen latina in ſcriniis* Morini *reperta, lucem adſpexit Londini* 1682. Cf. Cellarii diſſ. de gent. Samarit. hiſt. *p.* 137. *ſeq. edit.* Walch. & Peireſcii vita per Gaſſendum *p.* 119. *ſeq.*

ſivis evolvas, & ſi quæ monenda invenias, liberrimè moneas. Ex te enim tuiſque literis ſemper aliquid addiſco, atque judicium tuum maximi facio, dictionemque tuam æſtimo. Si quoque ex aliis de me rebuſque meis aliquid cognoſcas, id celare me noli. Nam ſive mala ſive bona de me prædicent homines; mediocria tolerabo, nimia deprecor. Cùm nuper Gotha ad te ſcriberem, literas tuas priores, mecum non habebam; igitur prætermiſſa nunc reddo. Dominum *Friderici* dudum compellavi, num debitum opus bibliothecæ Lipenianæ tibi miſerit? affirmavit illud, ipſique fidem habui, ideoque ſilentio tranſmiſi. Nunc verò ſignifico, ut ſcias, me tuis mandatis expediendis ſemper fore promtiſſimum. Quod collegium noſtrum Imperiale hiſtoricum ſpectat, planè tibi aſſentior, ante ſpecimina publicè edita, nihil neque in Cæſarea, neque aliorum Principum aulis commodè agi poſſe. Verum eſt, quod *Paulinus* noſter urget, pecunia quadam ſubſidiaria opus eſſe; ſed ſi pro privilegio Cæſareo petatur, ego ne obulum quidem dare decrevi. Si negotium pro gloria patriæ gentiſque noſtræ ſucceſſerit, gloriabor id ſine privilegio ullo factum; ſin minus, nolo rem inanem Cæſaris nomine decorare. Igitur jam laboro, in concinnando operis procemio, quod in me recepi, & urgeo eos, qui primum & ſecundum ſæculum elaborandum ſuſceperunt. *Urgeo* inquam, neque enim juriſdictio ulla, multo minùs imperium ullum in eos competit. Nomina quidem ſua collegio dederunt; ſed ſine diligentiæ voto; multo minus juramento. Hæc ſcribo, ut ſi opinione lentius procedat negotium, nihil mihi imputetur. Ipſe enim noſti, quàm tardi ſint labores gratuiti. De originibus linguæ Germanicæ multa quidem habeo; nihil tamen molior. Multum mihi negotii cum *Caſio* ejuſque ſociis, ſermonis hodierni reformatoribus, qui me in ſocietatem pertrahere voluerunt. Reſpondi, me inutilem illis fore ſocium, & perturbatorem potius, niſi mecum in principiis conveniant. Primò certò decernendum eſſe, quæ vocabula pro peregrinis, quæ verò pro nativis habenda. Non enim omnia ea peregrina eſſe, quæ cum peregrinis conveniant. Quem enim tam inſanum fore, ut aſſerat, majores noſtros neque naſum, neque aures, *Ohren*, oculoſve, *Oogen* habuiſſe, priuſquam a Latinis diſcerent. Statuendam eſſe antiquiſſimam linguam, communibus noſtris majoribus communem, quam ſi *Japheticam* appellare velis non averſabor, ex qua communia illa vocabula profluxerint: ſic uti cognati & agnati non deſcendentes a ſe invicem, neque pro extraneis, ſed pro propinquis ex communi ſtipite deſcendentibus habendi. Ita Græca βυλομαι *wollen*, ἱματιον *Hembt*, Κερας *Cornu*, *Horn*, Ηλιος *Sol*, *Sonne*, & infinita alia, non a ſe invicem petita, ſed a majoribus retenta, mirabiliter detorta, multa in contrarium verſa, veluti *blak*, *niger*, & *blanc albus*, *calidus*, *warm*, *kalt*, *frigidum*, *Troppo multum*, *ein Tropp*, *gutta*, *parum*. Qualia etiam in Orientalibus dantur. Ubi in una lingua radix, in altera derivatum manſit. Ita hic ſi quæras, *vacillare* (incidenter nota, pronuntiationem veterem ubique ſciendam ac retinendam) *wakillare*, *wakeln*,

keln, ſitne Latinum an Germanicum verbum? radix quærenda eſt, quæ non in Latina, ſed in Germanica reperitur lingua. Eſt enim frequentativum a *wiegen*, *waegen*; cognata ſunt *eine Wage*, *Wiege*, *Woogen des Meeres*, & ſimilia a motu reciproco dicta. Sicuti igitur hominis patria eſt, ubi oriundus eſt, & familiam ſuam cognatos & agnatos habet, ita & vocabuli. Quod modò obiter dixi, pronunciationem Latinam antiquam cognitam eſſe debere ei, qui de origine vocabulorum judicare velit, nempe, C ſemper ut K, V verò ut W Anglicum pronunciatum fuiſſe. Inde apparet Ceraſa, *Keraſa*, *Kirſchen*; Cicer, *Küchern*; Vicia, *Wicken*; Cæſar, *Kayſer*; Carcer, *Kaercker* cæt. partim verè Latina eſſe, partim antiquitùs retenta. Porrò creberrimè inculcavi, vocabula peregrina, in communem uſum a tota natione recepta, ac veluti tacito conſenſu civitate donata, eliminanda neutiquam eſſe. Veluti, ſi quis peregrinos, civitate vel gente donatos, (*Naturaliſés*) rurſus exturbare vellet, magnam utique illis injuriam faceret; ita ſi quis talia vocabula, pridem in uſum introducta expellere vellet, monſtrum linguæ produceret, nec tamen quidquam efficeret, cùm ne quidem in ſummi Principis poteſtate ſit, linguam mutare, aut vulgo aliam ac ipſe utitur, obtrudere. Talia ſunt *Fenſter*; menſium & artium & herbarum & fructuum advectorum nomina, vulgo recepta. Eruditi aliquid inter ſe facere, vulgo perſuadere non poſſunt. Semper ingeſſi exemplum Agrippinenſium in caſu ſimillimo apud *Tacitum Hiſt. IV. cap.* 64. *& ſeqq.* Ubi Tencteri volebant, ut Agrippinenſes Romanos omnes in finibus ſuis trucidarent, ut ſinceri ac integri agerent. Quibus Agrippinenſes reſponderunt: alienigenas qui in finibus eorum fuerint, vel bellum abſumſiſſe, vel in ſedes ſuas refugiſſe: deductos olim & ſecum per connubium ſociatos, & qui ex illis provenerint, hanc patriam eſſe. Neque vos adeo iniquos exiſtimamus, inquiunt, ut interfici a nobis, parentes, fratres liberos noſtros velitis. Hæc & ſimilia, reformatoribus oppoſui, quibus variè, ſed parum idoneè reſponderunt. Nimium excreſceret hæc epiſtola, ſi omnia hac de re acta & ſcripta referre velim. De ſeptentrionalibus linguis aliquid dicere, nec temporis nec epiſtolæ ratio ſinit. Certum eſt, & in iis multas communis originis radices retentas, exempli gratia: Nos habemus *Verdammen*, *Chriſtendum*, *Heydendum* cæt. Radix in illis eſt *dôma*, *judicare*; hinc *dömare*, *judex*, & multa alia. *Verdammen* igitur eſt *Verurtheilen*, *Chriſtendum*, *ditio* Chriſtianorum. *Elbe* eſt nomen appellativum *flumen*. *Mutwill* eſt *Mootwill*. *Moot* enim ſignificat *contra*. Si enim a *Muth* derivaretur, dicendum eſſet *Wilmuth* ſicut *Demuth*, *Hochmuth*. Præpoſitiones verò præponi ſolent, ut *Zuſtand*, *Wiederwille*, idque propriiſſimè eſt *Muthwill*; quamvis alio ſenſu. *Tenzelium Seckendorfii* opus continuare poſſe, puto; illo præſertim vivo adhuc; ſed ſuis ſumtibus vivere nequit. Quis ergo illos ſuppeditabit? Plura addere feſtinatio Domini *Nicolai Langii* (*F. S. Agentens*) non permittit. Igitur finio, teque optimè & diutiſſimè valere jubeo. *Francoſ. d.* 25. *Jan.* 1692.

X.

Digitized by Google

X.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

Conſilia de originibus linguarum inveſtigandis exponit: & de Peterſenii *novationibus in Theologia.*

MUltum tibi & pro inſigni munere debeo, & pro literis, rerum pulcherrimarum plenis, quibus me multa doces. Speraveram ipſum commentarium Æthiopicum legere, intentiore ſtudio, atque in eam rem ſepoſui dudum inter agenda; ſed diſtrictiſſimo nondum licuit ſatisfacere toti curioſitati meæ: fiet tamen primo otio & dabitur a me opera, ut inſigne beneficium tuum, impari quidem, aliquo ſaltem redhoſtimento agnoſcatur. Quæ de *Dudaim* & de *Piſtaciis* a *Jacobo* Patriarcha in Ægyptum dono miſſis habes, præclara ſunt, ut tua omnia. Gaudeo Hottentoticæ linguæ ſpecimen ad te miſſum eſſe: etſi enim abrupta a vicinis linguis non agnoſcatur, non dubito tamen, quin aliquando futura ſit notior. Itaque etiam atque etiam cogitandum cenſeo, per amicos, quos toto orbe habes, ut aliarum quoque Africæ illius abditæ, litoralium pariter ac mediterranearum linguarum ad te perveniant ſpecimina. Et conſultiſſimum erit, dominicam orationem unaquaque lingua exprimi, ut habeamus communem menſuram comparationis. (*l*) In eandem quæſo curam & in Aſia aliiſque terrarum locis incumbe. Inprimis vellem noſſe, quomodo in linguis hactenus ignotis enuncietur *Pater*. Nam in pleriſque exploratioris orbis reducitur vel ad *Abba* vel ad *Atta*. Scripſi ego ad R. P. *Kochanskium*, Sereniſſimi Poloniæ Regis Mathematicum, ut curet aliquid ad nos pervenire de linguis Scythiæ interioris. Retulit ad Regem, cujus Majeſtas rem ſua cura non indignam judicavit. Scis *Busbequio* auctore, ſupereſſe in Taurica veſtigia Gothorum Germanorum. In Iuhra Hungaricæ reliquias eſſe, *Mechovius* ſcripſit. (*m*) Ipſe *Kochanskius* memorat Jeſuitam quendam Hungarum, captum a Tartaris & ad Caſpium mare delatum, patrium idioma agnoviſſe. Vagina gentium Scythia eſt, unde Germanos quoque noſtros in has terras egreſſos credibile eſt. De Scandinavia valde hæreo, an *Rudbekii* quamquam doctiſſimi atque ingenioſiſſimi viri ſententia admitti poſſit. Neſcio an unquam Gothi fuerint in Scandinavia, nec ſatis perſuadeor teſtimonio *Jornandis*. Certè *Ulphilæ*, quæ creditur verſio longè mihi deeſſe videtur a Scandinaviæ dialecto: hanc enim potiùs Anglo-Saxonicæ convenire agnoſco. Migrationes olim non facilè fiebant mari.

 Et

(*l*) *Vide quæ ſupra monuimus Not.* (*a*).

(*m*) De Sarmatia Aſiana & Europæa; in *Piſtorii* Script. rer. Pol. T. I. p. 150.

Et credibilius eſt, Germanos olim paulatim ſe diffudiſſe in Scandinaviam ad inſtar inundationis, quæ poſtremum objectu altioris loci terminum invenit. Itaque Germanicæ linguæ ſeſe extendenti finem impoſuit *Bodnicus ſinus*, ita ut Suecia ſit velut in extrema fimbria Germaniæ. Ultra *Fenni* jam *Tacito* non minùs, quàm ſæculo noſtro. (*n*) Illud tamen non abſurdum eſt, remiſſas ex Scandinavia in Germaniam colonias, ipſoſque Saxonas Scandinavicæ originis eſſe. Tecum ſentio, innumera eſſe Germanica conſentientia peregrinis, non ideo peregrina, ſcilicet ex eodem omnia fonte. Et fruſtra *Cæſiani* noſtri id agunt, ut linguæ noſtræ detrahant feneſtram, *Fenſter*, aliaque id genus, etiamſi hujus facilè credam cum nomine rem ad nos perveniſſe. Sed dudum Germana civitate donata hæc vox eſt. Suffecerit ſtudium frugiferum in eo collocari, ut exſulent, quæ improvidè inferuntur peregrina, ſuppetentibus domeſticis atque paulatim introductis aliquando commodis phraſibus vocibuſque ſuppleantur reliqui linguæ defectus. Ad linguæ noſtræ perfectam notitiam opus foret dialectos quoque provinciarum Germaniæ cognoſci voceſque proprias notari. Ignorabam ego, quid eſſet *Schalten*, *Schaltjahr*, cùm nuper aliquis ex vicino Argentoratenſibus Hanovienſi tractu forte appellans *einen Schalter*, quod nos vocamus *ein Schubfenſter*, & Saxones ſuperiores Lipſiæ, *ein Schoeſſgen*, excitavit curioſitatem, ut quærerem, quid hoc monſtri eſſet *Schalter*. Tum ille me docuit, *ſchalten* in illis oris eſſe *fortrücken*, *rücken*, propellere aliquid; quemadmodum ſi dolium in terra jacens promoveamus. Inde agnoſcere mihi viſus ſum, unde eſſet *Schaltjahr*, nempe ab Emboliſmo, *vom einrücken*, *oder rücken*. Voces & phraſes quibuſdam Angliæ provinciis peculiares notavit *Raëus*. *Grimaldus* Jeſuita, ad Mandarinatum & præfecturam ſupremam rei mathematicæ apud Sinas, mortuo *Verbieſto* ſucceſſor deſtinatus, cui aliquoties Romæ locutus ſum, nunc erit credo in Perſis, quemadmodum colligo ex Kochanskianis literis, & Rex Poloniæ commendatitias illuc miſſurus erat ad Regem Perſarum, ut iter ipſi terreſtre ex Perſia per Usbeccenſes in Sinas aperiatur. Itaque ſcripſi ad eum literas, rogavique *Kochanskium*, ut ſi liceret, cum Regis commendatitiis tranſmitterentur, hortatuſque ſum *Grimaldum*, ut in populorum per quos tranſit ſitus & linguas curatiùs inquirere vellet. Ex ipſo dedicimus, etiam Sinenſibus Tartaris *Morab* eſſe equam. Jam *Mahre* etiam Germanis noſtris & Britannis Anglicè atque Aremoricè equus eſt, ut intelligas eandem fere vocem ab extremo oriente ad occidentalem oceanum

(*n*) *Fennorum lingua a Germanica toto cælo differt, magiſque convenire videtur Laponicæ. Cæterum neſcio an rem acu tetigerit* Fabianus Toerner *qui* Olavi Rudbeckii *ſententiam ſecutus, in diſſ.* de Origine ac religione Fennorum *Upſaliæ 1728. edita*, Fennos, Eſthones *&* Lapones, *Iſraelitarum colonias eſſe affirmat. Indicaſſe hoc ſufficiat. Nam in aſſerti veritatem curatius inquirere tam inſtituti ratio, quam linguarum iſtarum ignorantia nos prohibet*,

num penetraſſe. Non dubito, quin multa ſint apud nos, quæ Septentrionales linguas illuſtrent, & multa apud ipſos, quæ noſtram viciſſim. Quid de *Bernardi* cogitationibus circa Britannicæ linguæ origines judicas? Fateor non inutiliter Slavonicam, Germanicam & Aremoricam conferri, addique etiam Eſthonicam. Comperi Vinidos Luneburgenſes aliquid Eſthonicum ſubinde admiſtum habere. An durat tibi cum *Bernardo* commercium literarium? Eſt certè in illo viro eruditio rara & latè fuſa.

Multa alibi jactari videor, de rebus noſtris eccleſiaſticis; ſed malè comperta. *Peterſenius* Superintendens antea Luneburgenſis, mea ſententia ſimplex magis, quàm malus vir, eſt dimiſſus quòd mandatis non ſatis paruiſſet. Welferbytani aliquot eccleſiaſtæ dimiſſionem ultro petiere, nec ideo hæretici habentur, ſed *Meyerus* præpoſituram Schoningenſem; alter *Luderus* profeſſionem in academia illuſtri, tertius *Neusſius* etiam concionatoris munus retinuit, tranſlatus Hedwigiburgum; ſatis ſcilicet habuit aula, mutatione occurrere gliſcentibus novitatibus & vulgi vocibus; ut omnia ad priorem formam redirent. *Aſſeburgiæ* virginis notiſſima mihi ſunt reſponſa, & ipſa legi quorundam originalia. Iniquè faciunt, qui eam proſcindunt injuriis; impudenter, qui ex immediata quadam revelatione θεοδίδακτον arbitrantur. Ego puto, quòd in quibuſdam miſeris muliercu-lis, ſagarum crimine informatis, præſtat mala educatio, ut habeant abſurdis & horrendis ſomniis perturbatam mentem, ejus contrarium in virgine bene nata & bene educata fieri poſſe. Neque aliud, credo, myſterium in viſionibus ejus pariter ac *Brigittæ* olim & ſimilium quærendum eſt. Injuriam faciunt *Peterſenio*, qui ab ipſo ad talia jactanda ſeductam & ſubornatam arbitrantur.

Accipio literas ab optimo *Juſtello* Londini 25. Martii datas. Queritur de valetudine infirma. Scribit *Boylium* reliquiſſe legatum quinquaginta librarum, habendis inpoſterum concionibus in Atheos, Deiſtas, Socinianos, alioſque id genus homines. Vale & mihi favere perge, qui ſemper futurus ſum, omni cultu & obſequio tuus. *Hanov. d.* 17. *April.* 1692.

P. S. Si quid jubes, quæſo mihi inſcribendas dirige Caſſellas *à Monſieur* Haes *Archivaire & Secretaire des Commandemens de S. A. S. à Caſſel.* Ad quem ſufficit pervenire ſub ſimplici involucro.

Digitized by Google

XI.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Ad priores Leibnitio *reſpondet, & de fructibus, quos pro* Dudaim *veterum Hebræorum habet, ex Aſia ad ſe miſſis eum certiorem reddit.*

TAndem diu exſpectatæ literæ tuæ advenerunt, ex quibus gratum intellectu fuit, quòd commentarium meum Æthiopicum acceperis; quem ſi horis ſuccifivis perlegeris atque monenda notaveris & ad me retuleris, rem mihi facies gratiſſimam. Dudum feci, quod ſcribis, ut quantum fieri poſſit, totius orbis linguarum ſpecimina colligam; Africæ præſertim, quæ plures in ſinu ſuo nationes & linguas continet, quàm ceteræ orbis partes. Inſignis *Nicolaus Witſius* Conſul Amſtelodamenſis operam ſuam in eo mihi pollicitus eſt, meaſque literas ad Gubernatorem generalem Hollandorum in India, quem eruditis favere dixerat, promovit. Orationes Dominicas centum fere linguis *Ludekenio*, obſtetricante *Andrea Mülleró*, Greiffenhagio, editas, aliquot hucuſque ineditis auxi. Si quid rari ulterius obtinuero, tecum communicabo. Noſſe vis quomodo in linguis hucuſque ignotis enuncietur *Pater*. Peculiare additamentum ad orationes dominicas modo dictas *Mullerus* (cur aliud nomen operi ſuo præpoſuerit, neſcio) de hoc vocabulo fecit *p. 62*. Impreſſus eſt liber *Berolini A.* 1680. *ex officina Rungiana*. Novem ſchedarum libellus *in Quarto* ut vocant, ſed tamen thalero venit, quia aliquot peregrini characteres tabulis æneis ſunt impreſſi. Curioſitati tuæ ſatisfaciet, quamvis multa ſint, quæ monere potuiſſem, ſi me tempeſtivè conſulere voluiſſet. Ceterum ut rariora mea tecum, ſingulari videlicet amico communicem, accepi his diebus Chalybone fructus Palæ, Arienas nempe, Arabibus موز *Muzat*; priſcis Hebræis *Dudaim*, ſed aceto conditas acerrimo, ut eſui non ſint, ſimillimas imagini in Hiſtoria mea expreſſæ, quibus deſcriptiones auctorum veriſſimas nunc deprehendo. Accepi quoque بطم *Botme*, ſeu fructus Terebinthi; ſunt velut Piſtacia parva, atquè hoc ipſum vocabulum habet Arabicus interpres. Hinc patet cauſſa, cur ſeptuaginta interpretes Hebraicum בטנים reddiderint τερέβινθον & illorum exemplo Vulgata *Terebinthum*. Arbores enim ſunt congeneres, atque inter ſe ſimiles. Nucleos nonnullos hic adjicere volui, ſed ſapor eorum affluente aceto corruptus. Donum verò quod *Jacob* miſit, revera fuerunt Piſtacia: nam *Datteln*, *palmulæ* eſſet noctuas Athenas. Quandoquidem verò tantus linguarum ſtudioſus es, lege quæſo *Commentarii mei lib. I. cap.* 15. *nu. CXI.* tumque mihi judicium de eo expone, cumprimis de loco *Plinii* §. 14. cujus emendatio, quia a me pri-

primùm eſt inventa, aſſenſum eruditorum exſpectat: mihi enim ipſi minimum fido. Ad nomen *Patris* redeo. Verum eſt, quod ſcribis, communiſſima nomina eſſe *Abba* & *Atta*. In Suecia & Helvetia auditur adhuc *Aette*. Hinc ſcimus, quid ſit *Attelich*, & ut hodie pronunciamus *Adelich*, *Attalbertus*, *Adelwert*, i. e. *Nobilis vir*. Hinc per apocopen factum *Adel*, ſicut ex ברת אנך *Bretanæ*, regio ſtanni, *Britannia*, Britannus & ſimilia. Quandoquidem tibi amicitia cum P. *Kochanskio* Sereniſſ. Regis Poloniæ mathematico eſt, & jam de linguis Scythiæ interioris ad eum ſcripſiſti, roga illum quæſo, ut ex captivis Tartaris & quidem peritioribus ſciſcitetur, num Nanguienſes, Circaſſienſes, Dageſtani, Caſanenſes & Aſtracanenſes Tartari eadem dialecto ac Precopenſes utantur, & quouſque illa valeat. Locum *Busbequii* in *Epiſt. IV.* de gente quadam Saxonica in Taurica Cherſoneſo, bene noveram. Cùm Tartaricus legatus anno 1650. in Suecia eſſet, quem ſæpius frequentavi, illumque ejuſque ſocios & famulos omnes diligenter interrogavi, num de tali gente, ejuſque lingua & moribus a Tartaricis diverſis aliquid ſcirent; conſtanter omnes negaverunt. Operæ pretium foret & hæc *Kochanskio* proponere, num ille fortaſſis ex captivis cognoſcere poſſit, num talis gens adhuc hodie ſuperſit. Jeſuita Hungarus ad Caſpium mare delatus, ſpecialiter indicare debebat loca, ubi patrium idioma reperit. Vagina gentium Scythia eſto; ſed inde non ſequitur, majores noſtros inde egreſſos. Si *Orientem* nempe *Meſopotamiam* & adjacentes regiones primorum hominum patriam credimus, colonias inde proxima via, non per ambages *Ponti Euxini*, in has Septentrionis regiones perveniſſe aſſerendum eſt, mox multitudine hominum aucta, in meridiem regreſſos, loca, quæ potuerint, recuperaviſſe. Cùm enim omnes inter ſe pares eſſent, atque cùm per ætatem liceret, connubiis jungerentur, reputa, quæſo, multiplicatione facta, quantus hominum numerus duobus vel tribus ſæculis prodire poterit. Sic nihil abſurdi erit, primis poſt diluvium ſæculis Japheticas nationes è Germania & Holſatia in Daniam, & Scandinaviam, rurſuſque ex illis regionibus per auſtraliores regiones diffuſas, aſſumto Gothorum nomine, uti noſtri Francorum. Quoad ſtudium frugiferum, gaudeo te ejuſdem mecum ſententiæ eſſe. Velim & ego, ut aliquis dialectorum Germaniæ gnarus, nobis *Gloſſarium* ederet, ex quo vetera exponi poſſent, veluti *Schaltjahr*, de cujus expoſitione mihi gratulor. *Charwoche*, *Schaecher*, *Oſtern* & ſimilia. Cùm vulgarentur primò, procul dubio ſignificativa erant. Scio quomodo alii exponant, de quibus alias. Si *Grimaldus* literis tuis reſpondeat, noli me illas celare. *Mare* pro *equo*, antiquiſſimum Germanorum vocabulum eſt: hinc *Mareſchalk*, *Equorum ſervus*; ſed ad dignitatem præfecti ſtabuli erectum eſt hoc vocabulum, & mox ad alia. Nuper admodum accepi epiſtolam a *Bernardo* Oxonienſi. Is *Joſephum* rurſus illuſtrandum ſuſcepit. Sed plura proximè. Charta nunc plena eſt. Vale. *Francofurti d.* 16. *Junii A.* 1692.

XII.

LEIBNITIUS AD LUDOLFUM.

A Ludolfo *in Hiſtoria Æthiopica tradita probat & vel de Originibus vel coloniis Germanorum ex philologia inveſtigandis, quædam monet.*

CUm nuper breve iter facerem, comitem aſſumſi *Commentarium tuum*, non facundum minùs, quàm jucundum; ſed nec utilem minùs. Quanti enim eſſe putas, noſcere nos penitius ingens in Africa interiore imperium idque Chriſtianum & conſilia vireſque ſi ſaperemus noſtris junċturum in communem hoſtem *Muhammedem*? Porrò tot loca ſacræ ſcripturæ aliorumque ſcriptorum veterum illuſtrari genuinuſque ſenſus erui, ipſis ſeptuaginta interpretibus non ſatis cognitos, quis non magni faciat? Evolviſti egregiè homonymias quæ in Æthiopum & Indorum appellatione latebant, eaque re difficultates maximas diſcuſſiſti. Coturnices olim & ipſe credideram, quas ingenti copia ad ſinum Arabicum & in Ægypti vicinia reperiri non *Joſephus* tantùm, ſed & *Diodorus Siculus* & *Plinius* aſſeveraverant. Sed tantum rationum pondera prævaluerunt, atque illud præſertim extorſit aſſenſum, quod ingens cumulus ſuperincumbentium ſibi, non coturnicibus conveniat, ſed locuſtis. Rectè judicas, in Dioſcuriade Cholihorum 300. linguarum homines colligere, nimium videri. Auctorum *Strabonis* & *Plinii*, an librariorum error ſit? equidem non ſatis dixerim, & ambos corrigere plus eſt, quàm unum emendare, niſi dicamus, *Plinium* ex *Strabone* ſuum numerum tranſcripſiſſe, & corrupto jam tum loco uſum.

Fateor *Megiſerum* nimium multiplicare linguas; interim non malè dialectorum quoque habuit rationem, idemque vellem facere paſſim eruditos in Germania. (*o*) Theſaurum polyglottum magni facio, ob colligendi laborem exhauſtum, mirorque unde illi omnia, quæ cumulavit. Gaudeo quòd de linguarum ſpeciminibus colligendis tu quoque cogitas, præſertim ex Africa. In eo inſtituto perge quæſo, & cura tibi quàm plurimas afferri orationes Dominicas. Tentabo ego, quid ex Septentrione favore *Kochanskii* & juſſu ipſius Sarmatiæ Europææ Regis obtineri queat. Reſcripſit enim *Kochanskius*, daturum ſe operam, ut *Moſcua* pariter & aliunde afferantur, quæ poſſunt haberi: ſcripſiſſe ad Reſidentem Polonicum apud Moſchos, & meas

(*o*) *Exemplum aliis imitandum dedit* Mich. Richey *V. C. in opere præclaro, ac inſignis induſtriæ documento, cui titulus:* Idioticon Hamburgenſe, oder Wörterbuch zur Erklährung der eigenen in und um Hamburg gebrauchlichen Niederſächſiſchen Mundart, *quod hoc ipſo anno auctius prodiit* Hamburgi.

Digitized by Google

meas *Grimaldo* deſtinatas miſiſſe ad Perſas. Jam dudum ſcripſi *Kochanskio* optare me noſſe an in Taurica Cherſonneſo ſuperſint Gothi vel Germani, quos memorat *Busbequius*; fuiſſe non ita olim, non eſt dubium. Nam & *Rubruquius*, quem *Ludovicus Sanctus* Rex Galliarum miſerat ad Tartaros, illic ſuo tempore plurimos Germanicæ linguæ homines fuiſſe aſſeverat. An hodie deleti ſint, an in montanis reliquias tueantur, non dixerim. *Rubruquius* idem videtur nobis veram Hungarorum in Scythia ſedem indicare trans Volgam ſcilicet, non procul a Caſpio mari, vocat magnam Hungariam. Ego plurimum tribuo hujus viri auctoritati; nam & ipſe tranſiit per illas gentes & conſentientia admodum loquitur, tum inter ſe, tum aliorum narratis fide dignis. Multoſque apud Tartaros vidit Hungaros captivos, ut ait ipſe, quorum judicio videtur rem cognoviſſe. Hæc jam Jeſuitæ Hungari narratio confirmat. Paulo ante *Rubruquium* advenerant Tartari in illas oras, ubi antea habitabant Cumani & Alani, quos videtur ſubinde pro iiſdem habere. Et crediderim fuiſſe Hunnicas gentes, quæ Germanis Gothis ſucceſſere. Nam ibi habitaſſe Gothos, antequàm ab Hunnis pellerentur, veteres dubitare nos non ſinunt. Et cùm in iiſdem ſedibus paulo ante locentur Getæ, ubi mox Gothi, credibilius eſt, eoſdem fuiſſe; licèt aliquando nomen Getarum latiùs porrigatur. Ex Scandinavia autem veniſſe ad Pontum, ita ut *Jornandes* memorat, non credo. Res diſtinctione multa indiget, ut concilientur ſalventurque omnia. Non ſatis intelligo, quo alio quàm per Scythiam itinere Germanos veniſſe velis. Ex Aſia petendos, convenit inter nos. Malim autem terreſtri itinere veniſſe, quàm maritimo, atque ibi traducere, ubi veſtigia reliquere & veterum teſtimonia favent, & Gothicarum, Hunnicarum, Slavicarum, Hungaricarum, Tartaricarum migrationum exempla habentur, quàm per Aſiam minorem, ſine argumento. Niſi quod tibi ſuppetat, cujus auctoritati, cùm in omni ſtudiorum genere, tum maximè in rebus populorum cognoſcendis, plurimum defero. Adde plurimum Germanici in Perſico; Perſi autem vel Parthi Scythica gens. Video *Bernardum* contemnere hæc veſtigia apud Perſas. Ego non item. Quæſo, quando tibi cum inſigni viro notitia eſt, hortare eum, & tuis & meis verbis, ut in linguarum harmonia illuſtranda pergat. Maximas gratias ago, quòd non tantùm audire me therebinthi fructus, ſed etiam guſtare voluiſti: ſpecimina quæſo ignotarum linguarum, quæ habes, communica, & porrò vale & fave. *Hanov. d.* 25. *Jul.* 1692.

P. S. Magno meo dolore vidi, deeſſe in opere tuo promiſſum Alphabetum univerſale. Ede quæſo, vel ſeparatum, ut quàm primùm fruamur tam utili invento.

XIII.

XIII.

LUDOLFUS AD LEIBNITIUM.

Plinii & Ciceronis *duo loca emendat. De migrationibus gentium Aſiaticarum in Europam & denique de novis politicis agit.*

EX literis tuis 25. *Julii* ad me datis, lubens intellexi te commentarium meum perluſtraſſe atque in eo multa probaſſe. Cùm ergo ſignificaveris quæ placuerint; indica, quæſo, etiam, quæ diſplicuerint: ſicut enim alterum me tranquillavit, ita alterum reddet meliorem. *Plinium* ex *Strabone* mendoſum locum CCC. diſſimilium linguarum tranſcripſiſſe arbitror, &, ſi decem alii ſcripſiſſent, non credidiſſem. *Plinii* opus pro perfecto & abſoluto habere non poſſum, uti monui in Commentario meo *I. c.* 8. *nu.* 68. §. 11. *& ibi not.* Si vixiſſet, multa emendaſſet & in melius mutaſſet. Sæpe mihi quidem mendas corrigenti objicitur, manuſcripta conſentire & omnes editiones & auctores. Id ego parvi pendo, ſi emendatio luce meridiana clarior ſit. Exempli gratia: in *Ciceronis* libello de Senectute legitur vulgo: *Omitto vim ipſam omnium, quæ generantur e terra; quæ ex fici tantulo grano aut ex* acino vinaceo, *aut ex ceterarum frugum aut ſtirpium minutiſſimis ſeminibus tantos truncos ramoſque procreet.* Correxi ego *ex acini vinaceo*: id enim & meliorem conſtructionem totius periodi, & ſenſum, & genuinam vocabulorum ſignificationem poſcere. Vinaceum enim ſubſtantivum non adjectivum eſſe; quamvis omnes Lexicographi mendoſo hoc loco freti ſecus ſentiant. Sed reſponſum mihi fuit, libros omnes conſentire. Ita plerumque non attenditur, quid dicatur, ſed quot dicant. Quare *Megiſeri* theſaurus polyglottus mihi parum ſatisfaciat in commentario meo indicavi. Quæ ad *Kochanskium* ſcripſiſti ſummopere me delectarunt. Reſponſum ſi acceperis communica quæſo mecum. Egregia quoque ſunt, quæ de migrationibus gentium Aſiaticarum doces. Germanos noſtros terreſtri itinere ex Oriente in Aſiam minorem veniſſe mihi huc uſque probabilius viſum, quàm per tot ambages circa Pontum Euxinum. Si tamen veterum teſtimonia, ut ais, dentur, quæ a te expeto, libentiùs tecum credam, illuc tranſiiſſe, ubi veſtigia linguæ ſuæ reliquerunt, velut in Parthia vel Taurica Cherſoneſo. Veriſimilius enim eſt, gentes quæ Germanica retinent vocabula, reliquias, non colonias eſſe majorum noſtrorum. Quid de Germanis Tranſylvaniæ ſentias, ſcire velim, an pro reliquiis vel colonia popularium noſtrorum habeas? Certè coloniam Hamelenſium puerorum non credis. *Bernardum* ut petiiſti hortabor, ut in harmonia linguarum pergat. Alphabetum univerſale, quod paro, nemo ſuis ſumtibus æri incidere vult: igitur ab elaboratione ejus deſtiti. *Thulemarius*

Digitized by Google

marius huc redux, ait te quærere æripictorem. Eſt hic Antwerpienſis paulo ſimplicior & ferè otioſus, mihi familiariter notus. Figuram tituli commentarii, viperam & Troglodytas (Hotentotzios) ille æri incidit, illumque æquis conditionibus haberi poſſe crediderim. Procul dubio vidiſti Tabulam Tartariæ magnam, ſex ſchedis majoribus conſtantem ab inſigni & experientiſſimo viro *Nicolao Witzio* Conſule Amſtelodamenſi editam. Ibi regiones & gentes ad hunc diem incognitæ viſuntur.

De republica nihil habeo, quod non etiam aliunde tibi conſtet. Exercitus noſter integer Rhenum tranſiit. Spiram verſus tendunt; quo conſilio, quoque ulterius ignoratur. Convenerunt tandem Principes de imperio, opera Comitis *Ludovici Guſtavi de Hohenlohe* Commiſſarii Cæſarei, ad id mandatum habentis. Itaque meliores nunc ſucceſſus ſperamus: Galli enim cedunt. Vires nobis non deſunt: conſilia deficiunt; veluti corpus ſumus, quod ſine anima immobile hæret. Cùm *Schoningium* (*p*) cogito, venerunt mihi in mentem verba *Ciceronis* in tractatu ſupra allegato: *nullam capitaliorem peſtem eſſe quàm corporis voluptatem, cujus voluptatis avidæ libidines ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones: hinc rerumpublicarum everſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia; nullum denique ſcelus, nullum magnum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum libido voluptatis non impelleret.* Vale. *Francof. d.* 27. *Aug.* 1692.

XIV.

LEIBNITIUS AD LUDOLFUM.

De noni Electoratus erectione. Cur collectionem diplomatum a ſe adornatam, Juris Gentium Codicem diplomaticum inſcripſerit? De Rege Belli marini. *Denique de Gloſſario dialecti Saxoniæ inferioris condendo.*

CAuſſa cur de nono Electoratu cogitatum ſit, in proclivi eſt, dum ſcilicet veteres periclitantur, nec jam ampliùs ut olim in medio ſed in finibus Imperii ſunt poſiti. Hæc verò tibi in aurem. Nolim ego iſtis controverſiis miſceri injuſſus. Certè vereor, ne denique neceſſitas nos adigat ad plures adhuc Electoratus condendos, ne aliquando Gallia in collegio Electorali prædominetur ſua ad Rhenum potentia. Itaque miror, cur quæ dixeram in hanc rem mira tibi fuerint viſa.

Cenſuram tui ſimilium uſque adeo non defugio, ut etiam expetam. Itaque quod

(*p*) Intelligit procul dubio, *Joannem Adamum de Schoening* Sereniſſimi Principis Electoris Saxonici exercitus Ducem ſupremum, de quo conf. *Gauhii Adels-Lex.* P. II. p. 1052. ſqq.

quod monuiſti de titulo operis mihi ipſi ſuboluit maturè. Itaque non amplius *juris gentium* codicem ſimpliciter inſcripſi, ſed *diplomaticum*: quid igitur aliud quàm codicem, continentem diplomata juris gentium? Nam ad jus gentium pertinere non negabis actus juridicos ſeu legitimos, qui & dijudicandi ſunt ex jure gentium, & viciſſim faciunt ad controverſias juris hujus illuſtrandas, imo definiendas. Ut ad Europæas gentes reſtringerem, neceſſarium, puto, non erat. Nam ſi qua mihi poſſis communicare Africana, velut ſi genuinum eſſet teſtamentum *Muhammedis*, quid vetabit & hæc addi? Sed quando talia aut rariſſima aut nulla habemus, ſufficit diplomatum mentio, ut de Europæis potiſſimum agi judicetur. *Rex Belli marini* de *Baleari* intelligi non poteſt. Certum, fuiſſe Regem Mahumetanum. Illud nondum certum eſt, in Africa fuerit, an in ipſius Hiſpaniæ parte quadam. Credo in Hiſpanica hiſtoria ejus mentionem repertum iri. Reperi & in quodam Chronico manuſcripto hiſtoriæ Anglicæ, & in præfatione notavi. Itaque non eſt, cur locum corruptum putemus. Sanè potentem fuiſſe apparet: quo libentiùs in Africa colloco, quod & verba tractatus, ubi ejus mentio habetur, innuere videntur. Baleares *marinas* neſcio an quiſquam facilè ſit dicturus: nam quæ aliæ, quam *marinæ*? Cæterum tum Baleares inſulæ jam Chriſtianæ erant. His nundinis Brunſvicenſibus interero, & certiora diſcam de Manuſcripto Æthiopico. *Gerardus Meierus*, Theologus Bremenſis, *Gerardi* ſenioris, adhuc ſuperſtitis, qui Bibliothecam theologicam dedit, filius, multiplicis vir doctrinæ, meo hortatu curam ſibi ſumſit, condendi gloſſarii hujus Saxoniæ, (*q*) ſimulque ex Belgio, Anglia, vetereque Anglo-Saxonum lingua ſubſidia quæret. Cùm *Kiliani* Belgicum dictionarium, quale ab auctore datum eſt, non quale mutilatum vulgo habetur, in uſum ſcholaſticæ juventutis, reperire non poſſet; ego ipſi miſi, quemadmodum & indicavi *Nathan. Chytræi* Nomenclatorem Latinum, linguæ Saxoniæ inferioris inſtructum, & Gemmam gemmarum, initio ſuperioris ſæculi editam Coloniæ, cum Latinarum vocum interpretatione Germanica, dialecti Weſtphalicæ. *Francof. d.* 10. *Sept.* 1692.

(*q*) *Gerh. Meieri* Gloſſarium Saxonicum prelo paratum, unà cum aliis ejuſdem auctoris manuſcriptis, hodie poſſidet Vir S. R. *Frid. Herm. Schumacherus*, S. S. Theologiæ apud Bremenſes doctor. Utinam luce publicâ donaretur hic plurium annorum labor! quem ea omnino digniſſimum judicarunt eruditi, quibus illum inſpiciendi copia facta eſt.

XV.

XV.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

De nono Electoratu & rebus quibuſdam ad rem literariam ſpectantibus.

GRatias permagnas tibi ago, quòd me de bibliotheca privata Sereniſſimi *Rudolfi Auguſti* certiorem reddere volueris, modò circumſtantias quaſdam ſingulares addidiſſes, quas ſcire aveo. Ubinam locata ſit illa bibliotheca? Ubinam habitet *Georgius Henricus Pfeiffer*, qui ſe concionatorem & bibliothecarium fert? Si copia tibi detur illum adeundi, rogo ut tibi monſtrari cures librum Æthiopicè tantum manuſcriptum pulchrè compactum, & indicari, quanti emtus fuerit? Ubi, quæſo, haberi poteſt index trium in octavo voluminum, cujus mentionem feciſti? Illum enim mihi libentiſſimè compararem. Ignoſce, quæſo, quòd moneam, ne chartæ parcas, dum ad me ſcribis, ne neceſſe habeas coarctandi verſus & verba, quæ celeritatem legendi in tanta literarum copia impediunt. Nihilo minus me ſolvere oportet pro mercede tabellarii, quàm ſi integra ſcheda impenderetur. Sed & huic mercedi parcere poſſumus, ſi literæ in faſciculum publicum ad *Agentem*, ut vocant, *Prim* immittantur, ſi benevolos habeamus Secretarios, qui id libenter faciant. Laudo quòd *Neſſelio* res ſuas relinquas, quia tibi alia affatim ſuppetunt. Nonne conſultum putares, etiam *Wilhelmum Erneſtum Tenzelium* ſollicitare? ille enim varias bibliothecas ſcrutatur, & varios tractatus terit, ut ſi quid repererit, quod e re tua fuerit, id maturè indicet. Rationem quam de condendo nono Electoratu docuiſti, antehac non audieram nec legeram. Ita certè comparata eſt, ut non tantùm decimum Electoratum, ſed & undecimum & duodecimum parare poſſit, ut in poſterum in rebus Imperii non opus ſit exſpectare deliberationes prolixas cæterorum collegiorum, ſed quidquid Imperator cum Electoribus, & quidem ſecundùm majora ſtatuerit, ſequi teneamur. Hac ratione omnes cunctationes & moræ, quæ nobis ab exteris exprobrantur, tolli poterunt. Fama ſert, Imperatorem, modò belli ratio id permittat, Auguſtam Vindelicorum profecturum, eoque omnes Electores ad ſe vocaturum, & non tantùm nonum Electoratum pro domo ſua impetraturum, quandoquidem in poſſeſſione jam ſit, per majora ut vocant, talia conficiendi. *Ariſtoteles* quidem dixit: boni civis eſſe, την παρουσαν πολιτειαν διαφυλαττεσθαι, *præſentem reipublicæ ſtatum conſervare.* Verùm ille fuit theoreticus & ſcholaſticus. *Pedant* vocant, qui non perpendit, reipublicæ ſtatum & formam a potentioribus mutari ſolere, quotieſcunque illis utile viſum fuerit. Dn. *Thulemarius* hinc diſceſſit, neſcio quorſum: ſi redierit, mo-

P 2 nebo,

Digitized by Google

nebo, ut operam det, quo bullam electionis equitum *S. Georgii* nanciſcatur. Quæ de Rege *Belli marini* notas, iis omnino aſſentior. Quod titulum operis tui ſpectat, facilè admitto expoſitiones tuas. Ego tantum de communi loquendi modo egi, ut cùm Codex de aliqua re inſcribitur, ille eam rem principaliter docet: hic verò ubi diplomata tantùm Principum Europæ traduntur, revera eſt *Codex diplomatum Europæorum, pro illuſtrando jure gentium collectus.* Si acceſſerint Aſiatica & Africana, paucis verbis addi potuiſſent. Verùm iſta omnia tui arbitrii ſunt. Pro exemplo quod mihi deſtinaſti, gratias ago maximas. Appendix operis mei nunc prodiit, continens duas epiſtolas Regis Æthiopiæ ad Gubernatorem generalem Batavorum in India, cum reſponſione iſtius, quam proximè habebis. Interim vale & fave. *Francof. d. 23. Maii 1693.*

XVI.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

De nono Electoratu, & de ſcribendis variarum in Germania dialectorum indicibus, aliisque literariis.

Literas tuas nondum reſponſione diſpunctas, inter ſchedas meas admirabundus inveni. Non puto ad nonum Electoratum introducendum hoc argumentum valere, aut a me unquam probatum eſſe, ut dicamus rerum Imperii ſummam ad ſolum Electorum collegium transferri debere, aucto ejus numero. Aliæ adhibendæ ſunt rationes temporibus convenientes. Cæterum non puto, e re Cæſaris & Electorum fore, ut nimis augeatur hoc collegium. Vis dicam, quid ego potiùs metuam? Ne Gallis Rhenum in partem redigentibus, uno ictu media pars Collegii Electoralis reſcindatur, & concuſſis fundamentis ipſum Imperii corpus collabaſcat. Hæc puto magis curare deberemus, quam de honoribus & cerimoniis litigare. Rectè dicis cum *Ariſtotele*, boni civis eſſe, præſentem reipublicæ ſtatum tueri; ſed hoc ipſum niſi conſiliis efficacibus fieri non poteſt. Medici eſt, præſentem corporis ſtatum tueri cùm ſanus eſt; emendare cum eſt morboſus. Puto non opus eſſe moneri, pleraque diplomata mea Europæa fore, quando id a ſe quiſque intelligit. Quandoquidem cogitationem de illuſtranda Germaniæ hiſtoria ſuſcepimus; & tutè optimè noſtri, quantum in linguis momenti ſitum ſit, ad noſcendas gentium origines, modò ne in Goropianas aut Rudbeckianas ſpeculationes dilabamur, ſed omnia ſeverè & circumſpectè agamus. Ideo nunc opportunum putavi, quod ſæpe in mentem venit, conquiri variarum Germaniæ regionum vocabula provincialia. Doctiſſimus *Praſchius* piæ memoriæ, promiſerat Bavaricum. Hoc an ſit apud hæredes, inqui-

inquiſitione dignum putarem. Scripſi ad amicum ut in Friſia de peculiaribus gentis vocabulis conquirendis cogitet. Nomina Friſiorum propria valde a more Germanorum cæterorum abhorrent. Inquirendo deprehendi noſtros Vinidos Luneaburgicos aliquid Eſtonici, Slavicæ admiſtum habere linguæ. Manuſcriptorum, imò aliorum ferè monumentorum antiquitatem longè tranſcendunt. Itaque in vocabulis obſoletis & plebeiis habebimus ingentem theſaurum antiquitatis. Tibi ergo, Vir ampliſſime, qui præclari hiſtoriæ noſtræ inſtituti directionem habes, cogitandum relinquo, an non paſſim excitandi ſint in hanc quærendi diligenter, qui patriis antiquitatibus delectantur. Nullum dubium eſt, quin & jura Germanica inde illuſtrari queant & variarum rerum cognitio multum incrementi ſit acceptura: quemadmodum ab exemplo antiquitatum Gallicarum *Menagii*, quarum nunc amplior ex poſthumis ſchedis paratur editio, facilè conjectura capi poteſt. Mirum eſt, etiam eruditos ſolere ſola remota & peregrina appetere, quæ ægre obtinere poſſunt; negligere quæ ante pedes ſunt, in quibus non minus gloriæ & plus ſit fructus. Erat Lipſiæ vir egregiè doctus *Wagnerus* concionator urbis, nuper non ſine dolore eorum, quibus cognita erat ejus doctrina, exſtinctus. Is cogitabat ſcribere de numis Arſacidarum. (*r*) Ego ſignificavi, jam occupaſſe id *Vaillantium*, multo majoribus ſubſidiis inſtructum & opus affectum habere. Acturum me tamen cum amicis Gallis, ut intelligerem, malletne ſua dare, an aliena, ſub conditione agnoſcendi publicè beneficii accipere *Vaillantius*. Interim, uti Arſace acrior & *Tacito* ipſi Germanorum libertas; ita optare me, ut hiſtoriam Germanicam Germanus aliquis ex numis & inſcriptionibus Græcis & Romanis illuſtrare cogitaret, adjectis etiam barbaris numis, qui ſubinde reperiuntur: quemadmodum memini, memet vidiſſe, quibus inſcriptum *Ataulus*. *Eggelingius*, vir apud Bremenſes egregiè doctus, a Romanis antiquitatibus nunc animum ad illuſtrandas res patrias convertit, & de Chaucis ſuis aliquid molitur, (*s*) cui conſilio ego applaudo. Vale.

(*r*) De *Chriſt. Wagneri* hiſtoriâ Parthorum affecta, certiores nos quoque reddunt *Acta Eruditorum* 1693. p. 383. ſq.

(*s*) Edidit *Jo. Henr. Eggelingius* de miſcellaneis Germaniæ antiquitatibus exercitationes V. quarum prima & ſecunda, de *vocabulo Germani* & de *Caucis* a. 1694, tertia de *Ptolomæi Φαβιράνω* a. 1695, quarta & quinta de *Wictibetho*, *&* *ſtatuis Rulandinis* a. 1700. in lucem prodierunt. vid. *Act. Erud.* 1713. p. 191.

XVII.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

De impedimentis collegii Imperialis hiſtorici; & philologica quædam nec non nova literaria & politica prodit.

VEniam moræ in reſpondendo, quam petis, & ego dedi, nunc a te repeto: Negotia atque ſtudia noſtra utrumque excuſabunt. Nunc enim alteram appendicem ad hiſtoriam meam paro, imò ad prelum paratam habeo. In ea de locuſtis, ſuperiore anno in Germania viſis, tracto, auctores qui de illis ſcripſerunt refero, & ſæpius emendo, ſimulque ſententiam meam de שלוים locuſtarum ſpecie munda, pro *coturnicibus* deſerti ſubſtituta, defendo, & objectionibus amici cujuſdam docti reſpondeo, ut ex titulo hic adjecto vides. Si tibi quoque dubia de hoc conjectura noſtra ſuborta, vel ex Viris doctis percepta ſint, quæſo, ea me ne celes. Ut autem capita ſumma literarum tuarum perſequar: gratias ago, quòd certiora de bibliotheca Rudolfina ad me ſcribere volueris. Manuſcriptum Æthiopicum, quod quæro, titulum habet: *Organon Dengſhet*. i. e. *Organum muſicum B. Mariæ Virginis*. Sed illum ſcire nihil attinet. Scio enim nullum aliud Æthiopicum Manuſcriptum in dicta bibliotheca reperiri. A forma externa deſcripſi, quòd eleganter compactus ſit, venditus ab Hamburgenſi ſtudioſo *Schlichting*; quanti, velim ſcire, & qua forma ſit, in Folio vel Quarto, ut vocant.

Collegium noſtrum hiſtoricum planè friget: pauci ſunt, qui gratis laborare velint. Munera, quæ neque ſpem neque metum propoſitum habent, tardè & negligenter tranſiguntur. Id *Paulino* prædixi, cùm mihi Præſidis munus imponeretur. Precibus parum efficio.; excuſatio quævis ſufficit ut nihil agatur. Eam cauſſam eſſe credo, ut *Adjunctos* mihi ſimiles, id eſt otioſos nanciſci nequeam. Dum autem tu ipſe hunc titulum gerere nolis, quæſo, alium mihi nomines, ut ſaltem umbra collegii noſtri ſubſiſtat. *Preguzerum* Tubingenſem, nunc Conſiliarium Wirtembergenſem, procul dubio noſti, virum impigrum, cordatum & hiſtoricum egregium. Is primum ſæculum Annalium noſtrorum elaborandum ſuſcepit, ſed partim negotiis heri ſui, partim motibus bellicis impeditus fuit, quo minùs penſum ſuum abſolveret. Multum quoque temporis circa Imperii vexillum Domui Wirtembergicæ vindicandum impendere illum oportuit. Scilicet de vexillo diſputatur, quod nemo uſquam in hoſtem laturus eſt. Jam occaſio id faciendi adeſſet, ſed credo illud nondum paratum, nec apud opifices adhuc eſſe. Inſtitutum Codicis tui ſummopere probat, atque de eo ſic ad me ſcripſit, ut ex *adjecta ſchedula* videre eſt. Pro exemplari ad me miſſo, ſum-

Digitized by Google

ſummas ago habeoque gratias, quas data occaſione relaturus ſum. De republica diſſerere piget, multo magis de nono & ſequentibus Electoratibus: nam evulgato imperii arcano, poſſe ſine omnium Ordinum conſenſu Electorem fieri, certo certius plures habebimus. Metuere te ais, ne Gallis Rhenum in poteſtatem redigentibus, uno ictu media pars Collegii Electoralis reſecetur: itaque tempeſtivè totidem, ac reſecare metuuntur, e medio Imperii reſarciantur. Sed hæc ſunt extra ſphæram activitatis noſtræ, ut hodie nonnulli loqui amant. Tranſeamus igitur ad ea, de quibus cum fructu aliquo & conſenſu agere poſſumus.

Thulemarius jam Viennæ degit, inde Ratisbonam diſceſſurus: nihil ergo cum eo, de Bulla Equitum *S. Georgii* agere potui. De linguis nonnulla & quidem certiora ſuppeditare poſſum. In illis certè magnum momentum poſitum, ad noſcendas gentium, imo rerum & religionum origines. Inter argumenta mea eſt, Æthiopes meos Sabæos origine ex Arabia Felice eſſe. Gloſſarium Germanicum diu deſideravi. *Meierum* Bibliothecarium Gothanum, ſeriò hortatus ſum, ut confectis jam Catalogis ſuis, id aggrediatur: num facturus ſit, neſcio. Neceſſarium id eſſe judico. Dantur enim in Bibliis Germanicis vocabula, in Thuringia & Miſnia, alibi vero vix uſitata, exempli gratia: *Zaube dich*: *Sie ging über das Gebürge endelich* (*englich* pronuntiant Thuringi:) *du machest ſeine Ströhme glum*, & alia ſimilia, quorum copiam apud Thuringos ſuppeditare poſſem. Dictionarium Germanicum *Stilerus*, qui ſe *Serotinum*, *den Spathen* nominat, compoſuit, in quo multa ſingularia dantur, multa deſiderantur. Quidnam propriè ſit *die Streb-Katze ziehen*, nemo dixerit, qui non viderit. Friſiorum lingua dialectus quidem eſt vernaculæ noſtræ, ſed paulo remotior. In pagis *Molkwerum* & *Hindeloopen* haud procul *Staveren* ipſe audivi eos loquentes dialecto, quam nullus Belga intellexerit. Numerabant enim mihi: *Won*; *Tu*; *Try*; *Faur* cæt. Verbum ſubſtantivum *Sum*: *Ei am*, *tu aſt* &c. quæ merè Anglica ſunt. Hinc colligebam illos eſſe reliquias Anglo Saxonum, vel Angrivariorum priſcorum, qui hac lingua uſi ſunt. Ego quidem hortari non ceſſabo eum vel eos, qui in eruenda linguarum antiquitate aliquid præſtare volent, modo ſtimulum aliquem, quo deſtituor, addere poſſem. Eruditos quoſdam ſola remota & peregrina appetere mihi mirum non eſt. Cauſſas enim, quas daturi ſunt, facilè conjicere poſſum. 1.) Adjumenta in peregrinis rebus magis ſunt in promtu: conſiſtunt enim in libris, quos in muſeo ſuo conjunctim habere poſſunt; in antiquitatibus verò Germanicis conquirendis, oporteret eos peragrare provincias Germaniæ, viſitare archiva, & bibliothecas Principum; ſed non reperiunt tales promotores, quales tu habuiſti, cùm perluſtrares Germaniam atque Italiam, eruendis antiquitatibus Eſtenſibus. 2.) Credunt & ipſi, ſe publico multum prodeſſe, ſi illi in eo pro bono publico elaborarent, in quibus nullus alius vel pauci, cùm in vernaculis & domeſticis multi alii idem præſtare poſſint. Vale. *Francof. d.* $\frac{2}{12}$ *Junii* 1694.

Ex

Ex literis Dni Pregizeri, *Stuttgardiæ d. XXV. Martii ſcriptis* 1694.

» Hæc mihi præſentem in diem cura eſt, haud vulgaris, ut, juxta » Wirtembergiæ hiſtoriam mihi creditam, res Germaniæ reliquas, & » tanti Imperii acta, ex archivo Ducali inſtructiſſimo, publicis uſibus » aliquando pertractem uno labore. Quo in ſtudio ſuccenturiari poſſum » *Leibnitio*, cujus Codici diplomatico primo, ego ex archivo noſtro Wir- » tembergico, addere poſſem alterum, refertum actis & documentis, » epiſtolis quoque de fœderibus, legationibus & aliis illuſtribus Imperii » negotiis hactenus ineditis. Sileo quid temporis vel curæ circa Imperii » vexillum mihi cum aliis inter nos impendendum fuerit, &c.

XVIII.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

Miſcella literaria continet.

Diu eſt, quod nihil ad te dedi, ne crebriùs ſcribendo importunus eſſem. Non eo minus tamen valere te ac florere, & uxorem etiam duxiſſe, lætus intellexi & gratulabundus, feliciaque omnia, ſed firmam inprimis valetudinem apprecatus. *Andream Mullerum* doctiſſimum fruſtra virum, *fruſtra*, inquam, cùm neminem doctrinæ hæredem ſcripſerit, obiiſſe, ad te perlatum non dubito. Habui, & ni fallor, communicavi mirabiles ejus literas, quibus ſeriò deliberabat, an non jure merito ulciſci poſſet, ingratitudinem mundi, ſic enim credebat, ſua comburendo. Et puto minas executum. Inquiri tamen operæ pretium erit, an nihil ſuperſit, quod edi mereatur. Tabulas tuas præclariſſimas quibus literarum pronunciationes, diverſis populis receptæ, ad harmoniam revocantur, utinam tandem edere velles. Poſſes una ingenti plagula ære impreſſa complecti, exemplo *Eduardi Bernardi*; ſed & poſſent margines illuſtrationibus quibuſdam ſtipari. Obtinere quoque optem animadverſiones tuas in catalogum linguarum, quem theſauro polyglotto præfixit *Megiſerus*: nam mentionem earum aliquando feciſti. Æthiopicus ille libellus, de quo aliquando quærebas, nunc in bibliothecam Auguſtam Guelferbytanam tranſlatus eſt. Vellem *Megiſerus* in ſuo indice fontes indicaſſet, unde hauſta ipſi ſpecimina linguarum. Peccaſſe puto, quod linguam Circaſſiorum Gazarorum vel Abgazarorum, Mengreliorum ad Sclavonicam refert. Miror, quid ſibi velit, cùm veterem Gallicam vocat *Vibiſcam* vel *Vibiſcorum*. Dubito etiam, an rectè Thracicam linguam, hodiernam opinor intelligi, pro lingua ſui generis habeat.

Niſi

Niſi forte Bulgarica eſt: nam Bulgaros peculiare genus linguæ ex Scythia attuliſſe putem. Sed & dubito, an verum ſit, quod ait, Tartaros Zagathaicos linguam habere Perſicæ ſimilem. Equidem *P. Aprilis* Jeſuita, in nupero itinerario linguam Tartarorum, qui ipſi dicuntur Bogdoi, inter Perſas & Sinenſes, Perſicæ cognatam affirmat. Sed nonnulla hujus ſcriptoris parum accurata, non patiuntur, ut multum ejus teſtimonio tribuam. Putabam *Salmaſii* & aliorum teſtimonio magnam eſſe cognationem linguæ Germanicæ & Perſicæ; ſed cùm aliquando Gazophylacium Perſicum inſpexiſſem, ſpe pauciora reperi, quæ faverent. Oportet ergo, cognationem illam magis, ut ſæpe fit, in occulto latere, non facilè niſi *Elichmanno* & ſimilibus interiora linguæ doctis apparituram. Quid judicas de egregia, ſi comprobatur, theſi *Acoluthi*, linguam Ægyptiam veterem eandem eſſe cum Armena. Hæc audienti mihi venit in mentem, quod veteres quidam narrant, & *Valerius Flaccus* etiam in Argonauticorum poëma retulit, Colchos fuiſſe coloniam Ægyptiorum a Seſoſtri ductam. An fortè Armeniorum illi potius colonia fuere, atque ideo Ægyptiorum linguam referentes, fabulæ originem dedere? Diſpicere jam operæ pretium erit, quam habeat cognationem Armena cum Arabica aliiſque huic affinibus. Nam ſi Armena lingua Ægypto convenit, rationis eſt, credere, interpoſitos populos ſimili ſermone uſos, donec ingredientibus aliis nationibus connexio interrumperetur. Implevi ut vides epiſtolam argumento, quod tibi inter paucos placere poteſt, pleriſque aliis inane videbitur, ut ſunt hominum judicia, ſed quæ nos magnopere mirari non debemus. Equidem non ignoro, agitari apud vos, quæ propiùs tangere poſſint curioſitatem noſtram; ſed ea eſt reipublicæ facies, ut primam armorum & hoſtis, ſatis adhuc formidabilis repellendi curam eſſe debere arbitrer; proximam componendarum quæſtionum, quæ mihi, ut verum fatear, non uſque adeo difficiles videntur. Nuntius, qui filium Sultani Imperio dejecti, ſceptro potitum attulit, ſpem pacis, ſatis per ſe longinquam, magis adhuc differre videtur. Nam ſi bene memini, aliquoties relatum intellexi, ferocem eſſe, & Chriſtianorum hoſtem. Sæpe tamen fallunt hujuſmodi conjecturæ, & aliquando Principes alii in throno apparuere quàm credebantur. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ d. 21. Mart. 1695.*

P. S. Pene oblitus eram quærere, quid in proſequendo Collegii hiſtorici præclaro inſtituto ſit actum. Valde enim optem, non intermori laudabile conſilium. Offeruntur mihi quotidie utilia monumenta, unde l[illegible] hiſtoriæ patriæ accendi poteſt. Et meditor volumen edere *Acceſſion. hiſtoricarum*, quod complures ſcriptores ineditos continebit, hiſtoria maximè Germanicam illuſtrantes, nec multo, opinor, inferius illis futurum, quæ *Piſtorius* aut *Urſtiſius* aut alii viri docti ſuperiore ſæculo dedere. Adjungam ex jam editis *Ditmarum* Martisburgenſem Epiſcopum quia codicem nactus ſum auctiorem & infinitis locis emendatiorem, ita ut vix pagina ſit, in qua non vitia quædam ſublata ſint, quæ editis exem-

plaribus irrepſerunt, quorum multa omnem ſenſum tollunt. Præter hiatus plurimos ſuppletos, quorum nonnulli ſunt aliquot paginarum, & non exigui ad hiſtoriam momenti. Speraverat tale exemplar *Reineccius* ex archivo Saxonico; ſed fruſtra. Ita vides, me id agere, ut veſtrum egregium inſtitutum juvem; etſi ſæculum aliquod, vel aliud certum argumentum in me recipere non auſim, cùm vix illis ſatisfaciam, quæ jubent, quibus in me jus eſt. Optarem inſignis cujuſdam jureconſulti notitiam, quem Helmſtadium vocare è re eſſet in defuncti *Boetticheri* locum. De *Schiltero* ſpes aliqua affulſit; ſed vereor ne evaneſcat. Mihi in tanta copia librorum & literatorum videtur tamen numerus virorum ſolidè doctorum, qui famam & habeant & mereantur, multum imminui. Eorum maximè culpa, ut opinor, qui qualeſcunque non prorſus, aut certè non palpabiliter ineptos præficere officiis ſatis habent, nullo ferè delectu præſtantiorum. Ita fit, ut nemo ferè ſit, qui ſeſe ab humo attollere curet. Puto Dominum *Pregizerum* laboribus ſuis veſtro inſtituto adhuc ſubinde inſervire poſſe. Nam de vexillo Imperii diſquiſitionem dudum abſolvit, niſi fortè denuo aggredietur ex quo reſponſum adverſum prodiit. Ego quidem difficile puto oſtendere, vel probabilibus argumentis utcunque firmare, Würtembergicum vexillum idem eſſe cum ſupremo Bannerio Imperii, olim tamen, cùm primùm de officio novi Electoris quæreretur, de alio, ut ſic dicam, objecto, majoris fortaſſe ad uſum momenti futuro, cogitaveram; ſed Viennæ propoſitum fuit Bannericum, placuitque *Grotio* noſtro, inſigni viro, illic tunc verſanti, ubi vacare nemo dubitabat. Inventa mea meditataque nonnulla cogito eo producere, ſi poſſim, ne pereant. Et nunc abſolutum eſt meum inſtrumentum arithmeticum, cui nihil ſimile hactenus viſum eſt, cum planè ſit ſui generis. Effectus autem eſt, ut maximæ multiplicationes diviſioneſque ſumma celeritate peragi poſſint, ac ſine ulla propemodum attentione, qua ratione puerulus omnis calculi planè expers, imò ne ſcribere quidem doctus, maximas operationes promptiſſimè præſtabit tutiſſimeque. *Hanoveræ d.* 21. *Mart.* 1695.

XIX.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

De iis quæ in re familiari nova acciderant præfatus, etymologias vocum quarundam Germanicarum explicat, & præter alia literaria, de Andr. Müllero *quædam refert.*

QUod binis tuis epiſtolis amantiſſimis die 6. Auguſti ſuperioris & 21. Martii hujus anni tam tardè reſpondeam, plurima in cauſſa fuerunt. Nuptiæ filiæ meæ, cum Domino *Avemanno* Conſiliario Saxo-Gothano, quas

quas meæ mox ſecutæ ſunt, variis, ut fieri ſolet, occupationibus me detinuerunt. Etenim abſcedente filia mea, & res mea familiaris, & domicilium ipſum mutandum erat, ni novo conjugio ſuſtentaretur. Duxi matronam hujus urbis præcipuam, quinquaginta trium annorum, robuſtæ valetudinis, ut omnibus viſa fuit, mulierem, trium maritorum viduam, quos omnes magna cum laude fovit atque curavit. Idem auxilium in ſenectute mea de ea ſperavi, verùm, ita volente Deo, quam putavi ægrotanti mihi aſſeſſuram, illi ego nunc aſſidere cogor: jam enim alterum menſem morbo admodum dolorifico lecto affixa detinetur, quem medici non ſatis cognoſcunt: hinc cura varia & ambigua; exitus penes Deum. Quotidiana requiritur cura, ut vix ſtudiis, nedum literis vacare queam. Cùm verò commercium literarum tuarum maximi ſemper fecerim, momentum temporis ſurripui, ut tibi reſpondeam. Quod *Meierum* Bremenſem ad concinnandum Gloſſarium linguæ Saxonicæ, variis auctoribus juveris, maximè probo. Utique illum, qui tale quid molitur, Belgicæ & Anglicæ linguæ peritum eſſe oportet. Addiderim ego Danicam & Suecicam: habemus enim plurima vocabula, quæ non niſi ex illis declarari & exponi queunt. Plurima olim collegi, haud proletaria. *Han* ille, *Hon* illa, in Genitivo *Hennes*, ſunt noſtra Germanica *Gallus* & *Gallina*. *Elbe* Albis, eſt per ſe appellativum & ſignificativum. Suecice enim *Elfwe* flumen eſt. Quis non putat *Muthwill* compoſitum eſſe ex *Muth* & *Wille*; ſed malè. *Muth* enim pro *Animo* in compoſitione poſtponitur, *Dehmuth*, *Sanſtmuth*, *Hochmuth*, &c. At præpoſitiones præponuntur, veluti *Zuſatz*, *Gegenſatz*, *Wiederſpruch*, &c. Sic *Muthwill* eſt Suecicum *Mootwill*, a præpoſitione *Moot*, Contra, Adverſus, ac ſic *Muthwill* proprie eſt *Wiederwill*, *Wiederſpänſtigkeit*. Infinita talia in cæteris affinibus linguis obſervavi. *Häven* pro cœlo audivi a Bremenſibus, idque eſt Anglorum *Heaven*. Noſtrum *Böſſwicht* compoſitum eſt ex *böſs* & *wight*; at iſtud in Belgica dialecto occurrit. Neminem novi, qui gloſſarium Thuringicum vel Miſnicum compoſuerit, quod tamen valde operæ pretium foret. Habemus Gothæ grammaticum ſenem, lucubratorem veterem, qui bibliothecæ Ducali nunc præeſt. Ei *Joachimo Bartholomæo Meiero* nomen eſt, de quo in præcedentibus ſcripſi, quod illum ad compoſitionem gloſſarii Germanici hortatus fuerim, ſed quotus quiſque eſt, qui gratis in talibus laborare velit? In ſtatutis hujus urbis, ut & pactis Moguntinis, in nupera contentione evolutis, reperta ſunt vocabula, quæ nemo intellexit. Verum eſt *Horſe*, Suecis *Häſt*, nobis *Hengſt*, Equum, (maſculini generis tantùm;) Equam verò dici a *Märe*, *eine Märe*, *Stute*, *Stode*.

Gravius nuper ad me ſcripſit, ſed nihil eorum rogavit, quæ ad illuſtrandas Græcas & Romanas antiquitates pertinere ais. Viri illius, qui adoleſcente quodam comitatus me inviſit, ut ſcribis, nunc non recordor. Tot enim hic tranſeunt, qui me inviſunt, ut omnium memor eſſe non poſſim. Optare te, ais, videre animadverſiones meas in catalogum lin-

 guarum

Digitized by Google

guarum *Megiſerianum.* Neſcio quid velis, niſi intelligas cenſuram, quam in commentario meo *lib. I. c. 15. no. CXI. pag.* 113. edidi, (Quæſo totum caput accuratè perlege tuumque judicium mihi expone) ubi non potui non perſtringere (1) *Andream Mullerum*, cum talento ſuo polyglotto ſepultum & defoſſum, qui orationem dominicam nomine *Thomæ Ludkenii* Berolini edidit, verſionibus fere centum, cùm vix octoginta tres numerari poſſint; (2) *Megiſerum*, vana multiplicatione delectatum; (3) *Alſtedium*, incautum illius imitatorem. Si malè cum viris illis actum putes, monere licebit. Sed ego judicium tuum optaverim de emendatione mea *Plinii* & *Strabonis*, a nullo, quod ſciam, ante me tentata, num calculo tuo eam comprobes? reperitur dicto capite *pag.* 112. §. 14. *& ſeqq.* Nunc ad ſecundam tuam epiſtolam venio. De modo dicto *Müllero* certo mihi conſtat, illum porrigente ad petitum uxore, biduo ante mortem, manuſcripta ſua omnia allato foco combuſſiſſe. Sic ingratum orbem ulturus, ingratum erga Deum auctorem tantæ doctrinæ, erga liberos ſuos, & erga eruditum orbem ſe præſtitit. Acerbis ejus epiſtolis, aphoriſticè & ænigmaticè ſcriptis, irritatus ſæpius, abrupi commercium cum eo literarium. Mille Imperiales pro *clave Sinica* illi a me oblatos ſprevit, quod ipſis ejus literis & documentis authenticis probare poſſum. Jurene dicere potuit, mundum illius ſcientiam pauci habuiſſe? Dolendum profectò eſt, tantam linguarum peritiam in tam heteroclitum caput incidiſſe. Plura nunc ob temporis anguſtiam, & negotiorum molem addere non poſſum, niſi ut te quàm rectiſſimè valere jubeo. *Francofurti die VII. Septembr. A. S.* 1695.

XX.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

Etymologias vocum Germanicarum in praecedentibus traditas, probat.

Literæ Germanicæ tibi cum *Meiero* meo plurimum debebunt, ſi dejuvando viro bene merituro porrò cogitabis. Scandinavica vocabula & Anglo-Belgica ſedulo noſtris adjunget. Verum eſt & elegans quod notas *Han ille*, *Hon illa*, Suecorum, reſpondere Germanicis *Galli* & *Gallinæ* vocabulis. Notavi puer, avium fœminas nobis Miſnenſibus *Sibas* dici, ut maſculus *Hahn.* Itaque *Hahn und Sibe* idem quod *He und Sie. Moet* vel *Mut*, *contra*, etiam Belgis & Anglis, unde *entmoeten*, *rencontrer. Heaven* etiam ruſticis noſtris *coelum*, ſed ſpectabile, non beatorum, quod tamen & Angli comprehendunt. Fac, quæſo, ut nobis communicentur vocabula illa difficilia in ſtatutis Francofurtenſibus & pactis Moguntinis reperta; ſed adſcribi integras periodos operæ pretium foret. Quo ſint loco res inſtitutæ tuis auſpiciis hiſtoricæ ſocietatis ſcire aveo. Agnoſco hoc aularum

larum frigore & Martis temporibus nihil magni ſubitò præſtari poſſe; præſtat tamen lentis ire paſſibus, ſed firmis & rectis, quàm præcipitare opus, nimia feſtinatione. Itaque ſemper putavi, potiùs de materia colligenda, quàm forma danda, nunc quidem eſſe cogitandum. Et dictionarium Academiæ Gallicæ vix ſemiſæculo abſolutum eſt. Neque ideo minus fundatores ſua laus manebit. *Die 16. Novemb. 1695.*

XXI.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Uxoris mortem nuntiat, & ad philologiam Germanicam ſpectantia tradit.

PErgrata mihi fuit compellatio tua per Dominum *de la Bergerie* facta, cujus adventus mihi fuit exoptatiſſimus, cùm ob veterem notitiam, tum ob inſignes ejus virtutes. Maximè verò quod de valetudine tua, proſpera quæque nuntiaret, quam diuturnam tibi ex animo precor. Me in lugubri ſtatu reperit, ob præmaturum novæ meæ conjugis obitum, quam corpore animoque valentem anno præterito duxeram. Verùm ut ſunt corpora noſtra fragilia, cùm aquis Svalbacenſibus uteretur, in morbum incidit dolorificum valde, cujus cauſſas pleriſque ex utero, alii ex calculo renum, alii aliunde ortum eſſe opinabantur. Accedebat febricula lenta & continua, ut curatio ejus planè redderetur ambigua: complicatos morbos vocabant medici, quibus per XVII. hebdomades conflictata eſt, donec beata morte illis exſolveretur. Speraveram ejus conſortio uſque ad finem vitæ frui, ut ſtudiis meis tranquillè vacare poſſem; at divino Numini aliter viſum, cujus voluntati immutabili me acquieſcere oportet. Nunc ad literas tuas venio. Gratias permagnas tibi debeo, quòd *Ochſium*, affinem meum, commendatione tua juvare volueris. Mater ejus, ſecundæ uxoris meæ ſoror, matrona honeſtiſſima, de itinere ejus mecum deliberavit. Cùm autem ille hiberno tempore Saxoniam inferiorem perluſtrare vellet, planè diſſuaſi, ſatius ratus, ut verno tempore iſtud faceret, propterea illi alioquin mihi percaro, nullas ad te literas dedi. Sed ut nunc audio, Bremam uſque excurrit. Deus illum feliciter reducat. Quòd ad excolendam linguam noſtram Germanicam, Belgicam & Septentrionales linguas, nec non Anglo-Saxonicam aſſumendas eſſe, mecum conſentias, placet. *He* & *Sie* Belgice. *Hy ende Sy* in pueritia mea ſemper in ore habui, cùm Thuringice dicerem *Seſſen Häeben oder en ſecben*, maſculus vel fœmella de aviculis. *Mit gleuigen*, quod reperitur in pacto Halberſtadienſi, difficile explicatu eſt, niſi aliquoties reperiatur. Quod Rabbini aiunt de vocibus ſemel tantùm in ſacra ſcriptura repertis, idem de noſtris dicere poſſumus, nimirum difficillimas eſſe. Mea methodus in talibus eſt,

ut vocales non curem; deinde literas ejuſdem organi inter ſe permutem, atque hac ratione vocabulum iſtud legerem *Klingen*, ut accipiatur pro gladiis, ut hodie dicimus: ***komme mir vor die Klinge.*** Falcibus enim pugnare, extraordinarium; nec fit, niſi in caſu neceſſitatis. Inſolitum ve:ò ɛſt, paciſci tale quid: ordinaria tantùm paciſcimur, vel generaliter loquimur, ***mit Gewehr erſcheinen.*** Ita enim credibile eſt, Epiſcopi illius milites planè nullos habuiſſe gladios, ut falces promittere neceſſe habue:it. Et ego hic integrum contextum videre maluiſſem; nam niſi de ruſticis loquatur, conjectura de falcibus cadit. ***Megiſerum*** ulterius perſtringere non vacat: ſufficit me vanitatem & inertiam ejus in confingendis quadringentis linguis oſtendiſſe; plura exempla eruditi facilè reperient. Ne alphabetum meum harmonicum reipublicæ literariæ invideam, me rogas. Profectò nemini mortalium quidquam rerum mearum invidere ſoleo. Si perfectum eſſet, jam dudum publicaſſem. Verùm alia negotia, longè fructuoſiora, impediverunt, quo minùs perfecerim. Deinde æri incidendum eſſet, nullum autem novi, qui ſumtus in id facere vellet. Sed neſcio an mentem meam rectè capias. Latinas literas ſecundùm variantes ſonos variare volui; exempli gratia: aſpirationem τϰ H quadruplicem novi: 1.) H ſimplex. 2.) aſpirationem aſperam Germanorum, Belgarum & Polonorum *ch.* Arab. ح per th vel ح vel ħ 3.) Arabum ħ eſt quaſi *h* raucum 4.) h Germanorum peculiare poſt *e*, *i*, & in vocibus *ich*, *mich*, *dich*, *lechzen*, *Raich*, *Laich*, quod nulla alia natio, quotquot ego quidem novi, nequidem Helvetii pronuntiare poſſunt; illi enim dicunt *Reich*, *leich*, cùm dicendum ſit *Reih*, *leib*, & ita porrò. Epiſtolam P. *Grimaldi* e portu Goano ad te miſſam, quæſo mecum communica. Ego, ni fallor, primus illis auctor fui itineris in Chinam per Ruſſiam ſuſcipiendi; ſed non ſatis cautè rem ſuam egerunt. Trium menſium ſpatio ſine ullo periculo iter illud fit; ſed per Indiam maritimo itinere cogita quantis ambagibus, quantiſque periculis ſit obnoxium. Sed ego plus ſatis. Vale. *Francofurti d. 9. Dec. 1695.*

P. S. De Collegio noſtro hiſtorico quod dicam, vix habeo, adeo omnia frigent. Scilicet nemo ex magnatibus noſtris eſt, qui urgeat, multo minùs, qui obolum impendat. Qui ad nutum alienum laborare debent, ſine magno auctore, ſine præmio, ſunt difficillimi. Multoties id inculcavi illis, qui me Præſidem creaverunt, me vanum monitorem fore. *Pregitzerus* Conſiliarius Wirtembergenſis, inſignis vir, pollicitus nobis eſt primum ſæculum, ſed nihil præſtat, nec amplius quid reſpondet ad inſtantias noſtras. Dominus *Otto*, Ulmenſis, ſecundum ſæculum *annalium Germanicorum* daturus, hiſtoriam Imperatorum Romanorum dedit, quaſi illi eſſent è majoribus Imperatorum noſtrorum. Bis terve monitus, nihil curat. Alioquin tuum monitum perplacet, ut nimirum tantùm materia colligatur pro concinnanda aliquando hiſtoria. Vocabula ignota in pactis Moguntinis cum hac civitate reperta, proximè accipies. Iterum vale. Dabam ut in literis.

Denique hic habes ***hiſtoriſchen Bericht von dieſem Collegio***, ***des*** Paullini.

XXII.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

De ſignificatu vocabuli obſoleti Glenigen *diſputat, & de hiſtoricis medii ævi edendis, amicum certiorem reddit.*

LÆtus ex literis tuis & plurimum reverendi *Bergerii* narratione intellexi, valere te optimè & mei meminiſſe. Et tibi & mihi diuturna hæc bona precor. Neque enim exiguo in pretio habeo benevolentiam virorum ſimilium tui, qui magis magiſque rareſcunt. De Domino *Ochſio* veſtro diù eſt, quòd nihil mihi ampliùs auditum eſt. Fortaſſe his bachanalibus inſtantibus ad nos reviſet, ut ſpectaculis *operarum* per aliquot dies fruatur: nam his ferè conſtant noſtræ illæ lætitiæ, ſolo nomine bacchanales, & quas plebs non capit. Non malè conjeciſti, *glenigen* fortè nihil aliud eſſe, quàm quod hodie vocamus *klingen.* Non tamen a ſono dici putandum eſt, & ex *klingen* corruptum eſſe *glenigen*; nam contrà puto, quia *Glene* in *Amadiſo* Germanico & aliis libris ſuperioris ſæculi, armorum genus ſignificat & lanceam videtur indicare in torneamentis. Quid ergo, ſi omne ferrum nudum ſive telum fulgens, ſic dictum putemus? cum Anglicum quoque *Gleane* nudationem radicali vocis ſignificatu notare videatur. Unde ad demeſſionem & racemationem adhibitum, quibus terra, ut ita dicam, glabra, *glat*, nuda, æquabilis, & velut *depilis* redditur. Sed de his nemo te rectiùs arbitrabitur. Fortaſſe *lind*, *glind*, *glanz*, ab eodem fonte Græco-Celta-Scythico. Vocabula priſca Germanica ex Francofurtenſibus ſcripturis excerpta beneficio tuo exſpecto. *Megiſeri* non tam perſtringendi quàm illuſtrandi cauſſa judicium tuum de nonnullis ejus linguis quæſivi. Literas *Grimaldi* originales ecce mitto, & ut remittas rogo. In eo nunc ſum, ut edam nonnullos libellos mediæ ætatis, certè reformatione anteriores, & ſpero faſciculum aliquem ante nundinas Lipſienſes vernas Deo favente prodíturum. Mitto ecce titulum unius ex his libellis, qui aliquid affine habet argumento ſuo cum hiſtoria *Procopii* arcana ſeu anecdota. Accedet quædam *Helmoldi* continuatio & *Engelhuſii* & excerpta ex *Ricobaldo* & alia nonnulla. Habeo talia complura, ut facile mihi futurum ſit, dare juſtum in folio volumen. Sed cùm hæc non promtiſſimè vendantur, magis è re putavi edere particulatim, ut bibliopolæ conſulatur.

Ditmarum habeo multo integriorem edito, in quo manifeſti ſunt hiatus, quos deprehendo ſæpe multarum paginarum, & cùm ſit ſcriptor ille magni momenti, fortaſſe reſtiiutum aliquando edi è re foret. Habeo & vetera chronica Latina inedita, Hildeſienſia, Mindenſia, Verdenſia &

& hiſtoriam *Andreæ*, Presbyteri Ratisbonenſis, aliam planè ab ejus libro de Bavariæ Principibus, qui prodiit. Item libellum quendam *Trithemii* de vita & ſcriptis propriis, nondum exſtantem, quem *Nepiacum* inſcripſit. Sed magni inprimis facio inſigne chronicon Saxonicum, cujus auctor vixit circa tempora *Lotharii* Saxonis & *Conradi*, mihi Pariſiis tranſmiſſum, quod non parvam lucem rebus noſtris affundit (*1*). Ita vides, me ſtrenuè laborare in juvando inſtituto veſtro præclaro, in quo vellem omnes meo animo verſarentur, id eſt, magis commodi publici quàm privati reſpectu. Nam pro his omnibus ſat ſcio, adeo nihil mihi utilitatis exſpectandum, ut fortaſſe non parum decedat, fructuoſiora minùs affectanti, quàm poſſem. Audio te verſari in ſcribenda noſtri ſæculi hiſtoria, de quo labore tibi & reipublicæ plurimum gratulor. Facis ſapienter, quòd ea agis, quæ ſimul & fructum & plauſum habent. Sed non omnibus contingit, hanc adire Corinthum. Mihi ex Gallia juſſu patris *Verjuſii* ſcriptum eſt, *Grimaldum* tandem Pekinum appuliſſe & magna regis lætitia fuiſſe exceptum; ſed mox morbo gravi tentatum periculoſe decubuiſſe, cùm literæ inde darentur ad Europæos. Itaque vereor, ne ſpes, quas mihi erectus viri genius candorque fecit, in herba pereant. Moſci obſtinatè tranſitum negaverant. Sperandum eſt, paulatim tractabiliores fore. Utinam ſit, qui apud illos agat, quod tu apud Æthiopes! Si tanta Imperii illius moles regeretur ad morem cultioris Europæ, majores inde fructus caperet res Chriſtiana; ſed ſpes eſt, paulatim evigilaturos. Certè Tzar *Petrus* agnoſcit vitia ſuorum, & vellet barbariem illam paulatim aboleri. Ingenio vivido eſſe aiunt, ſed paulo fervidiore. Audio *Ludolfum* aliquem cognatum tuum, Principis *Georgii* Secretarium, non pœnitenda Moſcicarum rerum notitia inſtructum eſſe, & nonnulla moliri. Vale & fave. *Dabam Hanoveræ d.* 17. *Jan.* 1696.

XXIII.

LEIBNITIUS LUDOLFO.

De originibus vocum Germanicarum inveſtigandis; de hiſtoria ſæculi ad formam Thuani *ſcribenda; de rebus Chriſtianorum apud Sinas; & de conſpiratione in Anglia, detecta.*

Gratias ago pro excerpto faciente ad Germanicæ linguæ antiquitates. Si *Glene* idem quod *Gleve*, foret a *Glaive*, id eſt, gladio: itaque ſignificatus magis conſentiret *glenigen*, *klingen*. Quid *Margzahl* nondum ſatis

(*1*) *Scripta hæc, vel ab ipſo* Leibnitio, *in* Acceſſionibus hiſtoricis *& inter* Brunſvicenſium rerum ſcriptores, *vel ab* Eccardo, *in* Corpore hiſtoricorum medii ævi, *publici juris facta ſunt.*

Digitized by Google

ſatis intelligo, an vocis origo a nundinis veſtris? Vellem talia erui ex archivis, quibus non lingua tantùm illuſtraretur, ſed & ritus veteres, & hiſtoria, & jura Germaniæ. Dominus *Thulemarius*, qui gratias pro ſuppeditatis circa τυ *Glene* meretur, hortandus eſt, ut ſtudium conferat. Hiſtoria noſtri ſæculi tua, non poterit non præclara eſſe. Utinam paulo prolixiorem conderes ad *Thuani* formam, & virorum doctorum vitas breviter attingeres, ut ab illo factum. De propenſione Regis Sinarum ad Chriſtiana ſacra *Grimaldus* moderate loquebatur. Interim mire laudabat animum ejus, ſolidæ ſcientiæ & virtutis ſtudioſum. P. *Antonii Thomæ* epiſtolam vicilſim legere optem. *Grimaldum* accepi, ubi primum Pekinum attigit, graviter decubuiſſe, nec ſine periculo. Si recreatus eſt, mihi non contemnendas ab eo notitias polliceor. Detecta conſpiratio auctoritatem Regis apud Anglos auxit. Unum vereor, ne iiſdem cauſſis aliquando recrudeſcant motus: nam durante adhuc bello, dum pecuniæ plus quotannis emittitur regno, quàm recipitur, exhauſtis loculis, in gente onerum inſueta atque impatiente, timendum eſt, ne gravius aliquando in nervum erumpat malum, & nos in pacem indignam præcipitet, quod Deus avertat! Itaque cogitandum eſſet Anglis, ipſisque ſociis de habenda Angliæ ratione. Sed video, pleroſque alieni boni, imo & futuri ſui eſſe incurioſos. Vale & ſave. *Hanoveræ d. 3. Aug. 1696.*

XXIV.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Ad ſingula præcedentis epiſtolæ argumenta reſpondet, & quid de republica ſentiat, aperit.

IN aere tuo me eſſe memini; quam ob rem *Leinbachium* veſtrum hiſce comitari volui, ut tibi ſignificem, gratum mihi fuiſſe intellectu, quæ excerpta tibi de voce *Glenen* miſi, non diſplicuiſſe. Plura ſi ſuppeditare poſſim, lubenti animo id facturus ſum; ipſe enim talium ſtudioſiſſimus ſum. Annales totius orbis, maximè verò Europæ & patriæ noſtræ, per compendium tracto, adeoque nullatenus *Thuanum* imitari, multo minus doctorum virorum vitas deſcribere poſſum. Feſtinare enim me oportet, ut biennio abſolvam: id enim ætatis meæ ratio ſuadet. Res Patrum Societatis in regno Sinenſi bene procedunt; epiſtolam P. *Antonii Thomæ* habebis, ubi amanuenſis meus deſcripſerit. Si tu plura ex, vel de *Grimaldo* acceperis, edoce me quæſo. De republica vix habeo, quod ſcribam, adeo in occulto ſunt omnia. De pace agi in Belgio certo certius eſt. Locus haud procul Haga, ubi *Callieres* Gallus moratur, notus eſt. Mihi verò perſua-

dere non poſſum, id agi, quod in Sabaudo tantopere improbatur, id enim rationes noſtras omnes deſtrueret, & pacem immaturam ac perniciofam nobis afferret. Verum & nos culpa non vacaremus, quia rem noſtram lente & quaſi ſomnolenter agimus, quæ totis viribus perficienda eſſet. Anglorum animi non omnes æqualiter ſunt compoſiti: plurimi *aſſociationem*, quam vocant, ſubſcribere nolunt, id eſt, ordinem ſucceſſionis, ſub initium regni *Wilhelmi* ab ordinibus decretum, agnoſcere abnuunt, qua ratione *Jacobo*, ejuſque filio, ſive vero, ſive ſuppoſititio, ſpes aliqua poſtliminii relinquitur. Vale. *Francofurti die* 17. *Aug.* 1696.

P. S. Sabaudum minis fœderatorum terreri poſſe, ut reſipiſcat, vix credo. Bellum in Italia continuaturi ſunt, ſed contra quem? Poſſidetne Gallus aliquid in Italia? Per montes in Galliam ibunt. Cur non per patentes Palatinatus & Lotharingiæ campos? Sin contra Sabaudum; Pontificem omnesque Italiæ Principes adverſos habebunt. Et quis quæſo erit hujus belli dux, cui cæteri libenter parituri ſint?

XXV.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

Literaria de Meieri *Gloſſario Saxonico*, Huetii *notatis de Saxonum veſtigiis in boreali littore Galliæ*, Peireſcianis & Gudianis *epiſtolis*, &c. *additis quibuſdam ad rempublicam ſpectantibus.*

Rem haud dubie antiquitatibus Germanicis illuſtrandis utilem facies, ſi domino *Meiero* noſtro, Bremenſium theologo gloſſarium Saxonicum meditanti vocabula provincialia per amicos Thuringos alioſve impetrare poſſis. D. *Huetius* Abricenſium Epiſcopus ſpem fecit notationum quarundam ſuarum circa Saxonum veſtigia in litore Normanniæ & Picardiæ, quod *Saxonicum* veteribus ob crebras Saxonum irruptiones dictum fuiſſe conſtat. Pertinent hæc omnia ad Germanicam hiſtoriam, cui ornandæ deſtinatum collegium Imperiale, quo in ſtatu ſit, diſcere opto, dum interim multa in rem ejus conquirere non intermitto. Nuntiatum eſt, volumen inſigne mox editum iri epiſtolarum ad *Peireſcium* ab eruditis ſcriptarum, in quibus ultra triginta numerantur Salmaſianæ, multum habentes bonæ frugis. Utinam, qui nuper *Gudianum* Epiſtolarum volumen doctiſſimo *Grævio* inſcripſit editor, non ſuo ſed *Grævii* uſus fuiſſet judicio! ita enim multa haud dubie ſuppreſſiſſet parum digna *Gudio*, aut quæ magis pertinent ad officia amicorum, quàm ad incrementa literarum. Doleo tantum virum non ſatis noſci eruditis, qua parte merebatur. Spes tamen eſt *Inſcriptionum* præclariſſimum volumen editum iri, cùm Angli obſtetrices manus obtulerunt, ſi Ba-

Digitized by Google

ſi Batavi bibliopolæ cunctentur. Annalium tuorum noſtri temporis præclarum haud dubiè opus diffundi nonnihil optem. Quis enim hoc te meliùs poſſit, qui doctrinam cum uſu rerum conjunxiſti? Itaque quantum ei detraxeris, tantum nobis damni dederis. De *Grimaldo* mihi nihil ultra auditum. Spem feceras Epiſtolæ P. *Antonii Thomæ*, ubi tuus amanuenſis deſcripſiſſet. Spes pacis generalis nondum exſtincta eſt, modo ne ſcrupuloſitatibus nimis utrinque indulgeatur, quibus fieri poteſt, ut rurſus velut ex conſpectu portus rejiciamur in plenum mare, ubi multa accidere poſſunt quæ rationes noſtras conturbent. Sed ita fatum eſt hodie publicorum negotiorum, ut ferè ad ſcopulos rerum cæremonialium obhæreſcant. Apparet & hoc ſæpe eſſe hominum ingenium, ut oblata recuſent, aut frigidiùs accipiant, quæ recuſata omnibus votis petiſſent. Quis ante hos viginti annos ex Proteſtantibus non exſultaſſet, ſi Electoratus novi ſuis partibus impetrandi ſpes affulſiſſet? Quis ante quadriennium non mirifico gaudii ſenſu intellexiſſet, Argentoratum, præſertim ut eſt munitum pro Luxenburgo & tot aliis malè reunitis verè nobis reunienda offerri? Ita ſæpe fit, ut res non vero, ſed affectionis pretio æſtimemus. Laudo quidem circumſpectè agi cum lubrico hoſte; optarem tamen, initia tractatuum non nimis differri, ne fatalis quidam caſus omnia avertat. Nupero bello, cùm Colonienſes tractatus fuiſſent diſturbati Noviomagenſibus, res in deterius ivere. Sed cùm Imperator & Rex Magnæ Britanniæ principes ſint ſapientiſſimi & præ cæteris bellandi difficultates ſentiant; non dubito, medium ſervaturos inter abruptam obſtinationem, & projectam facilitatem. Verùm hæc tui annales meliùs dicent, quos precor, ut continues in multos annos. Nec video, quid aliud melius optare ineunti annum poſſim: ita enim & valetudine ſecunda adhuc diu uteris, & animo libero & ſuis contento, quando tot alienis, id eſt, orbis rebus, vacare poteſt. *Dabam Hanoveræ* 24. *Decembr.* 1696.

XXVI.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

De Collegii Imperialis hiſtorici lento progreſſu queritur, & quæ circa noni Electoratus erectionem monenda ipſi videbantur, indicat.

Literas tuas amantiſſimas d. 24. Decembris Hanoveræ datas tardè accepi. Non enim domi, ſed Gothæ fui, illo ipſo die magna mœſtitia quaſi obrutus. Etenim filia mea, inſigni viro, *Avemanno*, Conſiliario Saxo-Gothano, deſponſata, poſt quatuor hebdomadas felicis puerperii mortua, tunc ſepeliebatur. Poſtea aliquamdiu Iſenaci verſatus, componendo inter

R 2 Prin-

Principes fratres diſſidio cum reliquis conſiliariis occupatus fui. Domum intempeſtiva hieme reverſus, tot negotia, tot literas expediendas reperi, ut vix neceſſariis ſufficerem. Nunc paulo liberior factus, ad officium meum erga amicos redeo, inprimis monitus literis hic inſertis, brevi abhinc tempore ad me delatis. Operam dabo, ut *Meiero* gloſſarium Saxonicum meditanti, vocabula provincialia ſubminiſtrentur. Collegium noſtrum hiſtoricum nunc planè quieſcit. Sæculum primum *Pregitzerus*, nunc conſiliarius Wirtembergicus factus, in ſe recepit elaborandum. Verùm tot negotiis, ut ait, hoc tempore bellico impeditus, elaborare illud nequivit. Sic prodromus meus, futuros annales hucuſque fruſtra exſpectavit. In annalibus meis concinnandis prolixus eſſe non poſſum, ſi inter tot alia negotia cœptum opus abſolvere debeam. Nec enim polliceor perfectam hiſtoriam, ſed epitomen tantùm rerum præcipuarum, ita ordinatam, ut qui hiſtorias unius gentis noſſe cupiat, ſine ulla difficultate eas continuando legere poſſit, allegatis autoribus, ubi plura reperiri poſſint. Tomus primus jam ad editionem paratus eſt, & impreſſionis initium brevi fiet. Judicium meum paſſim admiſceo, interjectis nonnullibi diſſertationibus meis, de rebus vulgo non obviis, ſed alio charactere diſtinctis, ne lectori feſtinanti moram injiciant. Epiſtolam *Antonii Thomæ* ex India in aliud tempus differo; nunc enim deſcribi non potuit.

De pacis tractatibus prudentiſſimè diſſeris, ſcrupuloſitatibus, ut ais, non nimiis indulgendum: neſcimus enim quid ſerus veſper ferat. Sæpe etiam, uti rectè obſervaſti, fit, ut homines oblata recuſent, quæ recuſata omnibus votis expetiiſſent, ſic loqueris. Exemplum affers de novo Electoratu, & ais: *quis ante hos viginti annos ex proteſtantibus non exſultaſſet, ſi Electoratus novi ſuis partibus impetrandi ſpes affulſiſſet?* Credo, exſultaturos, lætaturos & jubilaturos fuiſſe. Verùm enim verò, ſi quis addidiſſet, hac tamen ratione Cæſari licitum fore, ſine conſenſu Imperii decimum, undecimum & duodecimum Electoratum e numero catholicorum Principum ſtabiliendi & potentiſſimos ex iſtorum collegio in Electorale transferendi, ſimulque ſibi directorium tanquam Regi Romanorum arrogandi, tunc procul dubio lætitia & jubilus omnis in extremam triſtitiam, ejulationes & lamenta converſus fuiſſet, quaſi hac ratione ſtatus Imperii in oligarchicum, oppreſſis & in nihilum redactis reliquis Ordinibus, converſus fuiſſet. Neque enim ex tam intempeſtiva & improviſa gravi mutatione, quæ omnibus rebuspublicis periculoſiſſima eſſe ſolet, aliud, quàm graves mutationes in familiis & collegiis ſequi poſſe, quæ omnes neque prævideri, neque prædici poſſint. Saluberrimum enim conſilium prudentis viri eſſe τὴν παροῦσαν πολιτείαν διαφυλάττειν. Et *moribus antiquis ſtat res Romana* &c. Profectò bonus civis nunquam concupiſcere debet id, quod vanum nomen ſine majore potentia, ſine pluribus commodis, cum ſui ſuorumque invidia affert. Et cùm unusquisque in ſuo ordine æſtimatiſſimus ſit, certè non debet affectare id, quod majus nomen, at minorem æſtimationem, & inferiorem locum illi affert, cùm

Digitized by Google

cùm in ſuo ordine primum, eumque laudatiſſimum habere poſſit. Sed iſta in fidum pectus tuum altiore & profundiore prudentia, quam primo aſpectu æſtimanda, relinquo. Sic vive & vale. *Dat. Francoſ. d.* $\frac{1}{11}$ *Maii Anno* 1697.

XXVII.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

Ludolfi *monitis circa novi Electoratus inſtitutionem, prudentiſſimè reſpondet.*

EA eſt prudentia tua, ut dubitare non poſſim, quin, quod expreſſiſti, tamen agnoveris, & ſubintellexeris quos refers quorundam metus, eo tantùm valere debere, ut ſibi caveant, non ut rem dudum votis expetitam rejiciant: in quo haud dubiè plus valerent privata, quàm publica, & affectus, quàm rationes. Nec puto vel te, vel alios prudentes viros rei contrarios eſſe poſſe, dum cauſſæ communi conſulatur. Multa igitur inter opponentes diſtinctione opus puto. Qui libertati in poſterum caveri expetunt, aut etiam qui id agunt, ne quod ſibi præjudicium creetur; ſed qui rem ipſam potiùs, quàm modum opponendum ſibi ſumunt, haud dubiè invidiæ privatisque conſiliis ſpecioſas publicæ rei cauſſas prætexunt.

XXVIII.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Nova Sinica cum amico communicat.

CUm nuper epiſtolam meam noviſſimam, cum alia, a *Magliabechio* inſerta die VIII. Maii ad te miſiſſem, alia ſupervenit a te epiſtola XXVI. die Aprilis data, cum munere profectò gratiſſimo, videlicet *Noviſſimis Sinicis*, quæ Chriſtianis omnibus profectò jucunda lectu & ſuavia auditu eſſe debent. Quandoquidem procul dubio plura ejuſdem argumenti brevi ſecutura ſint, ſtatim ad te mittere volui, quæ mihi ad manus fuerunt. Quæ ſi vel lecta vel deſcripta fideliter remittere voles, plura propediem accipies. Ea ſunt.

A. *Thyrſi Gonzalez* epiſtola ad *P. G. Albertum Scheiſſe*, domus profeſſæ Vienneſis præpoſitum. Romæ 30. Jan. A. 1695. Latinè.

B. Summa epiſtolæ *Antonii Thomæ*, ſcripta Pekini d. X. Februarii, miſſa

R 3 Roma

Roma XIX. Julii 1695. in Galliam per P. *Morgues*, ſat malè ſcripta Gallicè.

C. Relatio Sinenſis de anno 1695. incerti autoris.

Quæ ſi tibi utilia fuerint, gratum mihi erit. Ego cùm ad hæc tempora venero, annalibus meis inſeram. Summus Pontifex talium gnarus, *Miſſionem* Sinicam omni ſtudio promovere nititur. Etenim centum millia ſcutatorum liberaliter illi deſtinavit. Et collegium *de propaganda fide* facultatem dedit Patribus Societatis Jeſu, Miſſionarios in Chinam mittendi. Literæ noviſſimæ, quas Roma accepi, ſic habent:

In tanto giunſe la lettera del Re di Francia al Cardinal de Janſon, *che l'Ambaſſador ſuo nella corte del Re di Perſia haveſſe ricevuto una lettera della Regina madre del regnante Imperatore della Cina (che dicono foſſe Portogheſe, e per il genio ſpoſata dal Re e fatta Regina) chiedente Miſſionarii. Il Padre Gieſuita ivi Miſſionario non lo voleva credere. Replicò l'anno ſequente l'iſteſſa dimanda; e perche il P. Gieſuita era pur duro à credere, l'Ambaſſador ſpronò con dirgli, che v'andaſſe, che ſarebbe ſtato in gran grado e lui havrebbe havuto biſogno del Padre; Talemente fece che il P. Gieſuita ſpinſe il P.* Verzou *pur Franceſe Superior in Aleppo, à portarſi dal Provinciale in Francia, coſi fece, otenne dal Provinciale 6. Compagni,* 1. *Lui ſteſſo.* 2. *il P.* Bodin. 3. *P.* Brevedent. 4. *P.* Pouſſevache. 5. *P.* Grenier. 6. Bonamour, *e'l Re di Francia aſſegno per loro tanto denaro. Il P.* Verzou *venne qua a Roma &c.* Opportune ad me miſit inſignis vir P. *Papebrochius*, amicus meus ſingularis, tractatum ſuum tibi tranſmittendum, quem hac occaſione a Domino Conſiliario *Lüdecken* accipies. Vale mihique favere perge. *Francofurti die* 4. *Junii A.* 1697.

XXIX.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Varii argumenti literæ.

PAucis his verſibus incluſas a P. *Papebrochio* mihi commendatas comitari volui, ſimulque interrogare, num epiſtolam meam die $\frac{1}{11}$ Maii ad te datam, cum adjecta a *Magliabechio*: nec non faſciculum cum Sinenſibus quibuſdam A. B. C. Domino *Lüdeke* Legato Guelpherbytano, commiſſum, rectè acceperis. Placet, quòd amici tui apertas mihi credant epiſtolas, ex quibus, quid in republica literaria in Italia agatur, cognoſcere poſſim. Controverſiam de fluminibus equidem non capio; vellem tamen librum ipſum de ortu fluminum inſpicere. (*u*) Etenim in iſta firma ſum ſententia, flumina

(*u*) Ludolfus *fortè dum hæc ſcribebat, ad Dominicum Guilielminum reſpexit cujus* de natura fluminum. tractatus *lucem vidit* Bononiæ 1697. 4to, *recuſus inter opera viri, junctim edita* Genevæ 1719. II. Vol. in 4to.

mina non niſi ex aqua pluvia, nullatenus ex aqua marina oriri. Iſta enim ſententia mihi ſemper abſurdiſſima viſa fuit. Rationes habes in commentario meo. Plura ob anguſtiam temporis non addo. Id tantùm rogo: ut epiſtolas tuas, ſive Hanoveræ, ſive Guelferbyti, Cancellariæ, ad Agentem *Prim* huc mittendas committere velis. Procul dubio audiviſti, domum Auſtriacam ambire decimum Electoratum: id temperare poteſt lætitiam Proteſtantium, de qua in noviſſimis tuis mihi ſcripſeras. *Francofurti d. 26. Jun. A. S. 1697.*

XXX.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

De adventu ſuo Salzdaliam certiorem facit Leibnitium.

TRes ad te epiſtolas dedi ad quas nec dum ullum vidi reſponſum. Quas quarto die Junii Dominus Conſiliarius *Lüdeke* ſecum tulit, continebant Sinenſia quædam, ſub literis A. B. C. Sequentes die 26. ejuſdem menſis ſcriptæ afferebant ſimul a *Magliabechio* & Domino *Guilielmini* literas. Commercium literarum, quod per Europam agitas, te quidem reddit occupatiſſimum. Interim oportebat amicum, ejuſcemodi ſcripta & literas mittentem, certiorem reddere, quod eas acceperis. Nudius tertius huc veni, Sereniſſimo Principi obſequium meum demonſtraturus; ſed dolui, quòd te non repererim, quippe biduo ante diſceſſeras. Nunc an tam felix futurus ſim, ut jucunda & gratiſſima tua converſatione fruar, equidem neſcio; diu enim hic ſubſtiturus non ſum. Quippe Deo & Sereniſſimo Principe volente, feria quarta ſequentis hebdomadis ſummo mane hic diſceſſurus ſum. Sin commoditas tua interim huc advolandi permitteret, poſſem multo pluribus quam per literas tecum agere. Specimen annalium meorum tui potiſſimum cauſſa mecum ſumſi, tuum conſilium & judicium de illis auditurus. Quæ de miſſionibus, Sinenſi & Æthiopica, vulgo ſparſa fuerunt, ea diſtinctè & verè Roma accepi, narraturus, ſi copiam tui habuero. Vale, meque amare perge. *Salzdalia d. 10. Sept. 1697.*

XXXI.

XXXI.

EJUSDEM AD EUNDEM.

Urget reſponſorias Leibnitii, *& de iis, quæ in Polonia tunc acciderant, judicium ſuum tranſcribit.*

Neſcio profecto, quonam pertinax tuum ſilentium referre debeam. Statim ac huc veni, adventum meum tibi nuntiavi, ſperans te tui copiam nobis facturum, aut ſaltem literis de ſalute tua me certiorem redditurum. Nunc rebus omnibus, propter quas veni, perfectis in procinctu ſto, Brunſvigam abeundi, ac dehinc Helmſtadium tranſiturus, Weverlingam, deinde Hallam & Lipſiam petam, poſt unam & alteram hebdomadam Francofurtum rediturus. Interim hic *Papebrochii* epiſtolam, mihi commendatam tibi mitto, teque ſalvum & ſoſpitem bene valere jubeo.

Nova procul dubio eadem habetis, ac nos hic. Elector Saxoniæ, ſancita cum adverſa parte concordia, magno comitatu & ſplendida pompa Cracoviam introiit. Mirabitur procul dubio Princeps *Contius* tantum cataſtrophen, & dolebit. Regis Galliæ lætitia ob reparatam pacem hoc facto & victoria Hungarica multum temperabitur. Nec opus habebit copias ſuas nunc inutiles per Germaniam, uti decreverat, in auxilium *Contii* ducere. Quomodo nunc fidem Imperatori Turcarum datam, quod pacem ſolus cum Imperatore facere nollet, liberare velit, ipſe videat. *Salzdaliæ d. 16. Sept. 1697.*

XXXII.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

Excuſat tarditatem in reſpondendo, de negotiis publicis variiſque literariis diſſerit, tandem quæ in controverſiis religionis componendis agat, ſignificat.

Qui diu tuas exſpectaveram, nunc ſum in aëre tuo. Ac primum multas ago gratias pro communicatis, quæ Sinicis meis conjungi poſſint. Utinam haberent noſtri quoque quibus ſtudium propagandæ religionis purioris oſtendant. Sed præſtat ad remotos populos Chriſtianiſmum non ſatis limpidum pervenire, quàm nullum & quæ porrò ſperare me rei *miſſionariæ* jubes, ſemper gratiſſima erunt. Doleo admodum, non potuiſſe me vicinia tua colloquioque frui, quo vix aliud potuiſſet accidere optatius. Equidem exſpec-

exſpectari te audieram ; ſed cùm nihil cognoviſſem certi , non poteram ultra moram trahere Guelpherbyii , ſatis jam diu Hanovera abſens. Accidit autem , neſcio qua eorum negligentia , quibus literæ tuæ Salzdalio datæ , fuerunt commiſſæ , ut priores allatæ ſint poſtremæ , nempe hodie demum , nec per ordinarium tabellarium , ſed per ſamuſum hominis in hac urbe degentis , cujus frater agit Guelferbyti , ſed ita tamen perplexitate liberatus ſum , in quam me conjecerant tuæ , ſi tempus quo dediſti , ſpectes , noviſſimæ , in quibus accuſabas pertinax ſilentium meum , & Papebrochianas ſimul mittebas. Ego cùm tuas priores nullus vidiſſem , verebar , ne eſſent ſuppreſſæ , eoque verebar magis , quod aliquando dicis de rebus noſtris , quæ mihi non poſſunt probari atque ipſa inſcriptione literarum inſinuas ; quas ſuſpicabar locum dediſſe ſuppreſſioni. Unde mallem literis meis nudum nomen meum inſcribi , quàm addi titulum , quem noſtri in ſui injuriam accipere poſſint. Ego ſanè & tua & aliorum cætera egregiorum virorum conſilia non capio , qui tenuiſſimos per ſe motos metus mirè exaggeratos ſuis reſtitutionibus prætexunt. Certè iis vitiligationibus contra rem per ſe æquiſſimam & utiliſſimam , & vix ultra honores porrigendam , plurimum collatum eſt ad pudendam Germaniæ pacem. Dici non poteſt , quàm me nuntius amittendi in perpetuum Argentorati affecerit. Sed iſta meremur Germani , quibus in graviſſimis periculis vacat contentiunculis , neſcio quibus , diſtineri ; neque unquam aliquid in tempore facere placet. Neque debebamus ipſi majore niſu rem gerere , & ſublevare magis Anglos Batavosque , ſub onere laborantes , ſi volebamus in pace facienda majorem noſtri haberi rationem. Quodſi vicinos hoſti & domum Brunſvicenſem excipias , quæ ultra vires laboraſſe videri poſſit , & cui Moguntiam, Francofurtum, Hamburgum , Holſatiam ſalva , ipſam nunc Poloniam non Gallicam pro bona parte debemus ? ne quid de Hungaria ſublevata dicam. De cætero videntur Germani majus aliquid præſtare potuiſſe , audiendusque erat autor libelli : *Fas eſt & ab hoſte doceri* ; ante aliquot annos editi. Equidem duo quorum meminiſti in noviſſimis tuis , ſolatia non contemnenda eſſe fateor , ſtragem Turcarum & proni ſumus Germani in has conſolationes , & oblivionem malorum , felicem haud dubie , niſi in priſtinum torporem revolveremur. Et vereor , ut hæc alibi ſecunda accepto maximo per pacem iniquiſſimam vulneri medeantur. Nam Rheno ſuperiore prope amiſſo , magnam Germaniæ partem externo jugo ſubjectam manifeſtum eſt , & vereri debemus ne malum latiùs ſerpat. Turcas victos res magna eſt , quia Cæſaris fortunæ in ſummo periculo verſabantur. Si liceret uti victoria , & Temeſwariam expugnare , fructum ejus , fateor , caperemus inſignem ; ſin minus, parum proficiet ad ſummam rerum. Ubi Sereniſſimus Poloniæ Rex tranquilla regni poſſeſſione erit potitus, multum inde rei Chriſtianæ promitto. Sed vereor , ne inclytus Princeps , & antiquis heroibus opponendus , multis adhuc turbis implicetur , quibus ab agendis rebus maximis prohibeatur. Neque enim ſucceſſum habuit tranſactio , *Radziejowskio* coronationem diſ-

Digitized by Google

ferri flagitante : quod adventante *Contio* meritò ſuſpectum Regi fuit. *Contius* non paucis gratus erit, quia minùs formidatus; quia fucata modeſtia Regis titulo abſtinuit; quia noviſſimus, largitionesque ejus adhuc exſpectantur; quia Gallicum aurum, vel, quod dicere pudet, Hiſpanicum ſecum vehit. Is enim Hiſpanorum ſtupor eſt, ut Gallis opes ſuas colligant, & neque habere ſua ſciant in uſum, neque cuſtodire, ut nuper patuit, Carthagine Americana expilata. Quid putas de fœdere publicæ ſecuritatis futurum, quod jam diu Francofurti agitatum eſt? Certè Franconibus & Suevis cenſeo ſuadendum, ut militem ſelectum retineant. Nam ſi ſemel exarmantur, habebo eos pro conclamatis. Quid ita? inquies; quia militem dimiſerint, nunquam poſtea rurſus militem conſcribere audebunt. Gallo mox rationem ejus reddi ſibi juſſuro, & injectis terroribus effecturo, ut arma ponantur. Sed viderint de republica, qui hanc ſibi curam propius vindicant. Gratias ago, quòd Dn. *Magliabecchi* literas cum *Guilielminiana* defenſione miſiſti. Cogitandum erit, qua ratione res in publicum eat. Lipſienſes nolunt Actis ſuis integras concertationes inſeri. De origine fontium ex pluviis dubium mihi nullum eſt, neque ea de re agitur aut egit *Guilielminus*, ſed de legibus motus curſusque. *Hugenius* & ego tantùm non arbitri electi eramus inter ipſum & *Papinum*. *Hugenius* obiit; ego nec velim pronuntiare ſolus, &, quo minus aliena ſatis examinem, meis prohibeor. Nolim putes, me ſolo literario commercio diſtineri, eoque tardiorem eſſe in ſcribendo, cùm tot habeam cogitata inventaque quæ ſubinde, ne pereant, ſchedis utcunque committo; neque ea qualiacunque ſunt, ſed ſpectant ad res magnas & latè fuſas. Ingenti me labore levavit Dominus Marchio *Hoſpitalius* Gallus, qui novæ analyſeos mathematicæ meæ, quam *infiniteſimalem* appellare ſoleo, & quæ confeſſione intelligentium Carteſianam magis ſupergreditur, quàm illa vulgarem, elementa nuper edidit peculiari opere, in typographia Regia impreſſo, ubi honorificentiſſimè de me locutus, interpretem eſſe & commentatorem inventi mei agere profitetur. Sed alia agito ad profundiorem rerum notitiam multo adhuc magis valitura, ſi abſolvere fas ſit. Quotidiana verò pariter atque extraordinaria, quæ ex officio perſæpe imponuntur, magnis paſſibus progredi non ſinunt. Quòd ſi tibi exploratum eſſet, quàm multa mihi ſint agenda, tardè ſcribi minùs mirareris. Et quamvis nihil admodum urgeret, tua enim reddita non erat, cur dubitares; ſcripſiſſem tamen jam ante duos menſes & ampliùs, niſi te exſpectari didiciſſem, atque adeo judicarem domo abeſſe, ſed voluptate privatus ſum magnoque fructu, quòd nec te, nec primitias hiſtoriæ tuæ videre fas fuit. Cùm Lipſiam te ire ſignifices, has illuc deſtino. Doctiſſimi *Tenzelii* noſtri rebus egregiè me conſuluiſſe putabam & ex ipſius voto. Nam ſtationem Guelpherbyti tantùm non procuraveram honorificam pariter & fructuoſam ſatis in præſentiarum pro rerum habitu; ſed ille mutata ſententia mox id voluit agi, ut penſionem abſenti, & apud præſentes Dominos manſuro obtinerem: quod proponenti mihi Sereniſſimus Dux *Antonius Ulricus* reſpondit,

Digitized by Google

pondit, ſeſe allicere ſibi velle viros doctos, non aliis Principibus ſuſtentare. Multum obſtringes literas Germanicas, ſi Domino *Meiero* Theologo Bremenſi, vocabula provincialia ſuppeditabis: ſtrenuè pergit, & nuper apud nos fuit. Cum Domino *Erico* locutus ſum ipſe Venetiis. Vir eſt ingenii doctrinæque non expers, ſed fortaſſe pronior in hypotheſes, quas ſibi præmaturè formavit & Goropianis ſubinde cogitationibus indulgens. Non ideo minus tamen opus ejus edi velim nec dubito, multa fore quæ inde diſcamus. Præclaro *Papebrochio* ipſe ſcribam rectà, & gratias agam. Multum ego apparatum Collegio veſtro hiſtorico colligo & quædam ſubinde edam. Habebitur proximis nundinis volumen mediocre in quarta, quam vocant, forma, ſcriptorum hiſtoricorum ineditorum, quorum aliqui diu fuere deſiderati. Mox alii ſequentur. Et poſſem dare plura ac celebriora, ſi hic typographo diligentiore inſtructi eſſemus.

Intentior mihi nuper ex juſſu meditatio fuit, de religionis controverſiis, quod ego argumentum inde a prima juventute tractavi, ſi quis unquam: non tantùm legendo, ſed & conferendo cum celeberrimis adverſariorum, per litteras pariter & coram (*x*). Et de Reformatis quidem ſemper judicavi, vix digna lite eſſe quæ agitantur nedum ſciſſione; neque mentem ea de re meam unquam diſſimulavi. Nam quæ *Puſendorfius* vir doctus alioquin & acutus, in poſtremo opere contra abſolutum decretum paratragœdiatur, profecta ſunt ex rebus non ſatis profundè intellectis. De Pontificiis longè aliter ſentio arbitrorque non poſſe cum ipſis conveniri, niſi quædam ipſorum decreta mitigentur ſeponanturque in theoria, multique abuſus inoliti rejiciantur in praxi. Inveniet ibi quoque Collegium hiſtoriæ patriæ illuſtrandæ te principe deſtinatum, quibus aliquando utatur. Et miror profectò ceſſare viros illos doctos, qui nomina dedere, nec tecum communicare ſtudiorum apparatus. Nam fortaſſe ſæcula integra deſcribere promtè velle, nimium eſt. Colligi materiam & non pervulgata interim Miſcellaneorum titulo prodire ſatius foret donec integrum hiſtoriæ noſtræ corpus juſta cura matureſcat. Sed hæc tibi optimè explorata expenſaque magis excitandi quàm monendi animo ſcribo. Vale. *Die* 19. *Sept.* 1697.

(*x*) *Spectant ad hoc negotium irenicum, variæ* Leibnitii *literæ ad* Joannem Fabricium *theologum Helmſtadienſem datæ. Maximè autem huc facit celeberrimi Lipſienſium Profeſſoris* Jo. Erh. Kappii Sammlung einiger vertrauten Briefe, welche zwiſchen dem Freyherrn Gottfr. Wilh. von Leibnitz und dem Berliniſchen Hofprediger Dan. Ern. Jablonski auch andern Gelehrten, beſonders über Vereinigung der Lutheriſchen und Reformirten Religion &c. gewechſelt worden ſind, aus ihren Handſchriften mit einigen Anmerkungen aus Licht geſtellet, *Lipſ.* 1745. *in* 8*vo. Cæterum cùm tentamen hoc unionis eccleſiaſticæ, potiſſimum juſſu & auctoritate Divi* Friderici I. *Boruſſorum Regis a* Leibnitio *ſociiſque ſuſceptum ſit*, pleniorem ejus *notitiam dabunt ſcripta a* Cl. Ge. God. Küſtero *in* Bibliothec. hiſtor. Brandenburg. *p.* 249. *ſeqq. indicata.*

XXXIII.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Ad ſingula proximè antecedentis argumenta reſpondet, præſertim verò quid de Catholicorum miſſionibus & de religionis controverſiis componendis ſentiat, candidè aperit.

PErgrata mihi fuit epiſtola tua die 19. Septembris ſcripta; ſed longè gratior fuiſſet præſentia tua, ſi eâ me beare voluiſſes vel potuiſſes. Tunc ea omnia, propter quæ inter nos literarum commercium eſt, prolixius & jucundius tranſigere potuiſſemus. Ut de titulo ordiar, quem nuper tibi dedi, cùm Guelpherbyti agerem, pro ſtylo loci id feci, nunc in alio loco alium quoque titulum tibi tribuo. Sinica mea, quæ tecum communicavi, data occaſione, quæſo remitte; plura ſi placet communicabo, ſimulque ea, quæ de hac miſſione Roma accepi, narrabo, diverſa a vulgo traditis. Quod ad converſionem ethnicorum attinet, *miſſiones* Romanorum, quantum in me eſt omni ope conſilioque promovere ſoleo, neque invidiæ aut obtrectationi locum do, gnarus, evangelii prædicationem, a quocumque demum fiat, non ſine fructu aut efficacia manere. Primus ego auctor fui Patribus Societatis, cùm P. *Weitenfeld* cum ſocio Romam pergeret, ad electionem novi Generalis, ut vocant, ut per Moſcoviam iter tentarent, ſimulque rationem oſtendi quo pacto id commodiſſimè fieri poſſet. Sed neſcio cujus culpa vel imprudentia hoc inſigne negotium effectum ſortitum non eſt. Poterit autem in poſterum in effectum deduci, ſi Moſcovitæ cum Sinenſibus arctiorem contraxerint amicitiam. Quod noſtrates nihil tale moliantur, partim incuriæ, partim diſtractis in varia capita conſiliis tribuendum (*y*). Id enim contingere ſolet, ubi membra multa uno capite deſtituuntur; quod dolendum. De republica inter nos agere vanum & ſupervacuum puto: neque enim inter nos conveniet, de quo inter prudentiſſimos Principes non convenit. Et quod iſti illegitimum & illicitum cenſent, atque gravibus argumentis ex uſu & obſervatione ſuperiorum temporum demonſtrant, nos non dijudicabimus, multo minus deci-

(*y*) *Noſtris temporibus hæc ſervata fuiſſe videtur felicitas, ut purioris quoque doctrinæ præcones, ad curandam infidelium ſalutem, exteras nationes adeant: Britannis, Daniſque maximè tam laudabile conſilium, pro virili juvantibus. Plura daturus hac de re ſum, in ſingulari, quod meditor, opere hiſtorico* de Miſſionibus Evangelicorum. *Humaniſſimè itaque eos, qui ad argumentum hoc ſpectantia poſſident monumenta, rariora & inedita, rogatos volo, ut mecum iſta communicent. Nec ingratum me habebunt, nec ingratos, quibus vel gloria numinis, vel proferendi ſcientiæ hiſtoricæ fines, curæ cordique ſunt.*

decidemus. Proinde facilè tibi credo, tibi mea non omnia poſſe probari, ſicuti nec omnia tua mihi. Metus quoſdam vocas tenuiſſimos, quos alii graviſſimos. Sed non tantùm de futuris, verùm de præteritis maxima quæſtio eſt, quid olim & Imperator & Ordines Imperii omnes de nota controverſia ſenſerint.

Sed ad rem literariam tranſeamus. Quod ſententiam meam de origine fontium ex pluviis probes, ac ipſe eam teneas, placet. Probabis ſine dubio dictum *Eccleſiaſtæ Cap.* I. 7. a tot claris viris malè intellectum, a me verò rectiùs expoſitum, ne putemus aquam in ſua ſubſtantia è mari per meatus ſubterraneos in altiſſimos montes aſcendere. *Comment. ad Hiſt. Æthiop. lib. I. cap.* 8. *pag.* 111. Num quid monendum habeas, in mea diſſertatione, ſcire pervelim. De religionis controverſiis componendis & ego multum laboravi; ſed ſtatim cognovi de conciliandis doctrinis operam omnem vanam atque fruſtraneam eſſe; nec alterutram partem ſuam ſententiam unquam mutaturam, ideoque eos, qui verba tantùm utrique parti grata invenire ſatagunt, plane in caſſum laborare ſeque utrique parti ludibrio exponere. Eam ob cauſſam inducias tantùm ſacras excogitare volui, *tolerantiam* alii vocant, quas pace Weſtphalica cœptas, ulteriùs extendere & proſequi ſtudui, ut ſepoſitis injuriis & violentis remediis tranquillè invicem ageremus & viveremus, idque utrique parti proficuum atque utile futurum eſſet. Cùm nuper Gotham tranſirem *Bartholomæum Meierum* bibliothecarium Gothanum, *Meiero* Bremenſi conciliavi, illique perſuaſi, ut vocabula obſoleta atque ignota colligeret, atque cum illo communicaret. Multa de hac materia mecum verſo, quæ proferre poſſem, ſi vacaret. Pauca quædam raptim in adjectam ſchedam conjeci, quæ num pro palatu ejus futura ſint, neſcio. Eum, quæſo, a me ſaluta.

Erici Germani Iſenacenſis liber nunc prodiit Venetiis apud ipſum auctorem. Ανθρωπογλωττολογία ſive *humanæ vitæ geneſis* vocatur. Eam a vocalibus cœpiſſe ait, ac deinde voces formatas & multa alia παραδόξως tradit. Dum jam ad finem propero, affertur mihi Lipſia faſciculus, quatuor exemplaria auctorum nondum antehac editorum continens, cum epiſtola tua die 29. Septembris data, cui ob feſtinationem tabellarii nunc reſpondere non licet. Interim gratias maximas pro exemplari mihi deſtinato ago, atque te ſic valere jubeo. *Francofurti die* 6. *Nov.* 1697.]

XXXIV.

LUDOLFUS AD LEIBNITIUM.

Varia literaria exponit.

TE literas meas die 6. hujus menſis datas accepiſſe non dubito. Eas jam jam obſignaturo redduntur aliæ a te die 29. Septembris exaratæ, una cum quatuor exemplis *Acceſſionum hiſtoricarum*, quorum duo jam bene curavi; id quod P. *Papebrochio* deſtinaſti; bibliopolæ illius amico Coloniam miſſurus ſum. Pro meo gratias repeto maximas. Dominus *Eyben* (z) titulo Baronis non utitur: neque eum pati poteſt: optimè enim ſcit, quid Latinis id vocabulum ſignificet, (aa) & ego, ſi quis mihi gratis conferre vellet, omni opera deprecarer. Solet autem a nonnullis *Edler Herr* inſcribi. Catechiſmum Sueco-Americanum ipſe poſſideo, & ubi titulus fert, lingua Americo-Virginiana dicitur; ſed differt a lingua Novæ Angliæ, cujus oratio dominica habetur pag. 130, ut & a lingua Caraibica. Si plures tales haberemus, facilè ſuppleremus centenarium orationis dominicæ, quem nobis *Andreas Mullerus*, Greiffenhagius minimè plenum propoſuit. Vocabula iſtarum linguarum prorſus differunt a dialectis veteris mundi, ut dubitare poſſis, ex qua illius parte populi iſti prodierint. *Acoluthum* (bb) obiiſſe certò ſcire velim; eſt enim ex amicis meis. De *Heilingio* Lubecenſi, præter ea, quæ in hiſtoria mea, & commentario illius habeo, nihil ampliùs proferre poſſum (cc). Tantum malè me habet, quod de obitu ejus nihil certi pronuntiare poſſim. *Sikium*, cujus quidem *Evangelium infantiæ Jeſu apocryphum* non vidi, propter ingenium, quod laudas, admiror. Si verſionem Alcorani, utique difficillimam, in animo habet, vellem conſilio meo uteretur. P. *Bonjour* magnus nobis foret *Apollo*, ſi promiſſa præſtaret: nam corruptionem & corruptorem verſionis LXX. interpretum nobis oſtendere velle, magnæ profectò temeritatis videtur. Nam

(z) *De* Ulrico *ab* Eyben *loquitur: cujus vitam, ejus* ſcriptis de jure civili, privato, publico & feudali, *junctim* Argentorati 1708. f. *editis, præmiſit* Jo. Nic. Hertius.

(aa) *Quis vero unquam etymologiam antiquiſſimorum vocabulorum ſeptentrionalium a Romanis derivabit? Saniora nos de origine hujus tituli docet Vir Illuſtris*, Chriſtian. Lud. Scheidt, *in egregio opere, quod inſcripſit*: Hiſtoriſche und diplomatiſche Nachrichten, von dem hohen und niedern Adel in Teutſchland, (*Hannov.* 1754. 4to.) *pag.* 191. *ſeqq.*

(bb) Andream Acoluthum *intelligit, qui anno demum* 1704. *vivere deſiit. Cf.* Pipping. Memor. theologor.

(cc) *Quibus addi meretur* B. Joannis Henrici Michaelis ſonderbahrer Lebenslauf Herrn *Peter Heylings*, und deſſen Reiſe nach Ethiopien, Hal. 1724. 8vo.

Digitized by Google

Nam ut viri doctiſſimi clarè nos docent, computatio illa jam a primis eccleſiæ Græcæ incunabulis obtinuit: nuſpiam ulla datur varia lectio: nemo Patrum de ea quidquam habet; unde probabiliter cenſent *Waltonus* cum ſociis, corruptionem & diverſitatem a textu Hebraico ſtatim a temerario aliquo, poſt πρωτόγραφον τῶν O, commiſſum. Quomodo verò ille hoc indagabit? Nam ſi tantùm in uno vel altero ἀπογράφῳ contigiſſet, remanſiſſet utique vera lectio in uno vel altero exemplari. Æthiopes, qui τοὺς O, κατὰ πόδα ſequuntur, aliam ſupputationem habent; Deus noverit, unde deſumtam. Eam communicare poſſum, ſi P. *Bonjour* deſideret. Hiſce vale, meque amare perge. *Francofurti d.* 13. *Nov.* 1697.

P. S. Quæ de republica, privatim Polonica diſſeris, ea veriſſima ſunt. Noveris procul dubio, Electorem Moguntinum, Sereniſſimum Hanoveranum pro Electore, extracollegialiter agnoſcere velle, qui verus eſt modus atque remedium componendæ hujus controverſiæ. Iterum vale.

XXXV.

LEIBNITIUS AD LUDOLFUM,

ex reſponſione.

Nova literaria & ad rempublicam ſpectantia tradit.

CHriſtianus *Menzelius* Archiater Electoralis Brandenburgicus ſenior, poſt *Andream Mullerum* magno ſtudio in Sinenſi literatura verſatus, Chronologiæ ſuæ mihi nuper exemplum miſit, deſideratque aliud ornatius a P. *Boveto* ad Sinas deferri ipſi monarchæ, cui dedicatum opus eſt. Neſcio, an mos dedicandi libros apud Sinenſes. De *Acoluthi* morte rumor falſus. *Adel Meiero* & aliis ab *od*, poſſeſſio, quaſi nobiles iiſdem, qui poſſeſſionati. Et tua, & *Meieri* opinio plauſibilis. Itaque ἐπέχω. Sanè *Atta* populis Scythicis, uti *Abba* Hebræis: unde gentes diſtinguas *Attaciſmo* & *Abbaciſmo*, id eſt, Hebraiſmo, vel ſi mavis Arabiſmo & Scythiciſmo. Gloſſarium univerſale P. *Thomaſini* ex Gallia accepi. Multa ibi eruditio. Omnes ille linguas derivat ex Hebræa: an rectè, non ſatis dixerim. Videntur enim Hebræa, quæ nobis nota ſunt, tantùm velut rudera quædam eſſe, linguæ antiquioris & plenioris. In lingua originaria meo judicio radices cognatarum cognatæ eſſe debent, cui nihil ſimile apparet in Hebræa. Curabo ut monita tua obveniant ad P. *Bonjour*. Cùm enim induſtria & ingenio non careat, videtur tamen indulgere ſibi liberalius, & monitore egere viro gravi. Res in Polonia compoſtas gaudemus omnes: utinam idem de Germania dici poſſit! Ego verò, quoties video, quo calore, &, ut ſic dicam, æſtu armorum Romana pars rem ſuam agat,

agat, quantum contra frigus, & pene dixerim torpor occuparit Proteſtantes, non poſſum non eccleſiæ malè ominari. Illa quidem Deo curæ erit; ſed credibile tamen, luci præſenti ſucceſſuram aliquam ecclipſin, neſcio quam diuturnam, recuperante vires regno tenebrarum, diviſo genere humano inter ſuperſtitionem & atheiſmum. Nulla unquam pax facta indignior Germania, periculoſior Proteſtantium parti; evulgato arcano, quoties cum Gallia conſpirant adverſarii, quidvis extorqueri Proteſtantibus poſſe. Invalido Angliæ, Batavorum, totiuſque adeo Septentrionis præſidio, quorum Miniſtri vix mutire auſi, ad quarti articuli Riſwicenſis odioſum ſchiſma. Sed hæc deplorare facilius, quàm emendare. Extracollegialiter novum Electorem agnoſcimus omnes, qui ab ejus parte, cùm nondum introductum Collegio fatemur; ſed judicamus tamen introducendum. Idem puto Proteſtantes omnes aut ſentire, aut ſentire debere. Interim extracollegialis agnitio velut gradus quidam eſt, ad pleni juris fruitionem.

XXXVI.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Epiſtolam ad te ſcriptam cùm obſignare vellem, librarius meus, neſcio quo, repoſuit. Feſtinans tabellarius non permittit eam diutius quærere. Interim jam jam obſignaturo mihi redditur tua cariſſima, cum Sinicis meis, die 23. Decembris ſcripta, cui proximè reſpondebo. Poſt lectionem obſigna, quæſo, & mitte annexas *Meiero*, mihi verò judicium tuum expone. Vale. Raptiſſimè, *Francofurti die* 28. *Dec. A.* 1697.

XXXVII.

EJUSDEM AD EUNDEM.

Literaria quædam, Sinica præſertim tradit, additis, quæ ad etymologiam vocabulorum Germanicorum ſpectant, nonnullis.

Tertia hæc eſt epiſtola, ad quam reſponſionem mihi debebis. Præcedentes duæ, d. VI. & XIII. Novembris ſcriptæ, materiæ ſatis continebant, quæ reſponſum quoddam mereri videbantur. Id nunc brevi præſtolabor cum judicio tuo, de epiſtola mea ad *Meierum* Bremenſem. Etenim monita tua ſemper magni facio & obſervo. Quapropter reſponſum tuum ad antecedentes meas epiſtolas tam anxiè exſpecto. Quod *acceſſiones* tuas ad *Schilterum* rectè curaverim, ex verbis ejus cognoſces, dum ſic

Digitized by Google

ſic ad me ſcribit: » *Acceſſiones Leibnizii* rectè accepi, valde gratas ob » chronicon maximè Saxonicum, quod idem eſſe cenſeo, quod Pariſiis » exſtat in MS. cujus copiam a *Mabillonio* deſideravi. Sed bonum factum! » eoque plures gratias & auctori illuſtri, & tibi debeo, cui ipſe reſpon- » debo proximè.« Porrò ſcribit: » Magnum decus noſtræ academiæ, *Kub- » nium*, cras terræ mandabimus. Similem doctorem rerum Græcanicarum » vix recipiemus, cui, ſi vixiſſet, Rex noſter penſionem aſſignaſſet, nec » metus ullus de religione. Intendit enim academiam adaugere viris eru- » ditis & civitatem commerciis.« Hæc ille.

Cum hæc in anteceſſum ſcripſiſſem, epiſtola tua, menſe Decembri ſcripta, cum Sinenſibus epiſtolis mihi redditur; ex qua intellexi P. *Bouvetum* in Sinas reverſurum. Cui quidem multa committere poſſem, niſi crederem illum jam profectum eſſe. Si verò adhuc adſit, hortare illum, quæſo, ut, niſi jam in Europam ſecum attulerit librum, pro literatura Sinica neceſſarium, *Hay-pien* dictum, ut ſumma cura illum mittere ſtudeat. Eſt autem inſtar lexici cujuſdam, quod expoſitionem omnium illarum mirabilium figurarum in ſe continet. Vocabulum ipſum ſignificat *Oceanum figurarum*. Nam ſicuti apud nos quælibet doctrina vel ars ſua peculiaria habet vocabula, quæ imperitus illius doctrinæ vel artis non intelligit; ita & hic doctor vel opifex alicujus artis alterius figuras non intelligit, ut qui velit in omni ſcibili figurarum peritus fieri, triginta vel quadraginta annos impendere neceſſe habeat, atque tunc pro Generaliſſimo in eruditione, ſicut apud nos in bello, habetur. Deinde operæ pretium foret, ſcire, quis jam apud Tartaros Orientales in *Niuche* imperio potiatur. Num jam cum Sinenſibus planè concordes ſint? qua lingua utantur? Obſervavi enim ante occupationem Sinarum Sinica cognomina illis indita fuiſſe a *Tien*, *cælum*, plerumque compoſita. Et, ſi fieri poſſet, orationem dominicam illorum lingua expeterem. Porrò an non Tartaris illis ſeptentrionalia loca probè cognita ſint? nam revera fretum detur ab hyperboreis regionibus, (quod enim vulgo *fretum Davis* ibi ponitur, ſine ulla auctoritate alicujus fidi auctoris factum puto) an non Americæ cohæreant? Hinc enim quæſtio vexatiſſima de migratione gentium in Americam decidi poſſet. Deinde velim ſcire, an verum ſit, Moſcos de finibus regundis diſceptationem cum Sinenſibus habuiſſe, atque in ea PP. Societatis arbitros fuiſſe. In noviſſimis literis meis de *Sikio* quædam ſciſcitatus ſum, ad quæ nondum reſpondiſti. Clariſſimo *Meiero* Bremenſi ſalutem a me nuntiabis plurimam, addito: me epiſtolam ejus, *Meiero* cognomini, bibliothecario Gothano miſiſſe. Ille a negotiis vacuus, deſideriis ejus reſpondere poterit. Multa mihi ſuccurrunt in etymologicis notanda, quæ ipſum obſervare oporteret, nimirum: omne vocabulum ita exprimendum eſſe, ut exemplum & differentiam ſpecificam habeat, quam non invenio in derivatione vocis *Adel* a monoſyllabo *öd*. Detur ſimile aliud? Et poſſeſſionati non ſunt nobiles tantùm, ſed & cives & mercatores in urbibus.

Adel autem venit ab *adelich*, patri ſimilis, per apocopen ſyllabæ *lich* vel *lyk*, non inuſitatam. Ab Hebræo אב *Ab* vel *Av* venit per paragogen terminationis Latinæ, *Avus*. Significationes autem multum variant: ſufficit ſi affines ſint, ut *Aper*, *ein Eber*, אלופ Bos, *ein Elephant*. Sus apud Hebræos eſt equus. *Ein Igel* אגל apud Hebræos eſt vitulus, & ſic infinita alia. Gloſſarium P. *Thomaſſini* nondum vidi. Num P. *Bonjour* ad monita mea nihil reſponderit, ſcire aveo. De induciis meis ſacris multa dicere & temporis & chartæ anguſtia prohibet. Ceſſationem a perſecutionibus, contumeliis, inſidiis, violatione pactorum, utrimque ſpecto. Non ceſſationem, ſed moderationem diſputationum, minimè verò ſyncretiſmum, aut conciliationem opinionum planè deſperatam. Plura alias. Nunc vale diu & feliciter. *Francofurti die XII. Martii anno ſ.* 1698.

P. S. Neſcio an non *Meiero* etiam ſuadendum ſit, ut etymologiam multorum vocabulorum huc uſque ignotam nobis proponeret, exempli gratia: *Nähmlich* derivatur a *Nahme*, quaſi diceres *nominetenus*. *Bäſſer* comparativus ab obſoleto *Baſs*, *Bonus*. Rectè ſe habent: *je länger*, *je baſs*, & in Bibliis *baſs* aliquoties reperitur. *Adelich*, rectiùs *Attelich*, *Patrius*: eſt enim ab Atta vel *ätte*, *Pater*, quæ vox adhuc in Suevia & Helvetia obtinet. Cujus generis multo plura dantur in lingua noſtra, huc uſque non intellecta.

XXXVIII.

LUDOLFUS AD LEIBNITIUM.

De induciis ſacris. Literaria quædam.

Tandem otii parum nactus, reſpondere *Meiero*, teque rogare volui, ut literas lectas ad illum mittere velis. Si quid habeas, quod moneas, id pergratum mihi erit. De induciis meis ſacris, in præcedentibus meis, die XII. Martii ad te datis pauca retuli. Non tam tolerantiam eccleſiaſticam, quàm civilem ſpectavi. Id enim nunquam impetrari poterit, ut mutua condemnatio abſit. Si enim doctoribus eccleſiaſticis iſtam interdicere velis, clamabunt omnes, id nihil eſſe aliud, quàm adverſam doctrinam probare. Condemnent, quantum velint; ſed probroſis vocabulis, contumeliis, injuriis, iniquis imputationibus abſtineant. Tales inducias ſi Angli amplectantur, non quotannis cremabunt Pontificis imaginem, quod magnis ſumtibus & ceremoniis facere ſolent. Perſecutiones, inquiſitiones, plagas atque pœnas omittant, privatum exercitium concedant, vagam ſcribendi libidinem coërceant, & ſimilia &c. Doctrinas nullatenus attingo; neque etiam controverſias. Quapropter ſemper judicavi, negotium hoc, inducias

cias inter diverſorum cultores ſacrorum conficiendi, non eſſe Theologorum, ſed Politicorum. Iis enim ſui mores eſſent relinquendi. Quo vero pacto civiliter & æquali jure, ſine ſuſpicionibus malis cum adverſariis vivere, & acerbitatibus atque obtrectationibus obviam ire poſſimus, Principum ſæcularium judicio atque arbitrio relinquendum. O ſi per *Bouvetum* vel alium quendam amicum e Sinis impetrare poſſes illorum Dictionarium ſeu Lexicon magnum, *Hay-pien* vocant, id eſt, *Oceanum figurarum*, viginti vel triginta parvis voluminibus conſtans, quorum unum poſſedi, & quamvis linguæ rudis, ex diſpoſitione libri didacticum eſſe cognovi; partem XVI. *τῦ Hay-pien* eſſe *Müllerus Greiffenhagius* me docuit. Illius ſuaſu Bibliothecæ Brandenburgicæ largitus ſum. Porrò operæ pretium foret habere P. *Intorcetæ* opus, Goæ impreſſum, ubi characteris Sinici figura, lectio & expoſitio tradita fuit. Hunc librum, ut poſtea cognovi, caſu deprehendit *Andreas Müllerus*, atque ex eo ſcientiam ſuam Sinicam hauſit; verum, ut erat caput planè heteroclitum, illud diſſimulavit, nec mihi, utut amico familiari, ſignificare voluit, unde cognitionem illam hauſiſſet. Num *Chriſtianus Menzelius* adhuc in vivis ſit, huc uſque non cognoſcere potui. *Maraccii* opus in Alcoranum abſolutum eſſe, ex literis *Magliabechii* procul dubio intellexiſti. De *Sikio*, quis ſit, quidve agat, vel egerit, plura ſcire volui, quæ mihi nondum nuntiaſti. Gloſſarium P. *Thomaſſini* nondum vidi. Omnes autem linguas ex Hebræa derivare, irritum ſanè erit ſtudium. Aliquas autem voces ab Hebraicis derivari poſſe, iſtud eſt, cui non repugno. Quid P. *Bonjour* Auguſtinianus, ad monita mea reſponderit, valde ſcire deſidero. Jam ut plenè tibi ſatisfaciam, noviſſimam epiſtolam tuam, die 28. Februarii datam excutere paro. Quod *Bernhüder* ſit *porcorum cuſtos*, tibi non videtur carere probabilitate; mihi ſecus. *Meierus* non dicit porcorum, *Schweinshüter*, ſed verrium, *Bärnhuter*, cuſtos. Ubi quæſo datur grex verrium? In qua regione, & cur marium, hoc eſt, hircorum, arietum, verrium, grex cogitur, ut illi cuſtos præficiatur? neque enim nos dicimus *Schaf-Ziegen-Schweinshüter*, ſed *Hirte*. Plura dixi nuper, & nunc plura ad *Meierum*. *Ond*, ais, etiam Germanis *malum*. Quæſo qua dialecto? Proximè locum ex Chronico *Herzogs* mittam, ex quo clarè conſtabit, *Glenen* eſſe lancearios, & *Glen* lanceam, per metonymiam ſigni pro ſignato. Sicuti *Thegan* in Otfrido pro milite, vel equite, a *Tegen*, gladius. Hiſce vale. *Dabam Francofurti die 9. Aprilis 1698.*

XXXIX.

LUDOLFUS AD LEIBNITIUM.

De Adami Bohorizh *literatura Latino-Carniolana*, *ſignificatu vocabulorum* Glenen *&* Tegen, *Oratione dominica peregrinis expreſſa characteribus & de derivatione vocum regulis juſtis definienda.*

CUm ante octiduum, die videlicet 9. hujus menſis, literas ad te dediſſem, duo adhuc ſcribenda ſupererant, videlicet: *Adami Bohorizh* librum *de Latino-Carniolana literatura ad Latinæ linguæ analogiam accommodata, unde Moſcoviticæ, Ruthenicæ, Polonicæ, Bohemicæ & Luſaticæ linguæ cum Dalmatica & Croatica cognatio facilè deprehenditur. Witteberga* 1584. *in* 8. (hic eſt libri titulus,) reperi hic in bibliotheca publica. Reperi jam veram ſignificationem vocis *Glenen*, a te deſideratam. *Lanceam* ſignificat, & per metonymiam ſigni pro ſignato, *lancearium* quoque *ein Speerreuter.* Nam *Lanze* peregrinum eſt. Idque clarè patet, in Chronico Alſatico, *Bernhardi Hertzogs*; ibi (*libro IV.*) p. 87. *der ritte zu erſten mit einem* GLENEN, & mox: *daſs die beyden Glenen zerbrochen &c.* (*dd*) quo nihil clarius dici poteſt; & mox de haſtatis quoque intelligi: p. 102. ſequitur: *auch viel andere Herren auf* 2000. *Glenen*, bis mille haſtati numero &c.

Eadem ferè ratio & figura eſt vocabuli *Tegen*, gladius, hinc *Tegan*, gladio accinctus, armatus; miles vel eques, ut hodie accipitur: Apud *Otfridum* ante 800. annos legitur:

Tegan ſin in waru, & paulo poſt
In manigern Zalu,
So Gotes tegane gezam.

Wie es Gottes Ritter oder Helden geziemete.

Scripſit mihi fratris filius, *Henricus Wilhelmus Ludolfus*, ſe hortatu tuo voluiſſe conſcribere orationem Dominicam, lingua Mugalica & Tangutica, ex ore famulorum Mugalicorum & Tanguticorum, qui populi ſunt inter Chinam & Siberiam colentes, quos ſecundus Legatus Ruſſicus ſecum habuerat; verùm illos in prima ſtatim petitione hæſiſſe, neque verbum *ſanctificetur* exprimere potuiſſe, atque ſic irritum ejus fuiſſe laborem. Idem contigit eccleſiæ miniſtro in promontorio *Bonæ ſpei*, qui Hotentotica lingua orationem Dominicam ad me miſit, qui pro *ſanctificetur*, *beatus*, vel *felix ſit*, ponere coactus fuit; cætera tamen miſit, quod & fratris mei filium facere decebat. Interrogaviſti me nuper, quid fortè a *Bouveto* vel alio *miſ-ſionario*

(*dd*) *Et ibidem lib. II. p.* 87. da rannten alle mit ſcharpfen Glenen.

ſionario Sinenſi peti poſſit? Ego optarem Orationem Dominicam, omnium magni hujus Imperii linguarum videre. In lingua Mandarinica quidem exſtat, aſt cùm tot aliæ ibi dentur linguæ, velim earum ſpecimen videre. Miſi nuper epiſtolam ad *Meierum* Bremenſem, apertam, rogans, ut lectam, & obſignatam mittere velles, quod nunc factum puto. Id tantùm illum hortari volui, ut vellet aliquas formare regulas, in notatione & derivatione vocum variarum linguarum obſervandas, quas pluribus exemplis inter ſe ſimilibus ſtatuminet. Nam pro lubitu fingere & excogitare derivationes ſine exemplis, irritum profecto & vanum foret; ſicut ille, qui *Herus* a κύριος derivabat, mutata *K* in *H*, *y* in *e*, terminatione Græca ος in Latinam verſa: neque alia exempla talis mutationis dare poterat. Hiſce finio, teque diu quàm optimè valere jubeo. *Francofurti die* 16. *Apr.* 1698.

XL.

LUDOLFUS AD LEIBNITIUM.

Nova literaria.

POſt meas die 9. & 16. Aprilis ad tè datas literas accepi incluſas a P. *Papebrochio* cum elucidatione hiſtorica Actorum, quam hic tibi mittere volui. Accepi nuper Lutetia Pariſiorum *Portrait Hiſtorique de l'Empereur de la Chine, préſenté au Roi par le P. J. Bouvet, Miſſionaire de la Chine.* (*ee*) Exſpecto reſponſiones & judicium tuum ad binas meas literas, quibus alias Bremam ad *Meierum* incluſeram. *Tenzelius* nunc meo hoſpitio hiſce nundinis fruitur, ſeque tibi officiosè commendat. Vale. *Francofurti die* 28. *April.* 1698.

XLI.

EJUSDEM AD EUNDEM.

Similis argumenti cum proximè præcedentibus.

LIteras meas perbreves cum elucidatione hiſtorica *Actorum Papebrochii*, cum nupero tabellario procul dubio accepiſti. Nunc, quia alias de P. *Bonjour* mihi miſiſti, teque meas reſponſiones ad illum curaturum obtuliſti,

T 3

(*ee*) *Prodiit Hagæ Comitum* 1699. 12mo.

tuliſti, rogo, ut earum ſedulam curam geras; quam ob cauſſam tibi illas mittere volui ſub ſigillo volante, ut meam exinde perſpicere poſſis mentem. De voce *Glenen* quod mecum conſentias, gratum eſt. Agnatus meus *Henr. Wilhelm. Ludolfus* non amplius Halæ Saxonum agit, ſed Venetias profectus eſt. Negotium autem & ſtudium ſuum mihi nondum indicavit. Vale. *Francofurti die* $\frac{1}{11}$ *Maii* 1698.

XLII.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

De ſucceſſione Hiſpanica, & Legato Regis Poloniæ in Galliam.
Ex reſponſione.

NUllum nunc majus negotium habet orbis Chriſtianus, quàm ſucceſſionis Hiſpanicæ. De qua utinam Rege adhuc vivo aliquid certi conſtituatur, omnibus Principibus Chriſtianis id communi ſenſu connitentibus: ſed fatale nobis eſt, quod alio ſenſu juſſit Chriſtus, craſtinum non curare. Heri diſceſſit hinc Legatus *Auguſti* Poloniarum Regis, qui defunctus hic ſolemnibus, in Galliam pergit, ut quicquid ſupereſt ſribuſculorum tollat. Eſt Dominus *de Jordan*, præfectus vigiliarum generalis, qui olim in noſtra militia egit, poſtea Suecis operam dedit. Eſt enim, ſi bene memini, nobilis Polonus, (*ff*) ſed cum in Polonia ſint ejuſdem nominis eorundemque inſignium viri ordinis equeſtris, pro Polono jure meritoque habetur, ut ipſe mihi confirmavit. Cùm verò, quantum ſcio, religioni Proteſtantium ſit addictus, vereor, ne malevolis, præſertim in Polonia & Gallia, occaſionem ea res præbeat, Regem traducendi. Certè cum nuntiorum Pontificiorum auxilio Rex non in Gallia minùs, quàm in Polonia indigeat, vereor, ut eum qui in aula Gallica agit, habeat legatus facilem ſatis & obſequentem. Gaudeo interim Regem non uſque adeo zelo inconſulto pontificiorum indulgere, ut homines probos, fidos, diverſæ religionis, a negotiis removeat.

(*ff*) *Ita apographum, ex quo hæc deſcribo, habet. Sed legendum potiùs:* Holſatus. *Ex Holſatia enim* Carolum Guſtavum Jordanum, *de quo hic ſermo eſt, oriundum fuiſſe teſtatus* Gauhe im Adels Lexico *T. I. p.* 942.

XLIII.

Digitized by Google

XLIII.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

De Bohoritii *literatura Latino - Carniolana, etymologia vocis* Tzar, *& variis negotiis publicis.*

IMpetravi tandem *Adami Bohoritii* librum; ſed titulo ſuo parum reſpondentem: nihil aliud enim eſt, quàm mera grammatica Latino-Carniolana, cum longa præfatione, quam legere non vacat. Mittam tamen Lipſiam ad *Frider. Bened. Cupzovium*, amicum meum, a quo petere illum poteris; niſi ſecus ſcribas, vel aliam viam indices. Cauſſam tuam ſimul agere me oportuit. Erat enim, qui te incuſabat, quod libros non tempeſtivè remitteres. Cùm caſum dare non potuerit, obtrectationem vocavi, teque promiſſurum reſtitutionem, in nundinis proximis autumnalibus. Igitur chirographum in hunc ſenſum peto ſtatim ac acceperis. De lanceis & gladiis nos convenire placet, nec minùs jucundum lectu fuit, quod de mille equis, e quorum numero Gallus quidam fuit, narraſti. *Meierus* nihil reſpondet, nec tu judicium ullum profers de meis circa etymologiam & harmoniam quarundam vocum cogitatis; cùm tamen judicium tuum ſemper maximi faciam.

Si propterea adverſarii odio plus quàm Vatiniano perſequendi ſint, quod ſententias nonnullas, ſaluti animarum pernicioſas foveant, pacem neque eccleſiaſticam neque politicam unquam habebimus. Sed an Chriſtianos deceat, diſſentientes in religione odiſſe, pronuncient illi, qui charitatem proximi tam impenſe commendant. Ego putaverim, & charitatem Chriſtianam & ſolidam refutationem falſæ & periculoſæ doctrinæ, una conſiſtere poſſe. Hiſce ſcriptis, pervenit ad me ultima tua, die 26. Maii data. Epigramma ſimul tranſmiſſum placet. Pro novis, quæ retuliſti, gratias ago.

Tzar (id eſt veteri lingua Slavonica, Rex, exempli gratia, *Tzar David*, *Tzar Salomon*, *Tzar Herodes*, ut infrunitum planè ſit commentum, *Cæſarem* inde exſculpere. *C*, dum ſcribitur *Czar*, a Polonis fuit additum, ne dicerent *zar*, more Gallorum; illis vero *ca*, *ce*, *ci*, *co*, *cu*, ſonat nobis *za*, *ze*, *zi*, *zo*, *zu*, & Polonus rectè legeret & pronunciaret *Câr*, *Zaar*. Si verò ſic ſcripſiſſent, omnes reliquæ nationes legiſſent *Kâr*. Hæc cauſſa pravæ ſcripturæ in parentheſi dicta eſto.) nunc Amſtelodamum abiit, & jam Neomagum venit. Propiora nova de illo procul dubio e vicinia habetis. Dreſdæ illum exſpectant, regio cultu illum excepturi. Cæſarem tractatus pacis cum Turca exorſurum ægrè fert. Scribunt, miſſum eſſe aliquem, qui cum ipſo ſermones ſociaret, atque cauſſas talis pacificationis redde-

redderet. Quid futurum ſit, cùm Viennam venerit, in tempore comperiemus. Ex Sinarum regno, modo illa obtineamus quæ nuper petii, ſatis habebimus. *Nouveaux mémoires ſur l'Etat préſent de la Chine*, (*gg*) *Tomis II*, procul dubio vidiſti. En epiſtolam Domini *Barbeſieux* impreſſam, quæ num ſatisfactura ſit Argentoratenſibus, neſcio. Vale. *Francofurti d.* 24. *Maii* 1698.

Copie de la Lettre de Monſeigneur le Marquis de *Barbeſieux*, Miniſtre d'Etat, écrite à Monſieur le Marquis d'*Huxelles*, Chevalier des Ordres du Roi, Lieutenant General de ſes Armées & Commandant en Chef pour Sa Majeſté en Alſace En date de Marly du 25me Avril 1698. Imprimée à Strasbourg chez *Adolf Gieſſe in* 4*t*. (*hh*).

Le Roi a vû par la Lettre que Vous m'avez fait l'honneur de m'écrire le 14*me de ce mois, & l'état qui y étoit joint des Familles que l'on prétend qui doivent ſortir de Strasbourg, allarmées des mauvais diſcours qu'on leur a tenus, que la plupart des habitans de cette Ville croyent, que Sa Majeſté n'eſt pas dans l'intention d'obſerver exactement à leur égard, ce qu'Elle a bien voulu leur accorder par leur Capitulation, & que vous croyez que pour détruire les préventions qu'on leur a pû donner ſur cela, il ſeroit à propos, que le Roi leur accordât un renouvellement de la dite Capitulation. Sa Majeſté a paru ſurpriſe, que des gens, que Vous même citez comme ayant de l'eſprit, puiſſent s'allarmer de pareils diſcours: s'il y avoit des exemples de renouveller une Capitulation accordée depuis long-temps, je ſuis perſuadé qu'Elle l'auroit fait avec plaiſir: Cependant, comme cela ne s'eſt jamais pratiqué, Elle m'a ordonné de vous écrire, que ſon intention eſt, que vous les aſſuriez de ſa part, qu'Elle ne veut point les troubler en rien de ce qui eſt porté par la dite Capitulation, & que, pourvu qu'ils continuent à vivre comme de fidelles ſujets doivent faire, Elle leur donnera dans les occaſions qui ſe préſenteront, des marques de ſa bonté. Si vous croyez que la copie de cette Lettre, que je vous écris, ou l'original leur faſſe plaiſir à garder, le Roi trouve bon que vous la remettiez à Meſſieurs du Magiſtrat, & je ne doute point, après ce que je vous mande par ordre de Sa Majeſté, qu'ils ne ferment les oreilles aux mauvais diſcours qu'on leur tiendra. Je ſuis &c. Signé* DE BARBESIEUX.

(*gg*) *Auctore* Ludovico le Comte *S. J. Pariſiis* 1696. 12. & *Amſtel.* 1698. 12*mo editæ.*

(*hh*) *Addita erat verſio Germanica, quam hic repetere, ſuperfluum foret.*

XLIV.

XLIV.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

De etymologiis vocum quarundam Germanicarum & Ruſſicæ Tzar, *de* Barbeſielli *epiſtola, aliiſque negotiis publicis judicium.*

GRatias ago, quod *Adami Bohoritii* librum impetrare mihi voluiſti. Qualiſcunque eſt, videre eum non ingratum erit. Lipſiam ſi mittas, rem gratam facies, ut ibi ſcilicet tradatur Domino Licentiato *Menckenio*, cui non deerunt ad me mittendi occaſiones. Reſtitutionem in nundinas proximas veſtras, & promittam & præſtabo.

Putabam me tibi ſententiam meam perſcripſiſſe ad etymologias nonnullas tuas, quibus pleriſque aſſentior, & ſubinde aliqua aſpergo. Neſcio an dixerim, *Hübſch* mihi etiam videri *hübiſch*: ſic enim in veteribus libris ſcribitur, & eſt *höfiſch*, *aulicum*, ut *corteſe* ab aula *corte*. Sane *Hubam* idem eſſe quod *Hof*, licet ibi *Hof* ſignificet *curtem*, ex veteribus chartis conſtat. Redit etiam in mentem, quæſiſſe te, qua Germaniæ dialecto velim *ond* ſignificare *malum*, ut Septentrionalibus. Ego verò ita in communi reperio. Nam dicimus ANDT, *es thut mir andt*, id eſt, *etwas ungelegen*, *ungewohnt*. Sic & *ahnden*, *ominari*; nempe omnia inſolita in omen accipimus. Solent autem inſolita etiam incommoda eſſe. Addo, *Bidermann* mihi videri eſſe idem, quod *biderwemann*. Eſt autem *biderwe* vel *bederwe* in veteribus libris & chartis, idem quod aptus, utilis, probus, *tüchtig*; *deſſen man bedarff*. Et invenio in vicinia etiam ruſticos adhuc ea voce uti. Habui aurigam in ſervitio, qui dicebat, *es iſt ein bederwe Pferd*, de equo bono. Scio *Tzar* apud Ruſſos eſſe Regem, & dici illis: *Tzar David*, *Tzar Salomon*. Vellem tamen inquiri nonnihil in originem vocis, quo meliùs refutentur illi qui *Czar* a *Cæſare* derivant. In Lexico Polonico *Conſtantini Szyrwid* Jeſuitæ, Warſaviæ iterum edito 1641, reperio: *Car*, magnus Dux; *Carogrod*, Conſtantinopolis; puto vocem eſſe hodie obſoletam. Epiſtola *Barbeſielli* valere poteſt vivo ac vigente ipſo, ac Rege; apud ſucceſſores & poſteros quam vim habere poſſit, quivis perſpiciet. Et quamquam Capitulatio ſemel facta, renovari non ſoleat; erat tamen nunc gravis cauſſa renovandi religionis indulgentiam: nam antea jus in Argentoratum in ſuſpenſo erat, & eo valebat capitulatio. Nunc omni urbis jure in Regem tranſlato, dici poteſt, non ex capitulatione cum urbe, cujus vis exſpirarit, ſed ex ceſſione Imperii æſtimandam Regis obligationem: Imperium autem in Riſvicenſibus tabulis, libertatem reformandæ religionis, adeo non circumſcripſiſſe, ut diſertè potiùs, eam ipſi optimam maximam in locis ceſſis,

Digitized by Google

ſalva tantùm in ſubditis emigrandi poteſtate, affirmaſſe videatur. Ubi D. *Meierus* reſponderit, epiſtolam ejus ad te mittam. Quid putas, de Circuli Rhenani directorio eſſe futurum? Spero Domini Comitis *Boineburgii* opera rem tandem compoſitum iri, etſi multæ ſint ſalebræ. Aula Cæſarea in negotio Hiſpanico lentior videtur, quàm pro rei magnitudine. Commendanda eſt Deo cauſſæ noſtræ juſtitia; ſed tamen & noſtra nos agere, & orationi laborem conjungi Deus jubet. Equidem tecum ſentio, odia inter diſſentientes abeſſe debere; ſed ſcis, quàm difficile ſit in praxi, perſonas ſeparare a cauſſis, & moderationem juſtam obtinere. Plerique dicunt, ſe hæreſes odio habere, non homines; ſed ubi aliter non poſſunt, ſolent hæreſin tollere cum hæretico; quem ubi, ut ipſis videtur, obſtinatum vident, tanquam animal noxium & venenatum habent, quod animas veneno ſuo inflet, corpore omni præſtantiores. Ita ſentientibus non faciliùs perſuaderi poteſt moderatio, quàm ſi oſtendatur ipſis, falli eos opinione & pejores alios putare, quàm ſunt. Poteſt ſententia alicujus falſa eſſe, ita tamen, ut non ſit tam prava & noxia, quàm alii præjudiciis affectibuſque occupati, judicant. Atque ita ſæpe contingit. Conſiſtere igitur poteſt refutatio cum toleratione eccleſiaſtica faciliùs, quàm toleratio civilis apud prævalidos, cum opinione intolerabilitatis eccleſiaſticæ. Quanquam, ut dixi, optem ego, & ſuadeam, etiam zizaniam ferri, quoties ſine magno malo evelli non poteſt. Et hoc inprimis faciendum, quoties data eſt tolerandi fides. Ut igitur concludam: utrumque tolerandi genus, quoties cum ratione id fieri poteſt, utiliter inculcari arbitror, majoremque eſſe efficaciam ſuadentis, ubi conjungi poſſunt. Vale. *Hanoveræ* d. 30. *Maii* 1698.

XLV.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

De Origine tituli Tzar; *quid per* Selawim *Numer. XI. intelligendum? Denique de varii argumenti novis.*

OPtimam occaſionem nactus, *Boboritii* librum per aurigam, qui acetum &c. in aulam veſtram vexit, ad te mittendi, non dubito te illum rectè accepiſſe. Nomen tamen illius in fine epiſtolæ ſignificabo. *Meierum* nihil reſcribere miror. Scire tantùm velim num agnoſcat, valde incongruam analogiæ & naturæ rei eſſe derivationem illius vocis *Bärnhüter*. Nam pronunciatio, analogia, (dicimus enim de pecudibus *Hirten*, non *Hüter*) & res ipſa repugnat: ubi enim dantur greges verrium? *And*, *anden* dudum novi; ſed tu ſcripſeras *ond*; id quia Suecico vocabulo propius

pius accedebat, ſcire a te volui, qua dialecto Germaniæ ſic enuntiaretur.

Originem vocis Цaſ nemo non dixerit. Quod lexicon Polonicum *Szyrwidi* mihi nominaveris, gratum fuit. Operam dabo, ut mihi comparem. Quod autem ille *Car*, Magnum Ducem interpretatur, in eo profectò malè & incongruè facit: non enim ſignificationem vocis, ſed uſum nobis exponit, quia vulgo appellatur *der Groſsfürſt in der Moſcau.* Fortaſſis antiquiſſimis temporibus, antequam nomen *Tzar* aſſumeret великой Кн̃ѕ Magnum Principem ſemet vocavit, idque vicini & exteri omnes retinuerunt. *Cargorod* velim ſcire, ubi reperiatur pro Conſtantinopoli; talia rara & inuſitata lexicographum allegatis firmare decet. *Szyrwidi* expoſitio ſimilis mihi videtur illi, ſi quis vocabulum *Cæſar* expoſiturus, diceret *Magnus Rex*, cæteros antecellens. Hoc non eſt declarare, ſed uſum indicare. Unum oportebat facere, & alterum non omittere. Sanè lexicographi plerique, bonis præceptis lexica condendi, opus habent. Argentorato nunc ſcribitur, *Obrechtum* rediiſſe & bona nova de abrogatione teloneorum attuliſſe: nec non de ſacris ſuis ſecuros eſſe juſſiſſe Argentoratenſes; ſed oretenus tantùm, ut ex publicis relationibus procul dubio cognoviſti. Profectò Rex ſatis cauſſæ habuiſſet, mutato rerum ſtatu, novo pacto cives illius loci exhilarare. Interrogas, quid putem de Circuli Rhenani directorio eſſe futurum? Reſpondeo: Idem, quod de cæteris noſtris diſſidiis. Sapienti ſatis.

Quæ de diſſenſu religionum & Chriſtiana tolerantia atque concordia diſſeris, in iis facilè & libenter tecum conſentio. Remedia humana omnia vana & inania fore, prævideo. Deus pacis pacem duit! id unicè rogandum habemus. Cæterum non poſſum non caſum mirabilem tecum communicare. Noſti, me vulgarem expoſitionem vocabuli Hebraici שלו, *Selaw*, coturnicem, impugnare, tanquam textui minimè applicabilem, niſi in omnibus textûs commatibus miracula fingere velis, ubi de cibo Iſraelitarum in deſerto agitur, Numer. XI.: ea potiſſimum ratione inductus, quòd vetuſtiſſimi interpretes inter ſe diſſentiant, eoque indicent, veram ejus vocis ſignificationem in captivitate Babylonica deperditum fuiſſe. Cùm igitur LXX. interpretes, auctor libri Sapientiæ, *Philo* Judæus, *Ortygometram* reddant, *Joſepho* autem id veriſimile viſum haud fuerit, & Ορτυγα, *Coturnicem* primus exponat, quem deinceps omnes vulgares interpretes ſecuti ſunt; ego judicavi ex diverſitate hujus expoſitionis cognoſci, hos interpretes conjectura uſos, adeoque eandem & mihi & omnibus eruditis licere, prout cùm ex Commentario meo, tum ex Appendice illius ſecunda, ubi dedita opera de locuſtis ago, intelligere eſt. Reſpondit mihi amicus adverſarius meus, *Samuel Andreæ* Marpurgenſis S. S. Theol. D. & P., non poſſe dici, hos modò nominatos interpretes diſcordare inter ſeſe: nam ortygometras & coturnices

 nices

Digitized by Google

nices inter ſe non differre ſpecie, ſed tantùm magnitudine; (ii) nam majus & minus ſpeciem non variare; quidquid etiam in contrarium ex diverſis auctoribus afferrem. Contigit ergo mirabiliter præterita hebdomade, ut coturnix, cavea vicini, ut puto, elapſa, in cavædio meo caperetur, mihique afferretur viva; idque flocci faciebam. At poſt tres horas, ab amico patritio, aucupii perito, affertur mihi inopinato ortygometra, quia audiverat, me cupidine illius viſendæ vehementer teneri. Miratus ſum, utramque avem mihi minimè exſpectanti, eodem fere tempore, quaſi fato offerri, ut comparationem utriuſque inſtituere quirem. Et ſanè hanc diverſiſſimam ab illa deprehendi. Inter alias multas differentias etiam pabulo differunt. Ortygometra nolebat veſci tritico, milio, &c. ſicut coturnix. Caſu cogitabam de lumbricis & ovis formicarum, quibus eam adhuc alo. Hæc ſunt, quæ pro amicitia noſtra te celare nolui. Vale. *Francofurti d.* 18. *Jun.* 1698.

XLVI.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

De Szirwidi *Lexico Polonico; derivationibus vocum nonnullarum Germanicarum, & de conſiliis irenicis.*

Ndecunque *Szirwidus* habeat ſuum *Caragrod* pro Conſtantinopoli, non de nihilo eſſe oportet. Dictionariolum eſt conſcriptum in uſum puerorum, Latinæ, non Polonicæ linguæ diſcendæ, gratiâ. Itaque mirum non eſt, ſi auctoritates non ſunt adjectæ. Non eſt exigendum ab autoribus, quod inſtituto eorum non convenit. Singulari profectò caſu vobis diſputantibus de ortygometræ & coturnicis differentia, utraque avis velut cœlo delapſa ſupervenit: Et gaudeo, naturam pro te contra Dominum *Samuelem Andream* teſtimonium dicere. Mihi certè conjectura tua de locuſtis mirificè ſemper placuit. De derivatione vocis *Berenheuter*, credo Dominum D. *Meierum* tibi reſponſurum. Equidem, non noſtrum inter vos tantas componere lites. Et vitula tu dignus & hic. Utraque opinio probabilitate; *Meieriana* etiam ingenio non caret. Nam etſi verres de porcis caſtratis dicantur; ipſa tamen vox porci, & *eber*, indicare videtur, Germanicum

(ii) Differentiam *ortygometrarum* & *coturnicum*, non quidem obſervarunt veteres hiſtoriæ avium ſcriptores, veluti *Willughbeius Ornithol.* lib. II. p. 122. & *Raius*, in Synopſi Method. avium p. 58. accuratiores tamen ſunt & cum *Ludolfo* noſtro conſentiunt recentiores, *Car. Linnæus* in *Syſt. nat.* p. 25. & 28. & Cel. *Mœringius* in *avium generibus* p. 54. & 73. quorum uterque *ortygometras* ab *Slopacium* ordinem, *coturnices* verò ad *Gallinarum* genus retulit, obſervata inſigni quæ inter illas intercedit diverſitate.

Digitized by Google

manicum antiquum & topicum *ber*, non ad caſtratos tantùm porcos reſtringi. Et quod vos Thuringi *bieter* non *büter* dicitis, aliis provinciis præjudicare non debet. Itaque *Meierianam* derivationem refutatam non puto. Sed tamen nec probatam hactenus arbitror, ita ut pro certa haberi poſſit; niſi ille oſtendat, revera alicubi aut aliquando *berenbüder* dictum, qui aliis *ſchweinshirt*. Hoc enim confecto palmam ipſi haud dubiam deferrem, ita ut veteres, quem porcorum cuſtodem, id eſt, viliſſimæ conditionis hominem convicio dicere volebant, *berenbuder* dixerint. *Ond* pro malo, tanquam ſeptentrionalis vocabuli, mentionem injeceras. Dixi nec a noſtro Germanico abeſſe; de dialecto peculiari, aut differentia inter *a* & *o*, quæ hic nullius momenti eſt, ne cogitavi quidem; cùm & Bavari & alii ſuperiores Germani vocalem *a* vel *camez* ita pronuntient, ut *o* quàm *a* vicinior videatur. *And thun*, *ahnden*, tibi ignota eſſe non potuere, ſed ut ſolet, in mentem tum fortaſſe non venere. Quia de veteribus paulo ante dictum eſt, adjiciam, derivationem vocis *Hahnreh* etiam ex inferioris Germaniæ dialectis petendam videri: comperi enim *reh* vel *ree* in vicinis regionibus uſurpari pro *cantherio*, & diſtingui in *ſtute*, *hengſt*, *reh*. Fortè originarie *reh* ſignificat impotentem. Nam ſi bene memini, alicubi dicitur *er hat ſich reh geritten*, id eſt, *ſtumpf*, *müde*, *mat*. Porrò hinc manifeſtum eſt, *hahnreh*, fore pene ad literam *gallum caſtratum* ſeu *caponem*. Non quaſi hodie tales ſint, qui *hahnrehen* dicuntur; ſed quòd uxoribus ſubſidia quærentibus, talium inſtar habeantur. Judicium tuum de his mihi gratum erit, quemadmodum & de *hübiſch*, *corteſe*, *elegant*, pro *hübſch*, & de *biderueman* pro *biederman*.

Spes aliqua eſt conſervandæ quietis, ſi Deus Regibus Hiſpaniæ pariter & Magnæ Britanniæ vitam adhuc diu producat. Alterutro amiſſo, ſed maximè Hiſpano, verendum eſt, ne omnia ſuſque deque vertantur.

De *irenicis* ſpes, quas nobis facimus, longinquas eſſe, fatendum eſt; & tamen quatuor, quinque aut ſex hominum voluntate res omnis confici poſſet. Fac enim, Pontificem Romanum & Imperatorem & Regem Galliæ ab illa parte, & Principes aliquot magnos a noſtra, rem ſerio velle, habenda eſſet pro confecta. Et corda Principum ſcimus eſſe in manu Dei, ſed ea ſeculi noſtri felicitas non erit, quod ad finem utique properat. Neſcio an futura ſit ſequentis, cujus hiſtoriam nemo noſtrum leget. Præſentis a te conſcriptam, videre aliquando valde geſtio, quippe profectam a viro pariter doctrina & rerum uſu commendabili, qui & novit multa, & quæ explorata habet, ritè exponere poſſit: denique affectus privatos potiores non habeat amore veritatis. Vale. *Dabam Hanoveræ d. 26. Junii 1698.*

XLVII.

XLVII.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Grammaticam Ambaricam dono mittit, & de gente Hermanni *Comitis Palatini Rheni ſciſcitatur.*

PLurima eaque ſat gravia negotia intervenere, quo minus noviſſimis tuis, quibus chirographum pro *Adamo Bohorish* mihi miſiſti, tempeſtivè reſponderem; idque penes bibliothecarium hujus reipublicæ, uſque ad nundinas vernales deponam. Ut autem rationem ſtudiorum meorum, tanquam amico veterano, tibi reddam, en! duas ſchedas typographicas, ex quibus & initium & finem opuſculi grammatici, linguam *Ambaricam*, quæ Habeſſinorum vernacula eſt, docentis, tibi mitto. Mundum exemplar proximis nundinis accipies. Impulit me ad id edendum, legatio Batavorum ad Imperatorem Æthiopiæ, qua velut porta aperietur ad amicitiam & commercia cum præclara iſta natione inſtituenda. Plura proximè. Dominus Præſes *Goertzius* (*kk*) enim feſtinat. Vale diu & feliciter. *Francofurti d. 5. Sept. 1698.*

P. S. Eſt hic inſignis antiquitatum Germanicarum ſtudioſus, *Tollnerus*, qui origines Palatinas paulo curioſius molitur, & patrem atque familiam *Hermanni*, Comitis Palatini Rheni, anno 1156. defuncti, cujus generis circa illa tempora multi fuerunt, nimis anxiè jam a ſex menſibus quærit. Tandem illi venit in mentem, cùm tu, vir clariſſime, per Europam ſcientiâ antiquitatum noſtrarum, reliquos omnes antecellas, te ſe in hoc juvare, atque majores illius *Hermanni* quæſiti, ſibi oſtendere poſſe. Quodſi id facere poſſis, & me, & illum tibi reddis obligatum. Iterum vale.

XLVIII.

LUDOLFI AD LEIBNITIUM.

Etymologica tradit. Hiſtoricos ſæculi XVII. ſibi indicari rogat, & pauca ad negotium irenicum ac rempublicam ſpectantia addit.

EPiſtolam tuam die 26. Junii ad me datam, poſt meam Domini *Goertzii*, præſidis veſtri famulo traditam, inter chartas meas latentem inveni, ad quam, licèt nihil momentoſi contineat, ut deſiderio tuo ſatisfaciam,

(*kk*) *Eſt is Illuſtriſſimus* Fridericus Guilielmus L. B. de Goeritz *dictus* Schlidſee, *Sereniſſimis Ducibus & Electoribus Brunſvico-Luneburgicis a conſiliis intimis, & collegio, quod redituum dominicorum curam g rit, præfectus, qui anno 1728, rebus præclarè geſtis, octogenario major, occubuit.*

ciam, breviter reſpondebo. *Boboritzium* pro lubitu uſque ad vernales nundinas retinere potes. De vocabulo *Carogrod* deſideravi auctoritatem, quod unumquemque, qui novi vel inſoliti quid ponit, facere decet; quamvis non ad inſtitutum illius primarium pertineat. Quòd ſententiam meam de locuſtis probes, ut multi alii, placet, nec dubitandum eſt, quin tandem communis fiat opinio, non minùs ac illa de novo ſyſtemate mundi & circulatione ſanguinis, primo pro tam paradoxa habita.

Utramque ſententiam de derivatione vocis *Berenbaeuter* probabilem tibi videri ſcribis, & tamen *Meiero* palmam haud dubiam te delaturum ais, ſi probaverit, vocem *Bernbaeuter* Germanis idem fuiſſe ac *Schweinbirt*, & appellationem iſtam *Schweinbirt* aliquando infamem fuiſſe? quo probato, & ego ipſi palmam facilè concedere poſſum; ut taceam, verrem, *ein baere*, in Germania nuſpiam, quod ego ſciam, pro porco caſtrato accipi. Phraſes *anden* & *andtbun* mihi ſunt notiſſimæ: ſcio etiam ruſticos Bavaros *o*, pro *a* pronunciare. Sed ego putabam honeſtiores Germanos alicubi Suecicæ elocutioni convenientius *ond* pronuntiare, ut tua quidem epiſtola præ ſe ferebat, non enim de ruſticis argumentamur, cùm de originibus vocum agimus. Sententia de derivatione vocis *Hanreb* non placet: ſi enim *reb*, ſignificat equum caſtratum, certè ad gallum non quadrat. Docendum erat *Reb*, caſtrationem indicare, & adjectivum eſſe, vel originem ſuam a verbo trahere. Cur enim potiùs *Hanreb*, quam *Bockreb* vel *Ochſenreb* diceretur? In notationibus vocum cavendum eſt, ne ex ſimilitudine literarum, vel denominatione alicujus rei ſola, ſine affinitate aliquorum nominum, verborum vel phraſium, applicatio ad alia, compoſitione incongrua fiat.

Acceſſionum hiſtoricarum tomus ſecundus mihi in triplo quidem allatus fuit, ſed ſine indicio aut nota in titulo, ut moris, ad quem duo exemplaria pertineant. Pro meo gratias maximas repeto.

In conſcribendis noſtri ſæculi annalibus, uſque ad annum trigeſimum octavum perveni. Cùm verò auctores ſequentium temporum deficiant, peramicè te rogo, ut ſi bonos auctores noſti, qui ab hoc tempore de quacunque terrarum parte ſcripſerint, eos mihi indices ac mecum communices.

De republica diſſerere ſupervacaneum puto. Vera prædicas, in ſanitate Regum Hiſpaniæ & Magnæ Britanniæ ſitam eſſe pacem Europæ. Quatuor aut quinque hominum voluntate confici poſſe pacem eccleſiæ ais. Immo unius, ſi Deus annueret, ſcilicet Pontificis Romani: ſin minùs, innumerabilium, Cardinalium, Archiepiſcoporum, monachorum, immo & vulgi. Sed vana ſunt iſta vota. Meum, quod de valetudine tua concipio, efficacius fore puto. Vale. *Francofurti d. 6. Sept.* 1698.

XLIX.

Digitized by Google

XLIX.

LEIBNITIUS LUDOLFO.

De Ludolphi *grammatica Amharica*; Toelneri *hiſtoria Palatina & jure venandi nobilium. Addit nova ex Æthiopia & India.*

BInas uno pedatu a me accipis literas; & alteras quidem dudum ſcriptas, ſed nunc demum rurſus ex ſchedis erutas. Interea ad me pervenit grammatica *Amharica*, pro qua gratias ago ſingulares, teque diligentiæ, judicii ac zeli denique laudandum cenſeo, quod in paucis rempublicam curas, labore præſertim, qui nec per ſe gratus eſt, nec in vulgus plauſibilis: ſed mercedem præſtabit conſcientia, & ſummus rerum curator Deus, & fama apud poſteritatem. Nam ſpes eſt, opus tuum aliquando fructum facere poſſe, ſi divina benedictio accedat. Utinam juvenes *Heilingos* illuc mittendos haberes, inque eam rem ſumtus ſuppeteret reſpublica! Sed id populus curat, ſcilicet! Quantum intelligo Amharica lingua & Habeſſina, quam vulgo Æthiopicam dicimus, ſola differunt dialecto. Fuerit ergo & ipſa Arabicæ propago. Vellem ego, quicunque characteribus in vulgus ignotis aliquid edunt, adjicerent ſcripturam in notioribus literis, quales Latinæ pro occidentalibus; Hebraicæ pro orientalibus. Nunc iis, qui nondum initiati ſunt, duplicatur labor quaſi duplici vallo, & characterum, & linguæ. Me certè nihil magis ab his abſterruit. Rationis foret, initia omnia reddi, quoad fieri poteſt, plana, utendo jam notis, cùm licet; poſtea rudimenta linguæ aſſecutus, faciliùs ſuppleret characteres. Tabulam tuam literarum, ex variis linguis poteſtates complexam, diuque promiſſam, avidè jam dudum exſpecto, laboremque cenſeo ſimul & gratum in publicum, & multis profuturum. Dominus *Menzelius* Archiater Sereniſſimi Electoris Brandeburgici, notitiam ad me miſit *clavis* ſuæ *Sinicæ*, quam nihilo *Mulleriana*, nobis olim fruſtra promiſſa, inferiorem profitetur. Quod ſi ita eſt, gaudebo, non omnia, quæ a mirabili illo capite ſperabamus, interceſſiſſe aut abolita flammis cineri incubuiſſe.

Doctiſſimus *Tolnerus*, cujus ad me miſiſti ſchediaſma de origine veterum quorundam Palatinorum Rheni Comitum, mihi non parvum operæ pretium feciſſe videtur. Nec dubito, ſic ſtadii litterarii decurſum inchoantem, multa in progreſſu præclara præſtiturum. Itaque & tibi, vir ampliſſime, & illi, pro communicatione gratias ago. Velim eſſet ad manus, quo poſſim juvare hæc ejus ſtudia. Habemus ſanè diplomata *Henrici* Ducis Saxoniæ & Comitis Palatini ad Rhenum; ſed ego nunc ita diſtractus ſum, ut conquirere non poſſim. Hoc enim autumno mutavi ædes; omnia reordinaturum ſupervenientia extra ordinem negotia interturbavere; deinde hiems

hiems oppreſſit. Itaque vix demum vere proximo potero redire in gratiam cum meis chartis. De tempore mortis & aliis rebus hujus Principis non nihil & nos ſentimus difficultatis, (*ll*) atque illud inter cætera turbat, quod Bavarus jam ante matrimonium cum filia *Henrici*, ſe Palatinum Rheni ſcripſiſſe invenitur. Suſpicor *Fridericum II.*, *Ottoni IV.* oppoſitum, *Henrico*, *Ottonis* fratri, conatum auferre Palatinatum & Bavariæ Duci contuliſſe verbis, nam in ipſa fruſtra fuit, litem autem matrimonio fuiſſe ſublatam. Origo Bavaricæ gentis meretur in clariore luce collocari, eaque cura foret *Tolnero* tuo digna. Spero, ipſi occurſura in *Alberico* meo non pauca ad rei genealogicæ profectum, atque inde viciſſim redituram ad me utilitatem; ſed & Chronologus Saxo meus non pauca habet uberius, quàm *chronicon ſereni montis* a *Madero* editum. Habetis nunc apud vos *Obrechtum*, doctrina non minùs quàm dignitate inſignem virum, cui vereor, ut vacet proferre in lucem, quæ poſſint augere doctrinam. Is cum tam diu Argentorati in poteſtate habuerit archivum Palatinum & Cameræ Imperialis acta, theſauros inde eruere potuit ad hiſtoriam illuſtrandam, nec dubito uſum occaſione & voluntate Regis, & habuiſſe ad manum viros doctos, quorum diligentiam adhiberet, ſed vix hæc liquido profitebitur, vobis verò cum eo ſubinde agentibus facilè tranſparebunt, agnoſcenturque per ambages. Suſpicor & *Schilterum* noſtrum, virum præclarum, manus admoviſſe, idque etiam valde velim. Nam ille & vult & poteſt uti.

Amicus quidam doctus hiſtoriam juris venandi excutere aggreſſus eſt. Putat ille libertatis antiquæ veſtigia multis locis diutiſſimè & penè uſque ad viciniam ſuperioris ſæculi ſuperfuiſſe. Imperatorem Principeſque olim foreſtis ſuis dominicis, in quibus banniebant feras, quod *Wildbann* hodie vocant, fuiſſe contentos, ubi venatione aliis fuit interdictum; ſero autem demum fuiſſe receptum, ut prohiberentur homines, præſertim liberi prædiorum domini, quos hodie *nobiles* vocamus, in ſuo venari, cujuſcunque generis feras. Mihi valde variatum videtur, ſed rem tamen inquiſitione dignam, & de qua optarem audire celeberrimi *Schilteri* ſententiam. Illud facilè crediderim, antiqua prædia equeſtria habere fundatam intentionem, ut conceſſionem oſtendere opus non habeant, ſed niſi conſuetudo regionis obſtet, aliudve actum ſit, originario jure utantur. Sed nolim aliquid certi pronuntiare, re nondum ſatis diſcuſſa. Exſtat prohibitio quædam 2. *Feud.* 27. *Carolus Magnus* eccleſiæ *Oſnaburgenſi* jus Foreſti conceſſit in ſilva *Oſnigge*, conſenſu potentum regionis, ad exemplum Foreſti Aquisgranenſis. Simile

(*ll*) *Quæ de fatis hujus Principis hactenus ex veterum chartis erui potuerunt, pleniſſimè expoſita leguntur a* Leibnitio, *ejusque, in munere hiſtoriographi Brunſvico-Luneburgici ſucceſſoribus digniſſimis*, Jo. Ge. *ab* Eccard *&* Jo. Dan. Grubero, Origg. Guelphic. T. III. p. 183. *nec non ab Illuſtri Viro, qui hodie provinciam eandem ſumma cum laude adminiſtrat, utinam ad ſeros uſque annos!* Chriſtiano Ludovico Scheidio *in* Præf. T. cit. Origg. *præmiſſa*, p. 54. ſqq. & p. 61. ſqq.

jus conceſſit *Otto Magnus* Trajectinæ eccleſiæ, per totum pagum, quem vocat, Foreſtalem. Et interdixit omnibus, venatione aprorum, cervorum, & beſtiarum quæ vocantur *Helo* vel *Schelo*, (*mm*) præterquam conſenſu epiſcopi. Quænam ſint illæ beſtiæ, nemo hactenus divinando aſſequi potuit & vicini ipſi hodie ignorant.

Hiſtoriam eorum, quæ agis, ut lucem inferas in Æthiopiam Habeſſinicam diſcere gratum erit. Nam ſubinde de his aliqua ad me referunt amici, ſed minus comperta. Audivi etiam *Pignatellum* Pontificis cognatum, a Rege Angliæ & fœderatis Ordinibus commendaticas obtinuiſſe literas ad Gubernatores per Indiam orientalem, ut ad Perſas, Magores & Æthiopes iter faciat. Sed & Secretarium congregationis ad propagandam fidem inſtitutæ Roma ad te ſcripſiſſe, ut diſceret aliqua rerum Habeſſinarum: præterea ex Batavia Indorum miſſos ad Regem, ut firmius aliquod commercii vinculum necteretur. Hæc qualia ſint, non rectiùs, quàm ex te ipſo diſcemus: quo loco etiam ſit cauſſa Palatina & quo ſe inclinet, facilè coram perſpicies. Addo epigrammata duo, in futurum Regis noſtri matrimonium: me jam remiſſiorem *Apollo* vetat majora tentare. Vale. *Hanoveræ d.* 8. *Dec.* 1698.

L.

LUDOLFUS LEIBNITIO.

Poſt finitos ſæculi XVII. annales ſeſe otio & pietatis ſtudiis daturum ſignificat. De Coptica lingua quædam refert & laborem conficiendi tabulam alphabeti harmonicam ab amico ipſi demandatum, modeſtè recuſat. De etymologia vocabulorum Baernhaeuter *&* Hahnre *diſſerere pergit; denique indicari ſibi petit auctores hiſtoriæ Orientalis recentiores.*

IN ære tuo ſat gravi me eſſe fateor: nam annus ferè eſt, ex quo nihil ad te literarum dedi. Dabo tamen operam ut cum fœnore exſolvam. Si non ſatisfecerim, acceptilationem ab æquitate tua exſpecto. Aſſiduus jam ſum in elaboratione annalium ſæculi nunc præteriti. Iis finitis profecto nihil ſuperaddam, atque reſiduum vitæ meæ totum quieti, ſolique pietati dabo; non quidem Pietiſtarum, uti nunc audiunt, more, qui ſacris novis ſtudent, concordiæ eccleſiaſticæ admodum adverſis; dum doctrinam impugna-

(*mm*) *De his beſtiis, quas nomine tantum inter ſe diverſas, & alces fuiſſe conjicis, vide plura diſſerentem* Nic. Hier. Gundlingium, *in* Gundlingian. T. XXIV. p. 450. ſqq. De vocibus Teutonicis *Elo* & *Schelo* conferri quoque meretur *Jo. Leon. Friſchii* obſervatio in *Miſcellan. Berolinenſ. continuat.* III. S. T. IV. p. 182.

Digitized by Google

pugnare nequeunt, aliorum vitam reprehendunt, occultiores, non meliores; quaſi noſtrates non etiam vitam exigerent, quantum humana fragilitas patitur, perfectiſſimam.

Sed ad literas tuas venio, quarum noviſſimas, die VI. Martii datas, *Forſterus* bibliopola veſter mihi attulit, cum grato munuſculo P. *Agathemeri*, ſpecimine videlicet Coptico, pro quo ſummas in epiſtola hic inſerta illi habeo gratias. Copticæ linguæ me non eſſe gnarum tute noſti; itaque refero me ad ea, quæ in *Commentario hiſtoriæ* mea *Æthiopicæ lib. III. c.* 7. *num. LXXVII. pag.* 442. & 443. de eadem ſcripſi, atque *Athanaſium Kircherum*, imperitè prorſus de ingenio & origine ejus differentem refutavi, ut in epiſtola modò allegata vides. Qua propter lætor, dari aliquem, qui linguam iſtam in ipſa Ægypto deperditam, inſtaurare & excolere ſatagit. Tabulam alphabeti harmonicam, quam urges, incepi quidem, ſed non perfeci. Non utilem modò, ſed & neceſſariam arbitror, ad elocutionem genuinam nominum propriorum, in tabulis non tantùm geographicis ſed & hiſtoriarum ſcriptoribus. Nam ſæpe mihi inter exteros verſanti contigit, ut vel illi me non intelligerent, vel ego illos. Exempli gratia: vocabulum *China*, ſic ab Hiſpanis & Luſitanis, ſcriptum, & per Europam tali modo vulgatum, ſoli Angli rectè pronuntiant *Tſchina*; at Galli *Schina*; Itali *Kina*; nos *China*; Batavi ex auditu *Tſchina* & *Tſchineſen*. Sic cùm de Habeſſinia mea ſermo eſt; ſcribunt alii *Abex*; alii *Habech*; alii *Abeſcia*; quæ diverſa ab imperitioribus habentur, cùm ſint & re & ſermone eadem. Accidit mihi, quo tempore cum Habeſſino meo converſarer, quòd eum ex tabula vulgari *Habaſſiæ* interrogarem, ubi ſita ſit Xoa, Germ. *Xoa*; reſpondit, talem regionem in ſuo regno non dari. Poſt longam moram incidit mihi in mentem, a Luſitanis primam conflatam fuiſſe tabulam: itaque rogavi de provincia *Schoa*. Ha! *Schoa*, inquit, hoc aliud eſt, me autem dixiſſe *Schoa*: & ſic de aliis quam plurimis. Graviora nunc mihi incumbunt, quàm ut in talibus deſudem. Denique ſi elaboraſſem, æri incidenda eſſet tabula, meis fortaſſis ſumtibus, ut aliàs factum. Specimen tecum communicabo, ubi otium fuerit. Cæterum non mihi conſultum viſum fuit, in grammatica mea Amharica vocabulis ignotis ſcripturam notam addere, ut pridem monuiſti; ne ſcilicet ſtudium ſufflaminarem eorum, qui hanc linguam addiſcere avent. Habent ibi alphabetum, paucarum horarum vel dierum intervallo ediſcendum, ut tali labore, alioquin ſat oneratus, ſuperſedere potuerim.

De itinere Pontificii legati in Indiam Orientalem aliquid cognovi; de Æthiopia nihil; neque iſtud credibile eſſet, etiamſi diceretur. Non Belgarum reſpublica, ſed Gubernator Bataviæ Indicæ eo quoſdam ſuæ gentis, non ut legatos, ſed ut mercimoniorum inſtitores, miſit; ſed an ſalvi illuc pervenerint incompertum eſt.

De republica tecum confabulari opus non eſt; cùm de bello quod in Livonia nunc flagrat, tibi plura quàm mihi conſtare putem. Imitemur inte-

Digitized by Google

rim *Diogenem*, & vertamus dolium noſtrum etymologicum, dum alii pugnant, & innocentes ruſticos vexant. Opinionem de voce *Bärenbäuter* adhuc tueor. Sic enim a peritioribus ſcribitur & pronunciatur. Plebs tantum Saxonica *Bernbüter* dicit; ſicut *Rüter*: nam diphthongos *au* vel *eu* per *ü* Saxonicum efferunt, ut pro *Hauſer* dicunt *Hüſer*, & ita porrò. De tuo *Hahnrey*, non *Hanree*, perſto in mea ſententia. Etenim te negare non putaverim, metaphoricè dici, non quidem de impotente, quis enim hoc plebi indicat? ſed de marito adulteræ, nominis talis, ut plurimum innocente. Jam omnis metaphora ſupponit ſignificationem aliquam propriam: id enim Græcum μεταφορα denotat. Si ergo ſignificaveris, in qua Germaniæ provincia ſignificet, vel unquam ſignificaverit capum, ſive caponem; tunc accedam tuæ ſententiæ. Nam in formandis metaphoris & eruenda nova vocabuli origine, vocabula, ſive ſimplicia, ſive compoſita fingere non licet.

Literas ad *Bonjourium* datas, curare non gravaberis. Pro tranſmiſſo ejus ſpecimine mitto tibi *Acta compromiſſi Palatini*, Argentorati impreſſa, e quibus ſtatum illius cauſſæ cognoſcere poteris. Num *Obrechtus* Actis Palatinis & Imperialibus uſus fuerit, dubito. Omnia enim fuere doliis & ciſtis ita incluſa & confuſa, ut vix certi aliquid inde erui potuerit. Ipſum autem libellum Gallicum Aurelianenſem compoſuiſſe, vel ſaltem adjutorem fuiſſe, ex eo colligo, quod JCti Germanici allegentur, quorum alias apud Gallos exigua cognitio & æſtimatio eſt. Nihil nunc ſupereſſe puto, quam ut proſperam & diuturnam valetudinem tibi precer atque optem. *Francof. d.*14. *April.*1700.

P. S. Cæterum te, ſeu amicorum ocellum celare nolo, me in annalibus meis univerſalibus uſque ad quadrageſimum quartum annum perveniſſe. De rebus Perſicis & Indicis auctorem nullum novi, qui circa iſta tempora ſcribat. Si poſt *Martinium* (*nn*) & *Neuhofium* (*oo*) de rebus Sinicis hiſtoricum noſti, indica, quæſo. Si ulterius perrexero, noviſſima tua Sinica mihi uſui eſſe poterunt. De Japonicis quoque hiſtoriis circa tempora præſentia auctorem optarem. Ut non dubito, tomum primum jam editum, in manus tuas perveniſſe, monita tua, judicio egregio pollentia, audire optarem, inſequentibus tomis elaboranda. Præſentis temporis hiſtoria tædioſa, ut ſcribis, eſt, & pericoloſa, fateor. Eo magis decora ingenia deceret, eam ex actis & documentis publicis elaborare. Mihi in anguſto labor eſt. Compendium enim trado, ex aliis hiſtoricis compilatum: ubi perſæpe non parum æſtuo, quanta fides huic vel illi negotio ſit adhibenda. Verum eſt, me etiam Septembri ſuperioris anni, ad Herciniam uſque ſilvam, & ad Cheruſeos ferè excurriſſe. Ulterius pergere non licuit. Rex enim Poloniæ, dominus meus clementiſſimus tunc Lipſiam pervenerat, quem ſubmiſſe ſalutare

(*nn*) *De bello Tartarico* Amſt. 1655. 12. China illuſtrata. Amſt. 1649. fol. & *Hiſtor. Chinic.* Monac. 1658. 4°. & Amſtel. 1659. 8°.

(*oo*) *Cujus* Gebandſchafften der Oſtendiſchen Geſellſchafft in den vereinigten Niederlanden, *ex Batavico in Germanicum ſermonem translatæ prodierunt Amſt.* 1699. *f.*

tare me decebat. Plurima ibi de ſtatu Poloniæ in familiari cum Polonis converſatione cognovi, quæ mallem ore, quàm literis tecum communicare. Fac ut valeas, iterum atque iterum rogo. Datum ut ſupra.

LI.

Excerpta ex LUDOLFI *literis, Romam ad P.* BONJOUR *datis d.* $\frac{3}{13}$. *Maii* 1698. *De duobus manuſcriptis Æthiopicis.*

ÆThiopum circa patriarcharum ætatem ſupputationes, quas a me petis, poſſideo quidem; ſed characteribus numericis ſcriptas, quibus, quia ſæpiſſime fallunt, fidere non ſatis poſſum neque etiam doctum exſcriptorem habui. Aſt protographum Pentateuchi Æthiopici Romæ exſtat in hoſpitio Habeſſinorum, juxta ædem *S. Stephani*, poſt Baſilicam *S. Petri* in Vaticano. Illud ſi impetrare poſſes ab Eminentiſſimo Cardinali *Caſanata*, ut Venetias, & porro Auguſtam Vindelicorum ad *Hieronymum Ambroſium Langemantel*, virum notum tranſmitteretur, faciam lubens, ut quæcunque petis accuratè accipias, & reipublicæ literariæ inde incrementum accreſcat. Noli quoque negligere textum Samaritanum, cum verſione Samaritana ab Hebraicis Codicibus differente. &c.

LII.

EJUSDEM AD EUNDEM.

Varia philologica.

JOBUS LUDOLFUS

Plurimum Reverendo Patri F. GUILLAUME BONJOUR Tholoſano,

Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

S. P. D.

LIteræ tuæ ſuperiori anno IV. Idus Februarii ſcriptæ tempeſtive quidem mihi redditæ fuerant; reſponſum autem diſtuli, partim ob negotia graviſſima, partim expectatione eorum quæ in iis promiſeras. Ea poſtquàm nunc accepi, reſponſionem ampliùs differre nolui. Spem tuam, de procurando mihi Æthiopico Pentateucho, decollaſſe non multum curo. Non enim privati ſtudii, ſed boni publici cauſſa illum petii: cùm verò negatus

 ſit,

ſit, magno me labore exſolutum ſentio. Cæterum gaudeo, conſilium meum tibi non diſplicuiſſe; modo promiſſis ſtares, & ea reipublicæ literariæ non invideres, quæ ſingularia de verſione Græca ſeptuagintaviraIi in promtu habes, in prioribus literis tuis mihi ſignificata. Quæ de textu Samaritano cum numeris Hebræorum conciliando paras, avidè exſpecto. Nec poſſum, quin præclaros conatus tuos in inſtauranda lingua vetere Ægyptiaca laudem. Si quo cœpiſti ſtudio, pergas, longo intervallo *Kircherum* poſt te relinques. Ille enim ea peritia linguarum exoticarum, quam præ ſe tulit, ſolidè imbutus non fuit: quod in ejus ſcriptis paſſim obſervare eſt. Coptica interpretatus non eſt, niſi quatenus Arabica adjuncta reperit, quæ ſæpe malè tranſtulit. De origine & antiquitate linguæ Copticæ ita diſſerit, quaſi nullos auctores Græcos, de origine Græcarum literarum, aut philologos neotericos legiſſet. Quam ob rem reprehenſionem *Bocharti* in ſuo *Phaleg Lib. I. cap.* 15. meritò incurrit. Quæ de affinitate linguæ Coptæ ad Græcam diſſerit, inſipida prorſus ſunt. Falſum eſt, Græcos literas ſuas & rationem numerandi ab Ægyptiis accepiſſe; nec minus abſonum, quod alphabetum Græcum, Copticum dicat, cum contrarium verum ſit. Rationes habes in Commentario meo ad hiſtoriam meam Æthiopicam *Lib. III. c.* 7. *n. LXXVII. p.* 443. & paulo ante *pag.* 437. Optarem, ut grammatica quædam Coptica, noſtro more dilucidè concinnata exſtaret. Nam quæ a *Kirchero* Copto-Arabica tradita eſt, incomta planè methodo exponitur. Si pro inſigni tua hujus linguæ peritia eam traderes, tuis de bono publico meritis, inſigne adderes augmentum. Pro tua Coptica exercitatione quæ *Nicaſii* & ampliſſimi *Leibnitii* cura ad me pervenit, maximas tibi ago gratias. Deus Optimus Maximus tibi valetudinem proſperam duit, quo præclaris conatibus par ſis. Ego Æthiopicis meis immoror. En! Pſalterium Æthiopico-Latinum in lucem dare ſumma ope nitor, ut ex adjecto hic ſpecimine apparet. Num fortè egregiam & perantiquam Habeſſinorum nationem, ad amicitiam cum noſtris Principibus colendam inducere poſſim, eccleſiæ & reipublicæ Chriſtianæ uſui futuram. Vale. *Paſtritium*, & ſi qui alii me nominant vel norunt, amiciſſimè ſaluta. *Francofurti. Ibid. April.* 1700.

LIII.

LUDOLFUS AD LEIBNITIUM.

Varios labores quibus per proximum tempus vacavit, ſignificat, & ad antiquos fines, migrationesque populorum Germaniæ, nec non eorum linguam, ſpectantia, tradit.

FAteor me in aëre tuo, & quidem juſto diutius eſſe: quam ob rem mihi & venia & acceptilatione opus eſt. Utramque libentiſſimè mihi tribues, ubi me & publicis & privatis negotiis diſtractum cognoveris. Inter alia

alia annales mei Germanici, compendium hiſtoriarum totius orbis complectentes, commercium literarum cum amicis meis turbaverunt. Ad hæc ſtudium meum Æthiopicum, quo non tantùm clariſſimæ Habeſſinorum genti conſulere, verùm etiam talento, mihi peculiariter a Deo conceſſo, ſatisfacere volui, me diutiſſimè occupavit. Sed illud vix depoſueram, cùm novus nuntius Lutetia Pariſiorum me denuo excitavit, ferens, medicum *Poncet*, ex Habeſſinia reverſum literas a Rege Æthiopiæ ad *Ludovicum*, Galliæ Regem attuliſſe, in quibus exponendis, cùm *Beroaldus*, Syriacæ linguæ Profeſſor Regius, hæreret, me illum juvare atque loca difficiliora interpretari oportuit: qua de re, ſuo tempore plura. Inter literas ad reſpondendum ſepoſitas, tuas reperio 28. Martii & 4. Auguſti anno 1699. ad me datas. Literas *Agathemeri*, (*Bonjour*,) quarum in prioribus mentionem facis; ut & alterius viri docti, quem Βεκκεσεληνίζειν, aut Ρυδβεκκιανίζειν vereris, non ampliùs reperio, ut ſententiam meam de iis prodere poſſim. Veriſſimè autem dicis, multos viros doctos patriæ amori indulgere, ut parum cautè antiquitates gentis ſuæ deſcribant. Quid non dicemus de *Cluverio*, qui Germaniam tam latè extendit, ut ipſam Lapponiam, Finnoniam & extremas ſeptemtrionis regiones ſub ea comprehendat? ut taceam craſſas fabulas, quæ de cultu veri æternique Dei in S. S. Trinitate, apud antiquos Germanos uſitato, nimis incautè & temerariè narrat *lib. I. c. XXIX.* Ad reliqua epiſtolæ tuæ prioris progredior. Falli puto eos, qui vel nos coloniam Gothorum aut Suedorum, vel illos coloniam Germanorum fuiſſe autumant, ac eam ob rem vocabula conſona ab una vel altera natione derivari putent. Idem eſt, ac ſi quis ſobrinos ſeu conſobrinos a ſe invicem derivari putet, quod affini aliqua dialecto, vel iiſdem moribus utantur: cùm tamen a communi quodam ſtipite deſcendentes, e patrio ſermone, cultu atque ſacris, cùm a ſe invicem diſcederent, alii hoc, alii illud, retinuerint. Id linguæ noſtræ novatoribus, vel potiùs perturbatoribus, ad nauſeam uſque inculcavi, ne crederent, Germanos neque naſum, neque aures, neque oculos, neque armos habuiſſe, priuſquàm iſta vocabula a Romanis diſcerent. Latini & Græci antiquioris nobiſcum originis vocabula communia retinuerunt, veluti βούλομαι, *velle*, *wollen* &c. ὗς *ſus*, *ſau*, & multa alia. *Vacillare*, (lege, ut olim, *wakillare*,) Germanicum eſt *wakkeln.* Id demonſtratur ex cognatis primitivis *Wage*, *wägen*, *Wiege*, *Wogen des Meers*, unde frequentativum *vaggeln*, aſperius *wakkeln.* Immò, ſi credere velis, *gallus*, *ein Galle*, Germanicum eſt, cantorem vel cantantem denotant. Id patet ex voce *Nachtigal*, cantatricem nocturnam denotante & ex verbo *gällen*, *als wenn einem die Ohren gellen.* *Han* ſeptemtrionale eſt, pronomen *ille*; *Henne*, *illa.* In Thuringia *der Hänink*, *die Sä.* Belgis, *Hy* & *Sy.* Si plura tibi debeam, liberè moneto, ut intelligas me clariſſimo nomini tuo eſſe addictiſſimum. Vale. *Francofurti d.* 27. *Jun.* 1702.

LIV.

Digitized by Google

LIV.

LEIBNITIUS LUDOLFO.

Ad præcedentes reſpondet, & nova quædam de publicis negotiis refert.

GAudeo te valere & mei meminiſſe, etiam dum magnum opus agitas hiſtoriæ noſtri temporis. *Cluverius*, fateor, Germanos ſub Fennis comprehendere non debuit, ne *Taciti* quidem auctoritate, cùm ipſe noſſet, aliam eſſe gentem, de quâ *Tacitus* non poterat judicare. Interim *Jordanes* non malè Germaniam magnam uſque ad Tanaim extendit, tunc ſcilicet, cùm Gothi illic degerent. Suionas quoque & Werigonenſes non dubito Germanis computari debere, non minùs quàm Batavos, aut ſi qui alii dialecto diſtant. Nec magis a nobis abſunt lingua, Suiones vel Suedi, quàm *Otfridus* aut *Notkerus*. Suedos noſtrorum Germanorum filios, non conſobrinos, puto. Unde enim illi in natale Fennorum ſolum immiſſi, quàm ex noſtris terris? Nempe omnia docent, Germanorum coloniam per Balthicum mare, Danicis inſulis impletis, tranſgreſſos in magnam illam peninſulam, litoralia occupaſſe & meliora, Aboriginibus Fennis in interiora & aſperiora pulſis. Hæc ſanè proxima & maximè naturalis via illuc ducendi Germanos; aliæ difficillimæ, nec niſi fabulis nixæ, quibus ſe quorundam paſcit vanitas. De Celtis, malim, qui trans Rhenum nobis, fuiſſe conſobrinos Germanorum, atque Græcos ſubconſobrinos, ut ſic dicam, *ander Geſchwiſter Kinder*, & Latinos ex connubio Græco-Celtico natos. Elegans eſt, quod obſervas, Germano-Celtica origine *gallum* eſſe *cantorem*; *nachtigal*, nocturnam cantatricem; *Ohren gellen*, id eſt, aures ſonare: ſed addo, latiùs ire vim vocis, & generatim ſigna lætitiæ indicari: *Galla*, *galant*, *gail*, lætum eſt & pingue, atque etiam laſcivum, *gailer Bock*, *Gailheit*, *Gailen*, teſtes virilitatis; galli, qui amiſere, ἀντιφραςμοὺς; *Galeggia* Italis ſupernatare, exſurgere, exſilire (*pp*). Bene etiam notas *Han*, *He* eſſe maſculum; *Sie* fœminam. Etiam Lipſiæ, puer memini, aviculam canariam fœminam & ſimiles, dici, *die Siehe*, & opponi *dem Hahn*.

In magna hic omnes nunc exſpectatione ſumus novarum ex Polonia rerum, ubi Rex id agit, ut adverſarium Regem invadat ante adventum Pomeranicarum copiarum: nam hæ ubi ſe conjunxerint, vereor, ne viciſſim Rex Poloniæ in periculo ſit; nam tunc Sueci etiam numero ſuperiores erunt, militis bene ordinati. Si vincant, Saxoniæ metuo, & quod hinc ſequi-

(*pp*) His, illuſtrationis causâ addi potuiſſent Græcæ voces, ἀγαλλιᾶν, exſulto, & ἀγαλλίασμα exſultatio.

ſequitur, Germaniæ univerſæ, inſurgente iterum a tergo hoſte, qui Gallis olim in Germania vaſtanda maximo uſui fuit. Nec refert, an fœdus cum Gallis pepigerint Suedi, modo id agant, quod Galli omnibus votis petunt. Interim nec Suecos opprimi optarem, & præſtaret coire tolerabilem pacem, inter Reges conſobrinos & egregios, ſi audirent recta monentes. Aiunt copias jam pene in conſpectu eſſe, confluere undique auxilia; hinc Oginskios; illic Sapiehas; addunt tamen quidam, non nihil retroceſſiſſe Suecos, animo extrahendi rem, dum ſuperveniat *Guldenſternius* cum exercitu ſuo, nempe fruſtrati ope, Poloniæ Regem, ante ſuorum adventum opprimendi. Exercitus Coronæ ut vocant, qui ſe nunc cum Rege conjunxit, exiguus & malè habitus. Nobilitas majoris Poloniæ, ut vidit *Guldenſternium* aditu arceri non poſſe, ſequi conſtituit, exſpectare coeuntes Reges, & capere conſilia ex habitu rerum. Hæc etſi valde indigna hominibus, quibus patriæ decus earum eſſe debet, minùs miror; ex quo animos omnium inſedit ſuſpicio, Regem inſidias parare publicæ libertati. Ita fit, ut tacitis, animis domeſticum pene hoſtem putent, extraneo periculoſiorem. Adeo intutum eſt magnis etiam Principibus, ſinceri animi laudem non tueri. Faxit Deus, ut claſſis Anglo-Batava jam proceſſerit ad Hiſpanum littus. Quodſi diutius vel ventis, vel hominum negligentia aut ignavia retinetur, jam ſera hujus anni expeditio erit, & graves exſurgent querelæ in ipſa Anglia, ſocii verò omnia lamentis implebunt. Sanè poterat aliquid magni in ipſa Hiſpania geri, ſi facilè aliquid magni gerere poſſent diſſoni, & magis neceſſitate, quàm voluntate, coëuntes. Landaviam captum iri non dubitamus. Nam res oſtendit, ſi Principi *Eugenio* potiùs viginti millium ſupplementa acceſſiſſent, ſpem Neapoleos potiundæ fuiſſe. Et profectò valdè verendum eſt, ne, ſi priſtinum errorem erramus, quaſi mora vinci poſſint Burbonii, quo multos inclinari video & miror, fœderati disjungantur & omnia peſſumeant. Sed Deus ſupereſt, qui omnia ſemper in melius vertit. Ei te commendo. Vale, vir ampliſſime & ſave. *E palatio Reginæ, prope Berolinum. d. 25. Jul.* 1702.

LV.

LEIBNITII AD LUDOLFUM.

De adventu Caroli III. *Hiſpaniarum Regis Hanoveram, deque novis literariis.*

P*Feſſingerus* hiſtoriam ſæculi decimi ſeptimi elaborat (*qq*); ſed per indicis modum, ubique citans auctores, & inter eos te quoque. Exſpectamus in vicinia Regem novum Hiſpaniæ. Ibo, ut videam. Apud vos

 Fran-

(*qq*) *Edidit eam Hamburgi* 1706. *in* 4t. *inſcripſitque:* Merkwürdigkeiten des XVII. Jahrhunderts, *ſed tantùm viginti priorum iſtius ſæculi annorum hiſtoriam abſolvit.*

Francofurti, audio exſtare *Geſta Trevirorum*, auctiora editis. Habeo ineditos & imperfectè editos rerum Germanicarum ſcriptores. Ex poſterioribus eminet *Ditmarus*, editis egregior: nam & verſus & præfationes habet, qui interpolationi adſcribi non poſſunt. Chronologiam in hiſtoria noſtra videor mihi ſic ſatis conſtituiſſe, a *Carolo M.* ad *Ottonem IV.* Itaque Collegio hiſtoriæ Germanicæ multa jam auxilia ſuppeditare poſſem; ſed magis in ſpem poſteritatis, quàm quod his temporibus aliquid a noſtris exſpectem, æquè in rebus eligendis atque inſcribendis, malè patriæ conſulentibus. De Cl. *Tolnero* diu eſt, quòd nihil intellexi. Utinam doctiſſimo *Pregitzero* in *hiſtoria Zollerana* (*rr*) elaboranda plus otii, plus ſubſidiorum fuiſſet. Vale. *Hanoveræ d.* 2. *Sept.* 1703.

P. S. Cùm aliquot dies *Herrenhuſæ* in palatio Electorali egiſſem, & deinde cùm aula Hamelam profectus fuiſſem, videndi Regis Hiſpaniæ cauſſa, dilata eſt harum literarum tranſmiſſio. Rex digno honore cultus eſt, & viciſſim ſe humaniſſimum præbuit, nam & Electori & Principi Electorali ſellas præbuit, quas *faldiſtoria* barbari vocabant Latini; unde ſuum Galli *Fauteuil* fecere; & obviam progreſſus ambobus ſimul venientibus, uſque in aliquot ſcalarum gradus deſcendit, proſecutus deinde abeuntes etiam ultra. Hæc facta die Martis proximo, 9. Octobris. Elector prudentiam Regis ex habitis ſermonibus, & rerum, quæ geruntur in republica, cognitionem, prædicat. *Hanoveræ die* 15. *Octobris* 1703.

LVI.

LEIBNITIUS LUDOLFO.

Fragmentum ex otio Hanoverano p.* 124. *depromtum.

SI bene memini, *Juſtinianus* ille, qui Italico ſermone *hiſtoriam Hiſpanicam* ante annos aliquot edidit, attigit etiam recentiora. Hiſtoriam recentem Italicam non ignoras tractaſſe *Bruſonium*. Eſt & quidam *Lazari* Patavinus talium ſcriptor. Orientalem hiſtoriam ſcis non aliundè rectiùs, quàm ex recentiorum itinerariis corrogari. Sinenſem ab anno 1651. ad annum 1669. deſcripſit *Grelonius* Jeſuita Gallus. *Jo. Labardæus*, qui regius apud Helvetios orator fuit, hiſtoriam ſuam rerum Gallicarum ad annum 1652. perduxit. 9. *Jan.* 1701.

(*rr*) *Hec ſub rubro*: Teutſcher Regierungs und Ehrenſpiegel, beſonders von des Hauſes Hohenzollern, Urſprung, Würde und Herrlichkeit, *lucem vidit* Berolini 1703. fol. *Alia planè, ſed haud ſcio an juſtior, de præſtantia hujus operis ſententia fuit* Hübneri in bibliotheca geneal. p. 529. *quam citat diligentiſſimus ſcriptorum Brandenburgicorum inveſtigator*, Ge. God. Küſterus, Biblioth. hiſtor. Brandenburg. p. 320.

Digitized by Google

GODEF. GUILIEL.
LEIBNITII
AD
R. P. BARTH. DES BOSSES S. J.
EPISTOLÆ XL.

Digitized by Google

Digitized by Google

G. G. LEIBNITII
AD
R. P. BARTH. DES BOSSES S. J.
EPISTOLÆ XL. (*a*)

EPISTOLA I. (*b*)

Plurimùm Venerande Pater, Fautor honoratiſſime.

CUm maximo in veritatem affectu ferar, valdè omnes complector, quibus illa curæ eſt, eoque magis lætor, te vicinum, & amicum, cui amica eſt veritas, & mea nonnullius ad eam conſtituendam uſûs videntur. Nos quoque Roma intelleximus, inter paucos, qui Comitia veſtra in ſe vertunt, haberi & *Ptolemæum*. Addebantur & *Alemannus*, & *Tamburinus*, quem *Thyrſus Gonzales* Vicarium interim deſignârat. Ego perſpecta & coram, & per literas virtute, & doctrinâ *Ptolemæi*, lætus, ac lubens gratulabor viro inſigni veſtræ Societatis Præfecturam. Neque enim dubito, præclara privati conſilia in magiſtratu efficaciora fore.

Cùm non pauci egregii viri ex veſtro ordine, aliiſque laudabilem operam poſuerint in conciliandâ vetere, & novâ philoſophiâ, tecum tamen ſentio, quædam deſiderari adhuc, aliqua non rectè exponi. Nam *Honoratus Fabri* (cum quo aliquod juveni mihi commercium fuit) vir utique in naturæ quoque cognitione plurimùm verſatus (quod miratus ſum) nimiùm, & tamen non ſatis conceſſit recentioribus, aut aſſeruit ſcholæ. Nam arcem Peripati quam debebat tueri maximè, nempè Animas Brutorum, analogaſque illis Entelechias, unâ exceptâ humanâ, prodidit Adverſariis, dùm intereà exteriora quædam propugnacula longè ſemota, nec defenſionis patientia, nempè quaſdam gravitates ἀῤῥετίτους, quas tamquam primitivas

aſſum-

(*a*) Quadraginta quæ ſequuntur Epiſtolæ, cum nobis a D. *Gobet* humaniſſimè communicatæ fuerunt, quas ipſe in Bibliothecâ Collegii Jeſuitarum Pariſinorum invenit, eaſque cum originalibus Epiſtolis ad verbum contulit; *Vid. notam pag.* 265.

(*b*) Hæc epiſtola & plurimæ hujus collectionis ſequentes, Hildeſiæ, inferioris Saxoniæ Epiſcopatui; aliæ verò Coloniæ, vel Paderbornæ in Weſtphaliâ inſcriptæ ſunt.

Digitized by Google

aſſumſit velut gravitatem, & tenſionem magnâ curâ ſervavit. Cùm tamen in promtu ſit, ſalvâ ſummâ peripateticæ doctrinæ, utramque petere à motu inſenſibilis materiæ, corporumque raritatem, & denſitatem, (unde vis tenſionum vulgò elaſtica) ad inſtar ſpongiæ concipere animo, cujus ſpatia fluidum pervadit quod ægrè patitur conſuetos ſibi terminos mutari.

Te verò, Vir eximie, cùm rectum iter ingredi videam emendandæ, atque exornandæ philoſophiæ ad uſum ſcholæ, ut juventus non pœnitendis principiis imbuatur, etiam atque etiam (pro eâ quam mihi indulges libertate) hortari audeo, ne in re tantâ Reipublicæ, imò Eccleſiæ deſis, & Theologiam docenti ubique ſeſe offert philoſophia.

Pro curſu philoſophico ampliore, quem nunc non patitur tempus tuum, Breviarium Philoſophicum condi ſuaderem, quale olim *Euſtachius à S. Paulo* confecit: id Auditoribus Theologiæ tuis προχείρου loco foret, aliquando per typos & in cæteros iturum.

Fateor, me adoleſcentem etiam ſcholæ ſpinas attigiſſe non nihil præter morem noſtrorum, neque id feciſſe unquam pœnituit, & alioqui eo ſemper animo fui, ut mallem recepta emendari, quàm everti. Inde natæ ſunt mihi conciliatoriæ meditationes, quibus pro humanitate tuâ tantoperè faves, in quibus ad uſum transferendis, ſi quæ tibi occurrunt dubitationes, conabor ſatisfacere, aut certè ita exponere mentem meam ut pro acerrimo judicio tuo ipſe commodiùs de iis conſtituere poſſis.

Et jam nunc accedo ad quæſtionem quam proponis, an, & quomodo conciliari poſſit virtus activa creaturarum cum concurſu Dei immediato ad quamvis actionem creaturæ; nam hoc concurſu admiſſo vereris, ne virtus activa creaturæ redigatur ad meros terminos facultatis. Ego agnoſco, concurſum Dei ita neceſſarium eſſe, ut, poſita quacumque virtute creaturæ, non eſſet ſecutura actio, ſi Deus ſubtraheret concurſum. Sentio etiam, nec ipſam vim activam, imo nec facultatem nudam extituram in rebus, ſine concurſu divino; quoniam in genere ſtatuo, quantùm in rebus eſt perfectionis, tantùm à Deo perpetua operatione profluere. Non tamen video, quomodo hinc virtus ad facultatem redigatur. Nam in virtute activâ arbitror eſſe quamdam actionis, atque adeò concurſûs ad actionem divini exigentiam, (ut veſtri loquuntur,) quamvis reſiſtibilem, fundatam in legibus naturæ per ſapientiam divinam conſtitutis, quæ exigentia in nuda facultate non ineſt. Ex vi activa (quæ ſcilicet conatum involvit) ſive ex Entelechia ſequitur actio, ſi modo accedat concurſus Dei ordinarius. Ex facultate verò, accedente licet eo concurſu, qui requiritur ad virtutem, actio non ſequitur. Ita concurſus Dei, actioni creaturæ neceſſarius, qui ſufficit ad virtutem, non ſufficit ad facultatem, quia ſcilicet virtus ipſa, jam conſtituta fuit per anteriorem quamdam Dei concurſum, qualem non habuit nuda facultas.

In mea reſponſione aliquâ Cl. *Sturmio* datâ, Actiſque Lipſienſibus inſertâ reperies demonſtrationem, (ut mihi videtur) Geometricis parem, quæ oſtendit,

Digitized by Google

oſtendit, poſitâ, quam *Carteſiani* ſtatuunt, plenitudine rerum, & uniformitate materiæ, motuque ſolo accedente, ſemper æquivalentia ſibi ſubſtitui, perinde ac ſi tantùm rota perfectè uniformis circa ſuum axem ageretur, aut orbes concentrici ex materiâ perfectè ſimilari volverentur. Atque ita ſtatum unius momenti à ſtatu alterius momenti diſtingui non poſſe, ne ab Angelo quidem.

Ergo nec in phænomenis varietas exiſtere poſſet, adeóque præter figuram, magnitudinem, & motum, admittendas eſſe formas per quas diſtinctio apparentiarum in materiâ oriatur; quæ non video unde intelligibiliter peti queant, niſi ab Entelechiis.

Quæ olim ad *Ptolemæum* miſi per Canonicum Cathedralem Hildeſienſem Baronem *de Renſchemberg*, magna jactura boni publici immatura morte extinctum; ea nunc immerſa acervo ſchedarum ægrè reperirem. Venient tamen in manus digeſturo hanc molem, ut ſubinde facere ſoleo, faxoque ut videas, quamquam aliquid novi tibi vix ea dabunt.

Cùm Gallus veſtræ Societatis vir doctus, & ingenioſus quædam contrà meam explicationem conſenſus inter animam, & corpus objecerit, quod ſcilicet propriè non explicet ipſam unionem.

Reſpondi, conſilium mihi fuiſſe tantùm phænomena explicare; unionem autem neque ex numero eſſe phænomenorum, nec ſatis haberi deſcriptam, ut ejus interpretationem aggredi audeam. Hujus reſponſionis in Galliam miſſæ apographum tibi mitto, rogoque ut aliquando remittas, quia aliud non habeo.

Quod ſupereſt vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 2. *Feb.* 1706.

EPISTOLA II.

ALiquot diebus Guelferbyti & Brunſvigæ hæſi, inde ad vicinum Helmſtadium excurri, nunc iter Berolinum perſequor; atque inde antè anni exitum redire ſpero. Si qua tamen ad me deſtinentur, per Hanoveram recipiam: gaudebo & ſubinde à te diſcere quæ Res litteraria fert novi, præſertim in theologia, & φιλοσοφίᾳ.

Vidi non ita pridem ſcripta quædam R. P. *Temmen* Soc. veſtræ. Videtur à *Malebranchianis* ſententiis non abhorrere, & alioqui ultrà vulgus niti. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Helmſtadii* 13. *Novembr.* 1706.

EPISTOLA III.

PAulò ſeriùs gratiſſimæ tuæ ad me ſunt perlatæ. Diſcuſſio *Hiſtoriæ de Auxiliis* non ſpernenda erit, modò abſtineatur utrinque odioſis, quæ non ædificant, ſed deſtruunt.

De Infallibilitate Eccleſiæ in rebus facti doce me, quæſo, aliquandò. Ego enim fateor, me ſemper *Bellarmini*, & aliorum ſententiam magis pro-

probaſſe, qui ipſa Concilia generalia in eo genere labi poſſe putant, & nollem commodis præſentibus, affectibuſque doctrinas in poſterum pœnitendas dari. Imponere omnibus, ut in rebus ejuſmodi de interiore aſſenſu jurare debeant, iniquum arbitror, cùm ille hic non ſit in poteſtate, nec adſint, quæ ſufficiant ad perſuadendum. Eccleſiæ autoritas, (quam ego, ſi juſtis limitibus contineatur, venerandam arbitror) perinde ac Principum, non augetur abuſu, & prolatationibus nimiis, ſed tandem etiam intra æquum periclitatur, quod experientia plus ſemel docuit. Utinam præclari homines, & in veſtro ordine, & alibi paſſim, vel ponerent, vel coercerent hos affectus, quibus non raro boni viri gravantur. Ego nec Sorbonicorum in veſtros acta nupera, nec veſtrorum in *Janſenii* memoriam laudare poſſum; & damnatas propoſitiones naſi cerei ſimiles puto, cùm nemo neſciat quàm variè poſſibilitatis, neceſſitatiſque nomina accipiantur.

Quæ inter nos acta ſunt per literas de philoſophicis rebus, non puto communicationi in publicum qualicumque apta eſſe, divulſa ſcilicet, nec in ſyſtema collecta, quale a te ſperabam. Tibi ea, ſapienti ſcilicet, non quibuſvis ſcripſi, itaque minimè conveniunt Novis Trivultianis ad popularia magis deſtinatis. Et ſpero te, pro tua erga me benevolentiâ, non permiſſurum ut tam alieno loco prodeant.

Ipſos Trivultianos Collectores, viros quidem eleganter doctos, rogandos putem, ut inter recenſendum malint indicare quæ eximia, aut profutura extent in libris, quàm quæ vana, aut ſpernenda. Humana mens in ſatyram, & contemtum aliorum prona eſt. Huic lectorum vitio nolim indulgeri, præſertim à viris religioſis. Vir aliquis bonus, & doctus magno ſtudio opus elaboravit, & in bonum publicum horas ſuas impendit: præmium inde nullum expectat aliud, quàm laudem. Cur nos benè animato malum reddemus pro bono, & contemtu & riſu (ſi quà fortè lapſus eſt) hominem ad pœnitentiam laudabilis facti adigemus? quod ſi qua moneri operæ pretium ſit, hoc velim ita fieri, ut autor ſibi de noſtrâ cenſurâ gratuletur.

Non multa in literis nova habeo. Nuper ad me relatum, inſcriptionem Romanam in Sileſia repertam, quod oppidò rarum eſt. Nam Romani nunquam in Quadis, aut Lygris, aut Marcomannis ſedes habuere. Potuit captivo poſita eſſe ab amico ſimiliter capto, uti memini Turcam Hanoveræ epitaphium Turcicum ſocio captivitatis erigere.

Suaſi, ut obſervationes nonnullæ Berolinenſes edantur, præſertim cùm ſint aliquæ eorumdem phænomenorum, quæ in Obſervatorio regio Pariſino notata ex Commentariis Academicis anni 1704. didici.

In Anglia prodiit deperditus hactenùs *Apollonii Pergamæi* labor de ſectione rationis, in Arabico manuſcripto à celeberrimo quondam viro *Eduardo Bernardo* obſervatus, nunc ab alio præſtantiſſimo Geometrâ *Edmundo Hallejo* erutus.

Cl. *Hartſoekerus* Batavùs conjecturas ſuas phyſicas nuper editas ad me miſit, quibus

quibus novum ſyſtema tentat, vel potiùs ante paucos annos publicatum proſequitur. Multa habet ingenioſa, ſed profundius adhuc latent interiora naturæ, quàm ut certas rationes effectuum compoſitorum in hac philoſophiæ infantiâ ſperare fas ſit.

Ptolemæo gratulor quietem: ſi munus ſuſcepiſſet non tam ipſi, quàm Ordini veſtro gratulandum fuiſſet. Nunc magnum opus *Bellarmini* renovati, & aucti ab ejus doctrinâ & ingenio ſpero. Nec dubito acerbiora Bellarminiana, bella, arma, minas, temperaturum, daturumque operam, ut veritatis, & fructus potiſſimum rationem habuiſſe judicetur.

Ubi Hanoveram reverſus fuero, quod mox fiet, faciliùs ad commercia literaria aliquid conferre potero. Intereà vale, & ſave. *Dabam Berolini* 1. *Feb.* 1707.

EPISTOLA IV.

MAgnâ ſpe decidi, non ſecuto adventu tuo. Mitto ecce tandem librum *Thomæ Bonartis*, expectoque ut, ubi vacaverit, ſententiam aliquandò tuam mihi de eo exponas. Sed imprimis nomen viri, & fortunam beneficio tuo noſſe optem.

Exſcriptor noſter ſophiſtam non ineptum egit, vetuſtior Codex non deſcribendi, ſed deſcribentem juvandi cauſâ additus erat. Nolo tamen rigidè uti jure meo. Itaque ubi deſcriptionem abſolverit, dabitur adhuc, quod jam deſcripti pretio proportione reſpondeat, quod ex numero foliorum abſolutorum, & reſiduorum æſtimari poteſt.

Verſus ſatyrici, quos miſiſti, non ſunt inelegantes. Rectè-ne an ſecùs ad Rempium applicentur, non dixerim, nec noſſe curo. Neque enim ſcripta ejus polemica legi, aut lego.

Hartſoekerus, cujus opiniones ex R. P. *Orbani* literis memoras, videtur mihi ita ſentire, ut hodie multi Eruditorum in Batavis ſolent. Ingenio non caret, ſed de pleriſque phænomenis naturæ judicat tumultuariè, ut ſic dicam, quâdam condendi ſyſtematis phyſici ambitione; cui noſtræ notitiæ nondum ſunt ſatis maturæ. Prætereà profundior Matheſis pariter, & Metaphyſica (ni fallor) non eſt ad ejus palatum.

Ignoſce, quæſo, quòd elegantem librum inſcriptum: *Eſprit des nouveaux Diſciples de St. Auguſtin*, nondum remitto. Impedimenta intervenerant, quominùs lectionem abſolverent: faciam tamen quàm primùm.

Gratias ago quòd excerptum *Pereſii* ſanè ingenioſum mihi miſiſti. Optimè judicavit *Pereſius*: incrementum caritatis novum, quod ipſa meretur caritas non eſſe ejuſdem cum ipsâ dimenſionis. Si fuiſſet verſatus in eo calculo infiniteſimali, dixiſſet incrementa eſſe infinitè parva, vel infiniteſima, reſpectu caritatis, quæ ea meretur. Notandum eſt cùm incrementa in gravibus deſcendentibus quovis momento ſint æqualia, hoc loco, caritatis incrementa eſſe ipſamet continuè creſcentia. Nam major

caritas etiam majus meretur augmentum. Itaque lineam, quæ velocitates navis ad quodvis temporis momentum repræſentat, eſſe rectam; ſed lineam, quæ caritates completas quovis momento acquiſitas repræſentaret (fingendo augmentum non interruptum) fore curvam, cujus conſtructio penderet ex Logarithmis.

Sæpe dixi ad eos qui non niſi recentioris philoſophiæ ſectatores probant; non eſſe prorſus ſpernendos ſcholaſticos, ſæpeque in eorum luto aurum latere: ut adeò operæ pretium ingens ſacturus ſit, qui ſelecta indè in uſum publicum aliquando congereret.

Doleo deeſſe Theologiæ, & Philoſophiæ Scholaſticæ Hiſtoriam, & vellem oriretur aliquando qui, ut *Petavius*, & *Thomaſinus* de Dogmatis Theologicis cepêre ex Patribus, & Scholaſticis, itá Hiſtoriam dogmatum ad noſtra uſque tempora abſolveret.

Nanciſceremur, nihilne ampliùs de *Ptolemæo* veſtro intelligimus?

Quod ſupereſt vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 24. *Febr.* 1707.

Inſtantem annum cùm multis aliis fauſtum & felix precor.

P. S. Nuper forte inter ſchedas occurrit, quod mihi communicaſti ex chartis *Monglerii* Heinigenſis. Equidem multas tibi eo nomine gratias debeo; ſed, quod ibi narratur, haud dubie fictitium eſt, & ab omni Hiſtoria alienum.

Suppoſitiones ejuſmodi fecerunt, ut quidam etiam de genuinis dubitent, quemadmodum hypocritæ faciunt, ut multi nullum ſincerè pium credant. Hoc vitio laborat *Gennonius* cum ſuis Trivultianis amicis, qui omnia diplomata Carolinæ Familiæ videtur rejicere: In quo valdè excedunt menſuram boni Critici. Ego ipſe nuper Caſſellis genuinum *Caroli M.* diploma vidi datum ſecundo Imperii anno.

EPISTOLA V.

QUas Berolino ad te dedi Literas reſponſorias, rectè ad te perlatas puto. Ego autem huc reverſus, miſſu Reverendi Patris *Cuniberti*, accepi quæ ad me deſtinaſti, eoque nomine ago gratias, & ut libri veſtri ritè reddantur, ſedulò curabo.

Cauſa Queſneliana, & Gerberoniana non parum ad rem litterariam noſtri temporis illuſtrandam facit. Interim doleo, ob controverſias non maximi, ut mihi quidem videtur, momenti, tantis odiis inter viros doctos, addo & bonos non rarò, ſed præjudicatis ſententiis occupatos, certari. *Gerberonio*, & ſimilibus optem reddi libertatem; idque à veſtris curari. Ipſa infelicitas, & miſeratio viris inſignibus autoritatem tribuit. Vobis contrà ea generoſitas novos plauſus apud bonos, & intelligentes mereretur. Vale & fave. *Dabam Hanoveræ*, nuper Berolino, & Lipſia redux, 23. *Junii* 1707.

Digitized by Google

EPISTOLA VI.

NUperas meas tibi rectè redditas puto. Nunc in mentem venit quærere num ſint apud vos juvenes, quibus aliquid deſcribendum commodè committi poſſit linguâ Latinâ, Gallicâve. Apud nos ſunt quidem non pauci etiam Gallicæ linguæ periti, ſed ad ſcribendi laborem parum propenſi. Habeo autem Codices manuſcriptos Latinos, Gallicoſque, quos impetravi cum exſcribendi facultate: & ſi quis librarius ex ſententia ſeſe offerret, ante omnia commiſſurus eſſem *Hodoeporicon* opus, quo omnia *Caroli V.* Imp. itinera ad vitæ uſque exitum à perpetuo ejus comite, Gallicâ linguâ deſcripta continentur.

Codex eſt ſcriptus elegantiſſimè, & diſtinctiſſimè, ut qui modò linguæ peritus eſt, difficultatem in exſcribendo invenire nullam poſſit.

Itaque rogo, ut facias mihi hanc graiiam, inquiraſque, an ſit quo uti, tolerabili conditione, liceat.

Intereà vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 18. *Auguſti* 1707.

EPISTOLA VII.

QUas adjectas vides, literas ad R. P. *Janningium* curari peto, at pro tuâ curâ gratias repeto. Manuſcriptum Ramanſianum exſcribitur, ut, ſi opus, remitti poſſit.

Spero juvenem tuo beneficio comparatum, ſtrenuè ſeſe ad deſcriptionem accincturum; Non erit cur prolixa nimis ſcriptione oneret chartas, nam in minore codice plagulæ non ſunt plures quàm circiter 75.

Famulus meus dixit, te neſcio cujus libri tranſmittendi mentionem feciſſe; is qualis ſit non benè memini. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 11. *Octob.* 1707.

EPISTOLA VIII.

NUperas meas cum incluſis ad R. P. *Janningium* rectè ad ſe perlatas non dubito, & ſpero te, pro ſumma humanitaie tuâ, & ergà me benevolentiâ, non ægrè laturum, quod ſubinde ad te recurro; itaque etiam rogare auſus ſum, ut apud Juvenem ſcribam ἐργοδιώκτης eſſe velles. Nunc rogo, ut has, quas adjeci, literas ad R. P. *Orbanum* curare velis; quem ſpero adhuc valere, & Sereniſſimi Electoris Confeſſarium agere.

Eſt apud Nos Seren. Dux Welferbytanus, qui nudius tertius die ad veſperam inclinanie improviſus Herrenhuſam venit, eum conſecutus eſt Curſor Viennâ veniens, qui Principem *Elizabetam* nunc demum ſolemni functione ſponſam Regis *Caroli* declaratam attulit. Cùm Legatus Hiſpanicus, ſimulque Ablegatus extraordinarius dona Regis ferens, ab e1 in conclavi Imperatricis regnantis, quæ matris vicem agebat, auditus fuiſ-

ſet; ajunt Hiſpanico ſermone reſpondiſſe nativo lepore tamquam inter Hiſpanos ab infantiâ egiſſet. Dies itineri nondum conſtitutus eſt.

Reverendum Patrem, qui, te præſente, mihi libellum ſuum dabat, rogo à me ſalutes. Legi eum, & viſus eſt ſcriptus Latinè, & eleganter. Vellem acerbitas abeſſe poſſet ab his ſcriptis; nec video cur non poſſit. *Fac enim adverſarios moderatione non uti, erit ſolida laus ejus, qui utetur.* Cæterùm Beata Virgo apud nos apologiâ opus non habet.

Quod ſupereſt, vale & me ama. *Dabam Hanoveræ* 31. *Octob.* 1707.

EPISTOLA IX.

INveni *Thomæ Bonartis* Nordtani Angli (ut ſe vocat) concordiam ſcientiæ cum fide, eamque mox tranſmittam. Volo tamen ipſe priùs percurrere obiter, ut ſententias ejus non nihil recolam animo. Ingenioſus eſt, & in dicendo non inelegans, ſed paradoxologus, & habet non pauca, quæ ferri nullo modo poſſunt; ex quibus illud eſt, quod futurorum contingentium conditionalium cognitionem ipſi Deo adimit. In Scholaſticos perpetuò, nec ſine acerbitate, declamat. Itaque non miror, ſi malè acceptus eſt, ubi hoc Theologiæ genus dominatur.

Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 29. *Novembris* 1707.

EPISTOLA X.

NIſi certa ſpe niterer, te his feſtis diebus apud nos futurum, mihique ejus temporis lætitiam eſſe auctorum, jam dudum tranſmiſiſſem veſtri *Thomæ Bonartis* Nordtani Angli concordiam ſcientiæ cum fide, plenam doctrinæ & ingenii, ſed tamen & plenam paradoxorum, quæ autori nocuiſſe non miror. Vellem autem verum ejus nomen reſciſcere jam liceret.

Cæterùm à te etiam atque etiam contendo, ut has ad R. P. *Orbanum* Literas, ſub operculo tuo, Duſſeldorpium mittere velis. Juvenem exſcriptorem ſpero penſum ſuum jam ferè abſolviſſe. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 19. *Dec.* 1707.

EPISTOLA XI.

CUm nuper ante feſtum omnes angulos excuti curarem ordinandarum regularum cauſa, ecce minimè expectanti amplius offert ſe Tomus libri tui, quem deſideraveram diù, quæſiveramque tam anxiè quàm fruſtrà. Itaque remitto totum, id eſt tres tomos, & veniam infelicis moræ peto.

Puto etiam me adhuc in ære ſcribæ eſſe, quem mihi procuraveras, itaque, ut negotio defungar, duos thaleros pro illo adjungo; rogoque ut, numeratis illis, hominem abſolvas. Quod ſupereſt, vale & me ama. *Dabam Hanoveræ* 5. *Aprilis* 1708.

EPISTO-

Digitized by Google

EPISTOLA XII.

IMminente Paſchali feſto nuper ad veſtros hic degentes miſi faſciculum, in quo tres tomos libri Gallici *de ſpiritu novorum Diſcipulorum S. Auguſtini*, cum multa gratiarum actione, ad te remiſi. Simul addidi, quod juveni deſcriptori adhuc deberi poſſe videbatur. Aiebant veſtris expectari aliquem ex collegio veſtro Hildeſenſi, per quem faſciculus curandus eſſet; Id ritè factum ſpero, gratiſſimum tamen erit ex te hoc intelligere, ut ſim extra metum. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 3. *Maii* 1708.

EPISTOLA XIII.

INclyti *Ptolemæi* veſtri literas plenas rerum egregiarum recepi, &, ut par eſt, reſpondebo. Ejus naturæ eſt commercium noſtrum, ut non inſtar novellarum publicatum, irritum ſit, niſi ſit recens. Idem dixerim de literis quas cum R. P. *Orbano* commuto, ad quem adjunctas mitti peto.

Rogo ut *Thomæ Bonartis* Nordtani Angli memineris. Utinam ſcilicet verum ejus nomen ex Patribus veſtris diſci poſſit. Pro P. *Temmigk* notitiâ neſcio an gratias egerim.

Continuantur-ne adhuc Novellæ Trivultianæ? Dudum earum nihil vidi, aut in Batavis excuſum intellexi.

Vale, & me ama. *Dabam Hanoveræ* 14. *Junii* 1708.

EPISTOLA XIV.

DN. *de Vignolles* Gallus vir eruditus, & in Hiſtoriâ imprimis, & Chronologiâ benè verſatus, ad me ſcripſit Ultrajecto, ubi nunc verſatur, eſſe ſibi conſilium in itinere adeundi Coloniam, & diſpiciendi an illic Manuſcripta quædam conſulere poſſit, petitque à me commendationem ad aliquem fortè in illâ urbe amicum. Sed mihi nunc nemo Coloniæ notus eſt, ad quem de tali re ſcribere poſſim: itaque ad tuam benevolentiam confugio, petoque, ut virum alicui commendes, qui utilis ei eſſe poſſit, ac mihi nomen amici tui mox ſignifices, ut proxima die Veneris perſcribere ad *Vignolium* poſſim.

Nuperas meas, cum incluſis ad *Orbanum*, tibi redditas puto.

Diù nihil Trivultianarum recenſionum vidi; nam in Batavis omiſſa (an interrupta) earum iteratio eſt. Quo res ſit loco, tu optimè noris.

Harduino veſtro ajunt mandatum à ſuperioribus, ut ſive revocet, ſive interpretetur quæ viſus eſt contrà veterum plerorumque genuinitatem dixiſſe. Id factum ſapienter; jam enim Paradoxa ejus (ut molliſſimè appellem) in veſtri ordinis invidiam, etſi non jure, à quibuſcumque vertebantur; præſertim cùm ſimul *Germonius* veterum Tabularum ante *Capetinos* auctoritatem oppugnare videretur. Vale. *Dabam Hanoveræ* 2. *Julii* 1708.

Digitized by Google

EPISTOLA XV.

GRatias ago, quòd amico Colonienſi Cl. *Vignolium* commendare voluiſti, idque ipſe *Vignolio* ſignificavi.

Mittam tibi primum volumen Collectionum mearum, RR. PP. Antverpienſibus deſtinatum, quando vereor, ut alterum (quod adjungere ſperaveram) proximis nundinis autumnalibus prodeat.

Incidit nuper in manus meas vita viri illuſtris *Goberti* Comitis de *Aſperomonte*, ſanctitatis famâ ſuo tempore clari, quam ſi deſiderant clariſſimi viri, qui acta Sanctorum mittunt in publicum, faxo ut in uſum eorum deſcribatur. Credo enim, rectè facturos, ſi non eos tantùm memoriæ commendent, qui honores obtinuere, ſed etiam qui meruere.

Papebrochium vivere adhuc, & valere ſpero; & hunc, & *Janningium*, & adjutores, à me ſalutari peto, & velim nomina diſcere adjutorum inter ornamenta haud dubiè Societatis veſtræ numerandorum.

Fateor, & doleo, eos qui nunc florent, mihi non ſatis eſſe notos.

Baunium arbitror Pariſiis excellere in Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cultu, quoniam ejus curâ prodiit operum *Sirmondi* editio.

Danielem veſtrum nunc in Hiſtoria Francicâ edenda occupari accepi.

Oſtendit ſeſe ad omnia verſatilem, qui nunc Philoſophiam contra *Carteſium*, nunc Theologiam contra Dominicanos, & Iprenſes *Auguſtini* ſectatores; nunc etiam Hiſtoriam eleganter tractat.

Auctor, credo, habetur libri *de ſpiritu diſcipulorum novorum S. Auguſtini*, quem mecum communicaſti: eum librum audio in Galliâ cenſuram paſſum. Et certè eſt, ni fallor, paulò mordacior, & ex muſcâ facit elephantum; nam lites illæ de neceſſario, & poſſibili, vel impoſſibili, quæ utramque controverſiæ paginam faciunt, plerumque, ſi intentiùs examines, in logomachias deſinunt; & tam variè verba accipiuntur ab hominibus, ut nec quis ſit ſenſus obvius, nec quis intentus facilè conſtet.

Rogo, ut, datâ occaſione, de *Thomæ Bonartis* vero nomine inquiras, quem penè ignotum miror, cùm ſcriptor fuerit elegans, & acutus. Vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 13. *Jul.* 1708.

EPISTOLA XVI.

GRatias adhuc perſolvere debeo, idque nunc facio, quod in mei gratiam Cl. *Vignolium* Gallum virum doctum amico Colonienſi commendaſti.

Urgeo ſtrenuè opus mearum Collectionum hiſtoricarum, & ſpero nundinis Michaëliticis abſolutum iri, ut Patribus Antverpienſibus, excellentibus viris, mitti poſſit, quibus plurimùm debeo, debetque ob hoc ipſum opus Reſpublica.

Har-

Digitized by Google

Harduini opera pleraque omnia in Batavis recudi rectè tibi nunciatum eſt. Multa mutavit, ſed plerorumque judicio non in melius; intereà multùm ubique ſpargit doctrinæ, & paradoxo etiam ſuo prodeſt literis, dùm cogit Criticos cogitare de demonſtrandis artis ſuæ fundamentis, id eſt genuinitate autorum veterum, cui omnes ſecurè innitebantur.

Addita ad R. P. *Orbanum* curari peto. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 30. *Julii* 1708.

Nuper diſputator quidam Wittembergenſis theologus, novum ſcriptum R. P. *Temmigk* refutare voluit. Neutrum vidi.

EPISTOLA XVII.

Abſens aliquamdiù, & diſtractus, paulò ſeriùs reſpondeo, eoque nomine veniam peto, ac ne nunc quidem omnibus epiſtolarum tuarum argumentis ſatisfacio. Adm. R. P. *Orbani* literas etiam noviſſimè accepi. Gaudeo, eſſe tibi cum adm. R. P. *Turnemino* commercium, ingenio, doctrinâ, cæteriſque etiam laudibus cumulato. Puto, ad eum, tuo favore, perveniſſe ſchedam meam, quâ ad notationem ejus circa unionem animæ, & corporis, meæ hypotheſi non nihil oppoſitam, reſpondi; undè intelliget, me per Harmoniam præſtabilitam explicare phænomenorum conſenſum, ſed non ideò negare metaphyſicam unionem ſuppoſiti, quæ altioris eſt indaginis, & per phænomena explicari nequit, ſed & viciſſim phænomenorum rationem non reddit.

Petii autem ut Diario Trivultiano declaratio illa mea insereretur, ſi fieri poſſet commodè. An factum ſit, non intellexi.

Domino *Blondello* in adjuncta ſcheda ut par eſt reſpondeo, & R. P. *Turnemino* gratias ago, quòd hanc mihi à viro docto humaniſſimam, etſi non neceſſariam, excuſationem procuravit.

Dn. *Eccardus*, ex quo Helmſtadium vocatus eſt, in ſuis ad me literis ſe occupatum queritur, nec commercio literario ordinario vacare poſſe. Cùm priùs ſecretarium meum ageret, diarium Eruditorum Germanico ſermone non ſpernendum componebat, & ſubinde ad Gallos ſcribebat. Eſt mihi cum Dño *Menckenio* filio, Patris in Actis Lipſienſibus edendis ſucceſſore, notitia, videbo an cum eo commercium literarum R. P. *Turnemino* parare poſſim, ſi nondum habet, quamquam & de Dno *Eccardo* amplius editam.

Gratus eſt mihi *Ailеſio* Societatis veſtræ, quem indicas, locus in Metaphyſica ſcholaſtica 1675. edita, extans. Mirarer ſanè, ſi nemo contemporaneorum paradoxa ejus attigiſſet.

Cogito de aliquo ſchediaſmate pro diario Trivultiano, quando ità favent. Nunc ſignifico, à me edi *Roſwitæ* celeberrimæ poetricæ, & Sanctimonialis Gandelshemenſis amiſſum hactenùs carmen, nuperque è tenebris erutum, de fundatione Gandelshemenſis Eccleſiæ, quod ad Hiſtoriam quædam non ſpernenda docet. Biennio abhinc opera *Roſwitæ* à *Conrado Celta* circiter

Digitized by Google

circiter ducentis abhinc annis edita, Witebergæ, cura Comitis *Schurzfleiſchii* ſunt recuſa, ſed nunc illud carmen adhuc deſiderabatur. Itaque inſerendum duxi tomo ſecundo meæ collectionis Scriptorum Brunſvicenſia illuſtrantium. Tomum primum per Belgam, quem memorabas, aurigam Brunſviga ad Antverpienſes miſiſſem, ſi illum Brunſvigæ in nundinis expiſcari potuiſſem. Nunc *Forſtero* Bibliopolæ noſtro dedi in mandatis, ut Bibliopolæ Colonienſi, inſtantibus nundinis Francofurtanis, conſignari exemplum curet.

Etſi mihi Beati, ac Damnati aliquem libertatis gradum retinere videantur, nempe ipſam contingentiam, ſeu non neceſſitatem, unde illi adhuc laudabiliter, hi culpabiliter agunt; haud dubiè tamen plus eſt in viatoribus (quos vocant) variabilitatis, cum in Beatis major ſit vis rationis, in damnatis major vis pravi affectûs. An autem *Janſenius* hoc diſcrimen tollat inter viatores, & confirmatos noſſe velim: ſolet ipſe libertatis, & neceſſitatis vocabula longè aliter, quàm ſcholæ, accipere. Mihi interim ſcholarum magis, quàm ipſius, formulæ probantur.

Domina Comitiſſa *de Bukeburg* mihi nuper legendum dedit librum novum inſcriptum: *la ſuite du Comte de Gabalis, ou Nouveaux Entretiens ſur les Sciences ſecrettes, touchant la nouvelle Philoſophie.* Ibi Carteſiani ſalsè, & ingenioſè irridentur, tamquam qui philoſophiam probent maximè religioni adverſam, ut major, (ſi Diis placet) ſit triumphus fidei, quomodo & *Baylius* paſſim ratiocinari videtur.

Cùm olim Berolini totam penè æſtatem cum Reginâ agerem, curioſâ lectrice Baylianorum, ac ſimilium operum, & meditationibus delectata, pleraſque difficultates, quas *Baylius* contra religionem movet, primùm inter colloquendum, deinde, invitante Reginâ, annotationibus ſuſtuleram. Eas ut in ordinem redigerem petiere amici. Feci, & nunc recenſeo, & videbo an tibi legendas dare poſſim ante diſceſſum tuum. Libenter enim etiam veſtrorum fruor judicio, ſed tuo imprimis, cujus eruditio facit, ut poſſis, benevolentiâ erga me, ut velis in meis examinandis ritè verſari. Etſi enim non diſſimulem cujus ſim partis, libenter tamen ita ſcribo, quantum licet, ut veſtros à ſententiis meis circa res, quæ controverſias noſtras non tangunt, abhorrere neceſſe non ſit.

Scire velim an R. P. *Edez*, quem Rex Chriſtianiſſimus Patri *de la Chaiſe* adjutorem dedit, is ſit qui aliquamdiù olim Argentorati egit, & libros etiam de religionis controverſiis edidit?

Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ 3. Septembris* 1708.

EPISTOLA XVIII.

Heſternas meas ſatis prolixas acceperis cum adjectis; nunc iterùm ſcribo, & additas ad R. P. *Orbanum* curari peto. Is iter fecit in ſuperiorem Germaniam, ibique thermis uſus eſt; atque indè incolumis rediit.

Oblitus

Oblitus ſum de Chronoſtichis dicere in Reginam Luſitanam, quæ appellantur extemporaneæ, id mihi mirum viſum eſt. Ego certè vix multis diebus tale quid conficerem. Eſt magna in his *Rempii* facilitas, ſed quantum video, qui hæc fecit, ei non cedit. Poſſit uſum habere talis labor ad hiſtoriam univerſalem, & ſimilia. Itaque Autorem noſſe velim. Vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 4. *Sept.* 1708.

EPISTOLA XIX.

GRatias ago pro Orbanianis curatis: ſed magis etiam, quòd indicaſti ex veſtris viros doctos, & ingenioſos, qui meis ſententiis conſpirare videntur. Meæ certè ita & cohærent inter ſe, ut nullus annulus, ſalvâ catenâ, avelli poſſit. Ex ipsâ conſideratione *Mundorum poſſibilium*, & Electione Dei conſequitur eum & optimum elegiſſe, & uno Decreto, cujus ſcilicet objectum eſt Mundus electus. Mundi autem nomine intelligo totam ſeriem rerum in æternum procedentem, nempè à parte poſteriore, ſeu in futurum; quæ non eſt Creatura, ſed aliquod infinitum, & quaſi aggregatum; Creaturam autem aliquam perfectiſſimam non dari poſſe concedo.

Martini Eſparſæ, & *Antonii Pereſii* veſtrorum quædam vidi olim adoleſcens, & ingenioſa deprehendi. Sed nunc poſt tantum temporis intervallum non ſatis memini quænam illa ſcripta fuerint. Memini & me videre olim quædam ſcholaſtica *Sfortiæ Pallavicini* tandem Cardinalis, quæ mihi profunda, & ingenioſa videbantur, etſi interdum paulo perplexiora. Memini etiam luſtrare librum P. *Derkenii* de Deo, in quo libro non vulgare ingenium emicare videbatur. R. P. *Salernum* noſcere pergratum erit.

Cogito quædam de ſententiis meis mox perſcribere ad R. P. *Ptolomæum*, ut ipſius quoque judicio fruar.

Scriptores populariter loquentes non raro infallibiliter determinatum cum neceſſario proprie dicto confundunt; unde fit ut aliquandò duriùs loquantur, quàm ſentiunt.

Pergrata ſunt vera nomina Virorum doctorum, qui nuper controverſias in Belgio, Galliaque circa libertatem, & gratiam tractavere.

Rogo ut *Bonartis* veſtri meminiſſe velis, quò verum ejus nomen ex Patribus Anglis Leodii, aut in Belgio verſantibus, diſcamus. Meretur profectò vir doctus, & ingenioſus, ut memoria ejus non intercidat.

Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 2. *Octobris* 1708.

P. S. Memini veſtrum *Franciſcum de Lanis* alicubi, uti inter medios *Ariſtotelis* interpretes nullum *Thomæ Aquinati*, ita inter recentiores nullum *Sylveſtro Mauro* ex veſtrâ ſocietate præferre: Itaque quis ille, & quæ ejus ſcripta, diſcere optem.

De virtutibus aut bonis actibus Paganorum ità ſentiò. Multas eorum, quæ ad ſummum bonum non diriguntur, actiones nihilominùs formaliter,

ut ſic dicam, bonas, & innocuas eſſe; ita tamen ut omnes ſint culpæ cujuſdam tincturâ, ſed virtuali tantùm ratione, infectæ. Eo planè ſenſu, quò intentionem virtualem tribuitis Sacerdoti conſecranti, etſi in momento ipſo Conſecrationis fortè alia cogitet; & quomodo veſter *Fridericus Spee* elegantiſſimo libello modum docuit indeſinenter laudandi Deum; ſi nempè ſemel, feriò, ac fortiter huc dirigatur animi intentio, ut omnia in poſterum, aut etiam quædam peculiariter in hoc deſtinata decernamus agere ad gloriam Dei, aut reddere ſignificativa divinæ laudis, atque hæc, ut ita dicam, Proteſtatio, data occaſione, ſubinde pari animi firmitate expreſsè repetatur. Nempe philoſophi alicujus, vel Herois veteris Ethnici actio poterit eſſe tam bona, ut, quæ ipſi inſunt formaliter, ea omnia ſine culpâ ullâ eſſe poſſint in homine Chriſtiano quàm maximè pio. Sed hoc deerit virtuale, ſive magis intentionale, & imputativum, quod Ethnicus ille non anteà direxit intentionem ſuam in ſummum bonum, cæteraque huc referre decrevit; Chriſtianus verò verè pius hoc fecit. Itaque ut alias quaſdam actiones intentio virtualis commendat, aut reddit efficaces, ita continuatio intentionis indebitæ inficit actiones & vituperabiles reddit. Quantus tamen ſit is gradus culpæ, vel certè imperfectionis, ex gradu malitiæ, vel culpæ, & vincibilitate vel erroris, vel ignorantiæ, æſtimari debet, & quatenùs ei pœna debeatur divino judicio relinquendum eſt.

Hæc adjeci quod literas jam ſcriptas mittere diſtuliſſem, ubi diſceſſum tuum ex Dño D. *Behrenſio* intellexi, cui eas deſtino, ejuſque judicio relinquo, utrum ſervatas in reditum tuum, an tibi tranſmittendas cenſeat.

EPISTOLA XX.

GAudeo te ſalvum rediiſſe domum, gratias etiam ago quòd Hiſtoriam *Bonartis*, vel *Bartoni* Angli ſocietatis quondam veſtræ ſcriptoris, eruiſti & mecum communicaſti. *Pereſii* etiam, *Eſparſæ*, *Sfortiæ Pallavicini*, *Sylveſtri Mauri* egregiorum inter veſtros Virorum labores noſſe pergratum fuit. Partem librorum, quos memoras, vidi olim, & inter hos librum *Derkenii de Deo*.

Gratias ago, quòd mihi Bibliopolam Editorem procurare ſtudes. Videre memini Leodienſes typos, & perplacent; nec diſplicet Editor. Unam conditionem exigo, ut centena minimum exempla mihi mittat; cogar enim paſſim diſpergere inter amicos magno numero; nolimque redimere ſæpius proprium opus. Tibi non tantùm omnia hujuſmodi libenter communico, ſed etiam judicio tuo utiliter fruor, nec diſplicet, quod de infectione actuum virtuoſorum ab infidelibus exercitorum ſtatuis: & malim hac in cauſa inclinare ad partem humaniorem.

Scripſi hodie ad R. *Protam* Confeſſarium Regis *Auguſti* (quem nuper Lipſiæ vidi) & quæſivi de R. P. *Salerno*, quem laudas.

Binas

Digitized by Google

Binas à viro inſigni Dño *Behrenſio* accepi litteras, ſed ambas veteres, perinde ac tuas: ſed prius reſpondere non licuit, quia tum demum acceſſivi totam litterarum ad me deſtinatarum molem, cùm huc appuli. Ipſi reſpondebo proximis Tabellariis; interea ſalutem officioſiſſimam ei à me nuntiari peto. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Berolini* 2. *Febr.* 1709.

EPISTOLA XXI.

ANte ſeptimanas complures literas ad te reſponſivas dare memini, quibus, difficultatibus non nullis philoſophicis ſatisfacere conabar. Redditas non dubito; an ſatisfecerint, pro parte ſaltem, ſcire aveo.

A R. P. *Protâ* Smi. Regis *Auguſti* Confeſſario literas accepi, quibus ſpem facit P. *Krokanem* in Germaniam venturum credo ut iter per *Moſchos* tentet ad Sinas, *Grimaldi* exemplo, & Aprilis, ſed quibus non ſucceſſit: nunc favore *Auguſti* Regis plurimum poterit, ut aditus detur ab Autocratore Ruſſorum.

A R. P. *Janningo* literas accepi, quibus nunc reſpondeo, rogoque, ut ſolito favore reſponſorias his incluſas reddi cures. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 9. *Julii* 1709.

EPISTOLA XXII.

IN ſchedis meis reperi, quod anno (ſi bene memini) ſuperiore, curſorio calamo, annotaveram, occaſione oblatâ, circa Sinenſium cultum, religionemque. Hoc (quia deſcribere nunc non vacat) legendum tibi mittere volui, petereque, ut remittas, quando tibi commodum fuerit.

R. P. *Bouveto* ſuaſi olim, ut perſpecto invento Arithmeticæ Diadicæ in Fohianis figuris latente, faceret ut Miſſionarii uterentur tam plauſibili argumento ad oſtendendum Imperatori, & Sinarum ſapientibus adumbratam antiquiſſimis creationem, ſeu originem rerum ex unitate & nihilo. De cætero me ad priores refero. Vale, & fave. *Dabam Hanoveræ* 12. *Aug.* 1709.

EPISTOLA XXIII.

GRatias ago pro tranſmiſſis: E re erat, ut R. P. *Janningius* ex Bibliopolâ Colonienſi quæri curet, an non librum receperit? Si negat, curabitur, ut admoneatur officii, aut certè defectus ſupplebitur.

Aiunt, te non diù in his oris permanſurum; id parum lætus audio, etſi dudum ſuſpicatus, manere te meliora loca.

Mitto hic partem opuſculi mei jam editam, rogoque, ut lecta cum judicio tuo ad me remittas, nondum enim aliud exemplum habeo. Quod ſupereſt, vale, & fave. *Dabam Hanoveræ* 27. *Septemb.* 1709.

Digitized by Google

EPISTOLA XXIV.

QUantum te nobis elapſum doleo, tantum te iter ex ſententia peregiſſe, & alibi etiam florere, gaudebo. Liber *Bonartis* veſtri ad me rediit. Litteræ etiam cum incluſis Behrenſianis redditæ ſunt. Gratum eſt, quòd non diſplicuit ſemi-Theologici laboris initium. Vellem omnia cenſuræ tuæ ſubjici potuiſſent; nam etſi typis edita, tamen emendationem, imò retractationem paterentur. Spero etiam, tibi meam ad difficultates tuas nuperas reſponſionem, etſi fortaſſe non omnino ſatisfecerit, non tamen omnino diſplicuiſſe; quod intelligere aliquando gratum erit.

P. *Lami* ex Oratorii congregatione, quem memoras, duo ſunt libri Mathematici elementares, ambo non ſpernendi, alter de magnitudine in univerſum, quo Arithmetices generalis, ſeu Algebræ fundamenta continentur; alter autem de Geometria: uterque ſatis placet; mihi tamen videtur Geometriam *Pardieſii* ex veſtra Societate, quæ etiam Ienæ apud noſtros aliquando recuſa eſt, utiliter adjungi poſſe. *Deſchalii* veſtri curſus Mathematicus (etſi ille magnus Algebriſta non fuerit) mihi ſemper valde placuit. Utrumque (*Pardieſium*, & *Deſchalium*) Pariſiis ſatis familiariter novi.

Si prævidiſſem iter tuum, vitam Beati *Goberti* ex familia antiqua de *Aſpero monte*, tibi credidiſſem, RR. PP. Antverpienſibus, inſignibus viris mittendam. Nunc faxo, ut, occaſione aliqua data, ad te Coloniam perveniat; unde, commoda occaſione, Antverpiam mitti poterit.

Fac, quæſo, ut, quæ porrò aguntur in Sinenſi negotio, diſcam ſubinde; & ſi qua alia ad rem litterariam ſacram, profanamque pertinentia, imprimis circa librorum cenſuram, ad vos perferuntur, rogo ut, quantum res patitur, mihi ea diſcere liceat. Coloniæ enim multò plura, quàm Hildeſiæ in eo genere ad notitiam tuam deferentur.

Ubi opuſculum meum abſolutum erit, faxo, ut exempla bina, unum tibi, alterum magno *Ptolomæo* veſtro deſtinatum, nanciſcare.

Quod ſupereſt, vale, & fave. *Dabam Hanoveræ* 25. *Octob.* 1709.

P. S. Si fortè *Orbanium* noſtrum, ſummum Virum vides, cultum illi perpetuum à me denuntiare ut haud graveris, peto.

EPISTOLA XXV.

MIraberis quòd tamdiù officio defui, & me quoque penè pudet, aliquid negligentiæ fateri, ſed cui acceſſere partim abſentia, partim incommoda valetudo. Spectabam etiam abſolutionem libri mei in Batavis nuntiare poſſe, de qua tamen ab aliquot ſeptimanis nihil intelligo, etſi maximam partem impreſſam acceperim.

Puto me primæ tuæ epiſtolæ Coloniâ 18. Januar. datæ reſpondiſſe, ubi de vocibus conſecutivis monebas. Et ſanè poſterior meliùs abeſſet, ſi

ſi quid judico. Veroniana methodus non meretur, ut quiſquam ejus tutelam ſuſcipiat. Eſt merus Logicæ abuſus. *Nicolius* eam non nihil immutavit, quamquam & reverâ in ſuo de Eccleſiâ opere, nihil magni præſtiterit. Si argumenta hujuſmodi, Ariſtotelico more ad formam logicam redigantur, ſtatim concidunt. Atque ideò Logicam Ariſtotelicam meritò laudo.

Prodiit in Batavis faſciculus, cui titulus *Mémoires pour Rome ſur l'état de la Religion Chrêtienne dans la Chine* 1709. Sed omnes partes Faſciculi ab autoribus ſunt vobis adverſantibus, mihi tamen ſententiam eorum nondum perſuaſere. Illud apparet: *Tournonium* Cardinalem mandata Pontificia ſecutum eſſe, eoque magis Romanos perplexos eſſe, quòd nunc obliquanda vela vident.

Liceti librum de ortu animæ humanæ, nunquam cenſurâ confixum puto.

Si rationalitas animæ ſenſitivæ præexiſtenti non ſuperadditur miraculosè, ſequitur ſpontè, inde, prodire per evolutionem naturalem.

In *Liceto* non probo, quod dicere videtur, animam parentis penes partem vegetalem, aut ſenſitivam dividi, nam quævis anima eſt indiviſibilis.

Cùm panis reverâ ſit ens per aggregationem, ſeu ſubſtantiatum, ejus ſubſtantialitas in monadum unione conſiſtet. Itaque ad eam abolendam vobis non neceſſe eſt, monades ipſas abolere.

Muti præſentia non habet opus explicatione, aut penetratione dimenſionum, ſed explicanda eſt per genus præſentiæ nullam habens relationem ad dimenſiones; velut ſi Deus efficeret, ut aliquid immediatè operaretur in diſtans.

Non video quid prohibeat genios eſſe ζῶα, ſed multò his, quæ novimus, nobiliora. Animalium tamen nomen non bene convenit, quia ea ſpeciem propagant.

Liber inſcriptus *l'Eſprit des nouveaux Diſciples de St. Auguſtin*, dudum ex Batavis mihi promiſſus eſt, ſed cauſa Queſneliana tuo favore pergrata erit. *Auguſtinum* a *Perrio* defenſum habeo.

Papiſſa nihil ad *Antibäilum*; peculiare erit opuſculum Latino ſermone, cui titulus: *Flores ſparſi in tumulum Papiſſæ.*

Pardieſii ſcripta Gallica, Latinè verſa in Germania olim prodiêre, (Ienæ ni fallor) quæ facilè procurabit Bibliopola.

Gottignieſius veſter ſubtilis erat, ſed ſæpè *nodum in ſcirpo* quærebat.

Etſi *Gregorius à S. Vincentio* quadraturam circuli, & hyperbolæ non abſolverit, egregia tamen multa dedit.

In faſciculo Sinico apud Batavos edito, lego, patrem *Viſdelou* veſtrum natione Gallum, contra veſtros, pro *Turnonio*, ſtare, id an verum ſit, noſſe velim. Nam acceperam neminem veſtrorum Gallorum Sinicæ literaturæ peritiorem eſſe. Addebatur, eum ideò ex Sinâ ablegatum, juſſu Monarchæ. Itaque noſſe velim, quò devenerit.

Titulus, vel conſpectus Muſæi Kirkeriani à *Bonanno* perplacet, nec dubito, quin multa ex eo diſcamus. Miror Patrem *Bonannum*, adhuc tueri æquivocam generationem.

Gaudeo quòd tibi non diſplicent quæ Patri *Lamio* Benedictino repoſui.

Forſterus cum Patre *Servatio Nöthen* Francofurti noviſſimè locutus eſt, & hanc, quam includo, ſchedam mihi miſit, ne *Servatius* veſter Patribus veſtris, ſed *Forſtero* ipſi Librum tranſmiſſum imputet.

Circà juvenem Brunſwigo-Luneburgium Collegio Romano idoneum, reditum Sereniſſimi Ducis *Antonii Ulrici* expectavi, eique jam reverſo rem inſinuavi: reſponſum expecto.

Quod ſupereſt, vale, & fave. *Dabam Hanoveræ* 2. *Maii* 1710.

P. S. Literæ, quò rectiùs ad me perveniant, præſtabit ad Hildeſienſes veſtros curari, & Dn. *de Behrens* commendari. Interdum enim Hanoverâ abſum.

EPISTOLA XXVI.

Gaudebo, ubi miſſionem Sinenſem extra periculum poſitam intellexero, ne progreſſus ejus ob ſcrupulos ſiſtatur, qui non magni momenti videntur. P. *Kircherus* olim edidit *monumentum Chriſtianiſmi Sinenſis veteris*. Quibuſdam novitatis ſubjectum viſum eſt; puto tamen autoritate Romæ non cariturum, ſi inde ſumtus eſt locus Decalogi, in quo Deus vocatur *Tien*. Sparſus erat rumor, nolle Monarcham Sinenſem, ut in poſterum Chriſtiani Europæ apud Sinas degentes penderent ab extranea autoritate; ſed hoc verum eſſe non puto.

Corpus quod, ſi diſtans immediatè operaretur, eſſet præſens alteri non dimenſionaliter, ſeu circumſcriptivè, ſeu ubicativè, & ſubſtantialiter, immediatione ſubſtantiæ, non dimenſionem, quarum ſubſtantia conſervaretur, id mihi videtur commodius, quàm ſtatuere multipræſentiam replicativam, cujus de poſſibilitate nolim diſputare; nec tamen video cur huc confugere neceſſe ſit. Operationem corporis naturalem in diſtans utique improbo, ſupernaturalem non æquè.

Vir quidam honeſtus, excellenti tractu, ad veſtram communionem ante annos aliquot tranſiit, & nunc Hildeſii Advocatum in tribunali ſupremo agit. Ejus filius non vulgaris ſpei adoleſcens, ut intelligo, ſtudiis in Collegio veſtro dans operam, viſus eſt dignus qui commendaretur ad occupandum in Collegio Romano locum, nec alium invenimus aptiorem. Accipis tunc teſtimonium Reverendi Patris ex veſtris, cui noti ſunt ejus mores, noti profectus, rogoque ut illud Rmo Patri *Ptolemæo* cum multa mei commendatione tranſmittas. Utinam illi ſatis virium annorumque largiatur Deus, ut præclaris cœptis defungi poſſit.

Rogo, ut memineris conſilii de viro aliquo docto, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pariter, ac Theologiæ Scholaſticæ perito inſigniter, & adhuc ætate florente

florente animando ad hiſtoriam dogmatum à *Petavio*, & *Thomaſino* cœptam, ſed per Scholaſticos ad noſtra uſque tempora continuandam. Licet jucundum illud ſimul atque utile foret, ibi fata philoſophiæ interſerenda eſſent. Habemus aliquam antiquæ Philoſophiæ, ſed mediæ ferè nullam.

R. P. *Janningius* innuere videtur, vitam *Roberti de Aſpero monte* periiſſe, de quo doleo, quia neſcio an recuperari aliunde poſſit.

Flores in tumulum Papiſſæ ſparſos, docto cuidam Chronologo mittere promiſi, ut ſuas obſervationes mecum communicet, nec ante de Editione cogitare potero.

Non memini quale ſit Harmoniæ præſtabilitæ corollarium, de quo meam ſententiam quæſiſſe dicis. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 2. *Julii* 1710.

EPISTOLA XXVII.

Accepi hodie faſciculum tuum complexum plura opuſcula ad res Sinicas pertinentia, in unum conſuta: & libellum adhuc ſolutum, cujus inſcriptio eſt; *Suplément des Mémoires pour Rome.* Sed faſciculus ipſe apertus erat, nulloque ſigillo munitus: ut adeo haud ſciam ſatis, an non literæ, quas nullas reperi, aut alia quædam inde fuerint ſubtracta. Multas pro munere gratiſſimo gratias ago. In iis libellis duo mihi præ cæteris placuere: is, qui inſcribitur *Hiſtoire Apologétique de la Conduite des Jéſuites de la Chine*, & Supplementum, quod dixi. In hiſtoria illa Apologetica notatu dignum mihi viſum eſt, quod habetur pag. 6. Mahumetanos, quos Idololatriæ maximè inimicos eſſe conſtat, à ceremoniis Sinicis non abhorrere, & quod Edictum Imperatoris Sinici repertum eſt, A. D. 1384. editum, quo prohibitum eſt, *Confucium* inter idola coli. Placet etiam, quod Archiepiſcopus Manillarum, & Epiſcopus Zebutenſis, qui tempore *Urbani VIII.* (ni fallor) contra Jeſuitas ad Pontificem ſcripſerant, meliùs edocti, aliis literis querelas revocarunt; quod *Navarreta* Dominicanus bis, terve vacillavit, quod *Moralez* decretum Romæ impetratum non produxit, aut certè ita reſtrinxit, ut Jeſuitis non adverſaretur; quod denique non niſi pauciores ex Miſſionariis, & plerumque minùs periti rerum Sinicarum, ceremonias gentis oppugnavere. Sed Supplementum res magni non minùs momenti ſuppeditat. Narratio rerum à Cardinali *Turnonio* actarum, etſi à diſſentiente, à viro tamen gravi, nec certè Jeſuita profecta, multam habet ſpeciem veri. Et puto, ab Epiſcopo Cononienſi ipſo non negari, Cardinalem non ſatis circumſpectè, aut reverenter egiſſe apud Monarcham Sinarum. Bina deinde decreta hujus magni momenti judico, nec video, quomodo judicium ejus, & virorum gentis inſignium recuſari poſſit, quando de ſignificatione verborum agitur. Et fac, aliam vulgo opinionem antea fuiſſe, certè nunc ceſſat, poſtquàm Imperator expoſuit, quo ſenſu ritus, & ſigna cætera animi accipi debeant, quod P. *Alexander Natalis*, ipſeque Cononienſis Epiſcopus agnovere, quando interpretationem tam diſertam obtineri

neri poſſe non ſperabant. Legati Luſitani preces, ſcripto ad Papam delatæ, lectu dignæ ſunt; alicubi tamen riſus penè invito mihi ſurrepſit, cùm in Janſeniſtas invehitur, eoſque qui infallibilitatem Pontificis impugnant, quam ipſe tamen ſic ſatis apertè in dubium vocat, cùm oſtendit Pontifici, ſi contra Ceremonias Sinicas pronuntiet, materiam novi argumenti, fallibilitatis ſuæ adverſariis præbiturum. Luſitanos deliberaſſe aliquando de deſerenda India Orientali, res nova mihi eſt; non tamen abſurdam agnoſco: ſed quod additur p. 68. Batavos viciſſim inſignem Americæ portionem ſpondere, non facilè capi poteſt, & magis à privatorum ſermonibus, quàm publica autoritate profectum credendum eſt, cùm nihil in America habeant, quo cedere poſſint, neque Americæ Hiſpani arbitri ſint, ut inde aliquid largiri in eorum ſit poteſtate.

Rmo Patri *Ptolomæo* me curatiſſimè commendari peto. Quanto magis eum colo, tanto magis doleo, ab æternis operibus ad fluxa magis abſtractum, autoritate ſuperiori, etſi hæc oſtendant, quantus ille ſit, non in ſtudiis tantùm, ſed & in agendis rebus. Gratias ago, quod commendati à me adoleſcentis rationem habitum iri oſtendit, ubi per leges collegii licebit.

Præter unum exemplum opuſculi mei, quod nuperis tibi deſtinavi, bina adhuc in tuos uſus deputo. Quod ſi aliquando unum ex illis ad *Ptolomæum* mittere placeat, gaudebo ejus ſententia & judicio maturrimo frui, quemadmodum & tuum defæcatiſſimum avidè expecto, hactenus non niſi unicum hic exemplum habeo, miſſum ſcilicet per partes ad errata corrigenda.

Nuperas meas redditas ſpero, cum incluſis. Quod ſupereſt, vale, & fave. *Dabam Hanoveræ* 18. *Novembris* 1710.

EPISTOLA XXVIII.

NOviſſimis tuis non minùs quàm Orbanianis, ac Tourneminianis, & Hartſoekerianis reſpondi. Intereà alias à te accepi, quæ Berolinum me ſunt ſecutæ, quorſum Societatis Scientiarum magis magiſque provehendæ causâ mihi excurrendum fuit. Ne verò petita negligerem, in eum, quem ſuggeſſiſti, ſenſum hodie ad Sereniſſimum Ducem Brunſvicenſem ſcribo, quamquàm enim haud ſatis ſciam quouſque ille interceſſiones in ſe recipere ſoleat, pro iis quos non ſatis novit; nolui tamen quicquam omittere, quod in me eſſet, quo tibi promptam voluntatem meam teſtarer. Faſciculum *Ptolemæi*, cum favore tuo, data occaſione ſatis maturè accepero; nam ante Paſchale feſtum domum redire haud licebit.

De rebus Hildeſienſibus abſens non ſatis habeo, quod dicam.

De rebus Sinicis decretum Pontificis me perplexum reddidit, & dubitare cogit, ne non ſatis placeant illi circuitus Monarchæ Sinarum, qui Legati à Latere viri ſibi minùs probati acta diſertè improbata mallet uti ex parte aliqua certè improbari merebantur. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Berolini* 2. *Martis* 1711.

EPISTO-

EPISTOLA XXIX.

POſt longam abſentiam domum ſimul, & ad commercium noſtrum litterarium redeo; non tamen tuum Dn. *Reingens* commendare, Sereniſſimi Ducis favore interpoſito, omiſi. Nam Domino Baroni *de Imhoff* Barcinonem, juſſu Sereniſſimi Ducis, eunti res commendata eſt: ſcripſit ille verò mihi Viennâ 29. Junii his verbis: *Je m'employerai volontiers pour le P.* Reyngens, *mais il faudra que cet honnête homme dreſſe un mémoire, pour obtenir ce qu'il déſire; car la lettre de ſon ami ne ſuffira pas pour cela.*

Ego non dubito, quin libelli ſupplices pro ipſo miſſi ſint Barcinonem; & ſi res integra eſt, amicus ejus, aut Procurator Barcinone agens, utiliter ad Dn. Baronem *de Imhoff* recurret, ubi is Barcinonem appulerit.

Gratias ago pro Epiſtolâ Germanicâ Patris *Spee*, egregiâ ſanè, ſed interdùm plus affectûs (etſi laudabilis) quàm rationis ſpirante.

Cùm viſus ſum attribuiſſe neceſſitatem moralem coëuntibus, mallem explicuiſſe mentem diſtinctiùs. Electio totius ſeriei contingentium tamquam convenientiſſimæ, habet neceſſitatem moralem, ſed hoc non æquè enuntiatur de peccatis eam ingredientibus, & per concomitantiam admiſſis.

Adamus non habuit initio majorem inclinationem ad malum, quàm ad bonum, cùm creabatur; ſed tunc cùm peccatum inſtabat.

Cùm quis eligit hoc modo, non implicaret contradictionem, ſi elegiſſet alio modo, quia rationes determinantes non neceſſitant.

Vaſquii ſententia, quam in tua epiſtola exhibes, videtur conciliabilis cum meâ.

Cùm ſufficere dico unionem arctiſſimam inter Deum, & creaturam, pluſquàm moralem intelligo, & intelligent, qui me legent, alioqui in verbis luderem, qui non eſt mos meus.

Maximas ago gratias pro Sinicis veſtrorum ſcriptis. Pontificis maximi nunc eſt disertè dicere, velit-ne, ac jubeat Sinenſes Chriſtianos à receptis honoribus abſtinere qui *Confucio*, & majoribus exhibentur. Id ſi disertè pronuntiat, Miſſio (ni fallor) illic extincta erit.

Admodum Reverendo Patri *Bouſſeto* ſcripſi aliquoties fruſtrà, rogavique qualeſnam eſſent libri, quos (ipſius ut arbitror munere) recepi. Nam literæ ejus libris ſociæ, perierant.

Ecce quæ ad noviſſimas Domini *Hartſoekeri* repono. Optarem ut te medium interponeres, arbitrumque inter nos ageres. Vale. *Dabam Hanoveræ* 8. *Julii* 1711.

☞ *P. S.* Reverendiſſimo Patri *Ptolemæo* & gratias pro libris miſſis à me referri, & cultum meum perpetuum denuntiari peto. tj

EPISTOLA XXX.

GRatum mihi eſt, quòd partes meas contra Dn. *Hartſoekerum* tueris. Cùm *Adamus* creabatur, prævalebat quidem inclinatio ad bonum; ſed ſuberant tamen ſemina futuræ inclinationis ad malum: nam omnia in rebus quodammodo præſtabilita ſunt, & præteritum eſt prægnans futuri. Ut autem *Adamus* talis, qualis erat, futurus erat, ad exiſtentiam admitteretur, cauſa fuit, quod partes faceret optimæ ſeriei poſſibilis.

Ptolemæus veſter, vir inſignis, videtur dubitare, an optima ſeries rerum poſſibilis admitti poſſit, quia non datur perfectiſſima creatura. Atque id ego quoque concedo, ſed nego, ſeriem rerum pro creatura haberi poſſe, nam ſeries infinitorum non poteſt pro uno toto haberi, ut aliàs demonſtravi. Eſt autem ſeries rerum infinita certè a parte poſteriore, ut vocant, ſeu caret fine, etſi non careat initio.

Meo judicio, niſi daretur ſeries optima, nihil planè crearet Deus, quia non poteſt agere præter rationem, aut præferre minùs perfectum alteri perfectiori.

Cæterùm gaudeo, tanto viro cogitationes meas probari, quas non dubito, quin multis modis emendare, & perficere poſſit. Sunt qui à me deſiderant, ut libellum Theodiceæ meæ Latinè edi curem; ſed verſionem adornare non vacat.

Quid *Tourneminius* vir doctiſſimus, & ingenioſiſſimus de meditationibus meis ſentiat, aliquando diſcere gratiſſimum erit.

Quod ſupereſt, vale, & fave. *Dabam Hanoveræ* 7. *Septembr.* 1711.

P. S. Erravit Diarium Pariſinum, ſi me præſidio Berolinenſi ceſſiſſe ſcripſit. Dño Baroni *de Strinzen*, Miniſtro Status Regio, ex officio incumbit cura omnium Academiarum, & Scholarum ſub Regis ditione ſitarum; itaque etiam res Societatis apud Regem curat, & tuetur; ſed quæ ad ſtudiorum profectus in Societate pertinent, ad meam curam etiamnum ſpectant.

EPISTOLA XXXI.

DOm. *Hartſoekero* paucis, ut vides, reſpondeo: quamdiu ille non bene attendit ad principium meum, nihil agimus. Rogo, ut incluſas ei mittas.

Ex Gallia accipio, rigidiores meo Tentamini Theodicææ non valdè favere. Dicere potero, ut *Cupido* apud *Ovidium*:

Bella mihi, video, bella parantur, ait.

Si dignum tibi tranſlatione tua videatur, poteris, quæ voles, per notas marginales admonere: quædam enim fortaſsè non ſimpliciter tranſmittere poteris. Quod ſupereſt, ſcias me valdè gaudere, quòd nobis propior factus es. Vale, & fave. *Dabam Hanoveræ*, 7. *Decembr.* 1711.

P. S. Per-

P. S. Pergrata erunt ſcripta nova, quorum communicationem ſperare jubes. Illud imprimis, in quo vera *Janſenii* ſententia ex ſcriptis ejus eruitur.

Muyſis Elementa phyſica aliquid ſanè habent, & laudandus eſt conatus notiones explicandi diſtinctiùs; ſed in plerisque vereor ut ſcopum ſatis attigerit. Non tam facile eſt, bonas definitiones condere, quàm vulgò putant, & paſſim quærit nodum in ſcirpo.

Doce me, quæſo, quando Paderbornam appuleris.

EPISTOLA XXXII.

PLanè ad votum meum eſt verſionis tuæ ſpecimen, modo fas foret tantillæ rei tempus tantum à te impendi. Remitto igitur, nec, quod admoneam, habeo, ſimulque gratias ago. Non aſſentirer hoc à te melioribus deſtinato agi, niſi ſcirem eadem operâ rem à te peritiſſimè diſcuſſum iri.

Autor recenſionis Gallicæ in Batavis *Bernardus Eſſais de Théodicée*, ſic interpretatus eſt, quaſi vellem dicere *Tentamina Theodicæi*, aut me *Theodicæum* appellaſſem; ſed mihi animus fuit doctrinam ipſam, ſeu materiam diſſertationis *Theodicæam* appellare, ita ut *Theodicæa* ſit doctrina de jure, & juſtitia Dei.

Peterſenius olim Superintendens Luneburgicus ob Chiliaſmi propugnationem publicam dimiſſus, qui poſteà etiam doctrinam *Origenis* magno operi ἀποκαταςάσεως παντῶν propugnavit, ſanè eruditè carmen Theologicum parat titulo *Uraniados*, in quo ſuæ Theologiæ ſatis paradoxæ ſyſtema complectetur. Eſt certè Poëta ſpiritûs non ſpernendi.

Vellem aliquis integram aliquam operis *Janſenii* Iprenſis quod *Auguſtinum* inſcripſit, analyſin compendio daret, nam ex ipſo nexu totius ſyſtematis apparet optimè, quid ſentiat autor.

Interim pergratum erit ſcriptum *Henrici Coaslinii* Meldenſis Epiſcopi, quo mentem *Janſenii* eruere aggreſſus eſt. Ea certè methodo faciliùs quàm acerrimis Curiæ Romanæ mandatis obtinebitur, ut credant homines, ſententias quaſdam certo ſenſu à *Janſenio* propugnatas fuiſſe: cùm careri poſſit autoritate in re ante oculos poſitâ, nec autoritas humana ſenſuum fidem æquare poſſit.

Magna nunc eſt fundi literarii ſterilitas, nec video in his oris aliquid memorari dignum.

Ego nunc quæro obtinere *Frodoardi* carmen integrum de Pontificibus Romanis, cujus tantùm pars hactenùs extat. Si obtinere poſſum, adjiciam Floribus meis in *Johannam* Papiſſam ſparſis. Sed hoc conſilium nolim hactenùs publicari.

Proximis nundinis Paſchalibus, Deo volente, prodibit ſpecimen quoddam meum *Apparatûs ad Philologiam*, *præſertim Germanicam*, in quo aliqua nova inſpergentur. Cæterùm hoc penitiùs perſequendum aliis junioribus

 relin-

Digitized by Google

relinquo. Erui nuper originem vocis *Hornung*, quæ menſem Februarium Germanis ſignificat.

Credo in collegio veſtro Paderbornenſi extare multos libros à Celſiſſimo Principe *Ferdinando Furſtembergio* legatos. Erat enim Fautor vobis eximius.

Habuiſtis in ſcrutinio virum inſignem in paucis ad Hiſtoriam illuſtrandam.

Neſcio an ſuperſit alius ex veſtris vir doctus, qui ei ſubſtitutus Paderbornenſem Hiſtoriam abſolvit, cui, ni fallor, *Cloppenburgio* nomen.

Cùm aliquando Paderbornæ eſſem, inveni in collegio veſtro virum in Matheſi practicâ bene verſatum, ſed nominis oblitus ſum, & anni ſunt admodùm multi. Habet interdùm Weſtphalia præclara ingenia, & ſeſe oſtenſura, ſi occaſio culturæ detur.

Ante annos aliquot Dn. *de Alpen* (ſi benè memini nominis) *vitam Bernardi Epiſcopi Monaſterienſis* nuperi dedit juſto volumine. Ille liber non eſt viſus in officinis noſtris. Quod ſi apud vos haberi poteſt, libenter redimam.

An probas quæ *Hartſoekero* reſcripſi? Ego certè niſi principium meum bene percipiat, erravi, cum eo fruſtrà non replicabo. Quod ſupereſt, vale & fruere, & rem in multos annos fauſtos, ac felices bene gere. *Datum Hanoveræ 6. Januar.* 1712.

P. S. Ni fallor, hinc per Hamelam rectà ad vos ſcribitur. Titulos Batavis ſuperfluos & hic minùs uſitatos omitti malim.

EPISTOLA XXXIII.

Prolixas meas cum additis ad Dn. *Hartſoekerum* acceperis. Intereà redditæ ſunt mihi tuæ noviſſimæ. Perlatus eſt etiam ad me liber *de vita Chriſtophori Bernardi Epiſcopi Monaſterienſis* non ſanè ſpernendus. Scripſi Hildeſiam, rogavique, ut mihi indicetur, quid pro vectura expenſum ſit; ita ſimul cum pretio libri reddam veſtris, per quos deinde facilè ſatisfieri Bibliopolis poterit.

Meldenſis quoque Epiſcopi opus, per occaſionem, ad vos redibit, nunc nondum lectionem abſolvere licuit.

Ex Catalogo Officinæ, quam *Romers-kirchen* Bibliopola cum libro mihi miſit, nonnullos libros deſidero, ſi æquo pretio vendantur. Itaque rogo ut adjunctum indiculum ei mittas, ut pretium minimum indicet, qui ſi ſeſe æquum probet, plura ab eo peti poterunt.

Vellem noſſe, quo tandem modo terminata Romæ ſit Chinenſis controverſia, & an omninò vicerint Antagoniſtæ veſtri, uti quidam jactant. Quod ſi ita eſt, miſſionem illam pro conclamata habeo.

Laurentii Vallæ Dialogum habemus hic in operibus in folio. Sed vidi olim ſeparatim editum illud opuſculum minore forma. Et diſpiciam an Wolferbyto haberi poſſit, quo tibi mittatur. Ego quidem verba autoris contraxi, ſed tamen ad ea recurri è re erit.

Quod ſupereſt, vale, & fave. *Dabam Hanoveræ 17. Martii* 1712.

EPI-

EPISTOLA XXXIV.

Binas tuas lætus accepi, quòd optimæ valetudinis tuæ, perſeverantisque erga me benevolentiæ teſtes eſſent. Unas ex his oſtendi viris magnis, qui veſtris circa Sinenſia ſententiis parum favebant, & rationibus meis viſi ſunt nonnihil labefactati.

Audio id agere diarii Pariſini autores, ut meum quoque librum recenſeant; ſed hoc, ni fallor, ipſa neceſſitas exprimere videtur ab invitis, ne librum ignoraſſe, vel neſcio quo conſilio ſupprimere voluiſſe videantur. Cæterùm expecto miſtam blandimentis cenſuram, quæ, ſi quid habet boni & æqui, etiam gratias merebitur.

An veſtri Trivultiani recenſuerint opus meum, nondum pro certo comperi. Hi enim, quod mirere, ne ſuorum quidem ſatis curioſi ſunt.

Rmo Patri *Orbanio* ſcribam, ut fata novæ machinæ aſtronomicæ Reiſchianæ didicero, quæ hîc aſſervatur in aulâ Cæſaris, ſed expectatur *Poſonio* Automato-polus, operis, ni fallor, adjutor, qui ubi affuerit manum admovebit machinæ, ut moveri, gubernarique, & examinari etiam poſſit; Egoque etiam cum aliis ſpectaculo adero. Interea hortatus ſum eos, quibus iſta curæ ne rem præclaram negligant.

Hæc optimo *Orbanio* noſtro in anteceſſum ſignificari peto. Automatopoli adventum moratus eſt contagii metus, qui aditus à *Poſonio* intercluſerat, ſed mox diſcuſſo periculo apertum iri, aiunt.

Ego, appetente jam vere, me ad reditum paro, qui tamen in aliquot ſeptimanas facilè extraheretur. Inter properandi cauſas etiam eſt favor. Quod ſupereſt, vale optimè, & me ama. *Dabam Viennæ 4. Martii 1713.*

P. S. Scribit mihi doctiſſimus, & experientiſſimus *Behrenſius* noſter literas ad te meas non bene fuiſſe clauſas, quod diſplicet; ſpero tamen nihil inde incommodi ſecutum eſſe.

EPISTOLA XXXV.

Commodum priores literas tuas, quibus, inter alia, de rebus Sinicis agebas, acceperam, cùm eſſem in conſeſſu inſignium virorum, qui in *Confucium* plerique præoccupati erant. Negabant vera nuntiari de Dominicanis, quaſi jam meliora agnoſcentibus. Sed mox novellæ publicæ idem confirmarunt. Mirabantur illi me pro vobis ſtare. Sed ego pro veritate ſteti, ubi cognoſſem.

Ego rem hic divino auxilio ſatis ex ſententiâ geſſi & ab Aug. Cæſare aliquoties auditus ſum gratioſè. Itaque jam in eo res eſt, ut me ad reditum parem. Cæſar in vicino Laxemburgo villicationem exercet, ut ſe nonnihil à continuis laboribus reficiat. Imperatrices nondum urbe exceſſere.

Haud dùm ſatis conſtat, quando Imperatrix nova ſit adfutura.

De metu peſtis Viennenſis impræſentiarum ſecuros vos eſſe jubeo, niſi calores pejora adducant. Epidemiâ certè nulla domus infecta eſt, aut plurimis mortibus infamis. Crebriores ſolito ſunt mortes ſubitaneæ, ſed hoc non rarum eſt, nec inter ſe connectuntur; eſt tamen cur cautiones adhibeantur in futurum.

De reditu meo maturè ſcribere meminero, & inter alia calcar addunt, quæ ad me miſiſti, quibus quam primùm frui deſidero.

Quod ſupereſt, vale, & fruere. *Dabam Viennæ* 24. *Aprilis* 1713.

P. S. Imperatricem aiunt nudius tertius Mediolano diſcedere voluiſſe.

EPISTOLA XXXVI.

ITer meum duæ magnæ cauſæ diſtulêre, obſepta ob contagii metum itinera; neque enim libenter ſeſquimeſtre in neſcio quo loco incommodo inutiliter, nec ſine periculo, perdere volebam; & deinde, appetente hyeme, non optima valetudo, arthriticis inſultibus, non acutis quidem, ſed tamen ideò gravibus, quòd agendi libertatem adimerent, me invadentibus; nec dum planè omnem vigorem recepi. Itaque iter non nihil adhuc differre cogor.

Intelligo recenſionem *Theodicææ* meæ tandem aliquando in Diario Trivultiano comparuiſſe, quamquam non ſine nota, haud tamen, ut ſpero, acerba. Hanc recenſionem videre aliquando aveo.

Si Rmi Patris *Orbani* faſciculus non eſt inſolitæ magnitudinis, rectà Viennam mitti poſſet.

Scire aveo quid de meo nupero temperamento judices; cùm perſcripſi re magis expensâ, ſi quod detur vinculum ſubſtantiale compoſiti, id fore non minùs perpetuum naturaliter, quàm ipſam Monadem, compoſiti dominatricem, ſalvis antè Monadibus ingredientibus mutari, & aliis atque aliis Monadibus accommodari poſſe; naturaliter quidem paulatim, ſupernaturaliter autem per ſaltum, quemadmodum & ſupernaturaliter produci, ac tolli poteſt.

Nihil-ne ampliùs de rebus Sinenſium?

Quod ſupereſt, vale, & fave. *Dabam Viennæ* 10. *Januarii* 1714.

EPISTOLA XXXVII.

JE me donne l'honneur de vous écrire de temps en temps, quoique je n'aye point grande matiére de vous entretenir par lettres. J'en aurois beaucoup pour vous parler de vive voix: mais le papier n'eſt pas toujours un bon dépoſitaire des penſées. Un jeune Théologien Allemand revenu d'Angleterre, m'a dit que l'auteur des *Mémoirs of Literature* a fait une recenſion de ma Théodicée, & qu'il a remarqué entr'autres fort à propos,

que

que j'avois relevé le tort que les Réformés (mal informés) font ordinairement à ceux de la Confeſſion d'Augsbourg, en leur accordant une conſubſtantiation des ſymboles terreſtres avec le corps de Jeſus-Chriſt dans l'Euchariſtie, ou bien une *impanation*; au lieu que j'ai fait connoitre que nos Théologiens ne demandent qu'une *comperception*; enſorte que lorſqu'on reçoit la choſe terreſtre, on reçoit la céleſte en même tems, ſans aucune incluſion du corps de Jeſus-Chriſt dans le pain. Le même jeune Théologien m'a dit, que quelques-uns de vôtre Egliſe Anglicane lui ont objecté que nous avions une *impanation & conſubſtantiation*, qui ne valoit guères mieux que la Tranſubſtantiation des Papiſtes; mais il les a renvoyés à mon livre & aux *Memoirs of Literature*. Je crois que cette accuſation des nôtres qui ſe fait préſentement vient de la mauvaiſe intention de ceux qui favoriſent les Papiſtes & le Prétendant, & voudroient nous rendre odieux. C'eſt pourquoi il ſeroit peut-être bon que mon livre fût traduit en Anglois. Je n'ai pas encore appris le ſentiment de Mr. l'Evêque de Salisbury ſur mon ouvrage, mais j'ai appris celui de Mr. l'Archevêque d'Yorck, qui ayant lû au moins la piéce latine miſe à la fin, l'approuve extrêmement.

J'ai pitié du bon Monſieur *Whiſton*, qui ſe fait du tort par ſon zéle. Je trouve que l'Egliſe Catholique (je n'entends pas la Romaine, mais celle dont les ſentimens ſont parvenus de l'antiquité juſques à nous) a raiſon de n'adorer en Jéſus-Chriſt que la divinité; & ſi nous n'avions en vûe que l'humanité, il ne mériteroit point l'adoration, non plus qu'un autre Prophête; & il faudroit avoir le ſentiment des Mahométans à ſon égard. Un certain *Franciſcus Davidis* en Tranſylvanie avoit raiſon autrefois de diſputer contre *Socin*, que ſuivant les principes des Sociniens, auſſi bien que des Ariens, Jeſus-Chriſt ne devroit point être adoré, autrement on juſtifiera le culte du Paganiſme. Je ne vois point comment Mr. *Whiſton* ſe peut tirer de cette difficulté.

Ceux qui prétendent que le Baptême d'un Prêtre qu'un Evêque a mis dans les Ordres, eſt néceſſaire, vont plus loin que les Papiſtes mêmes, qui accordent que tout Chrêtien peut baptiſer.

Quant à l'imputation du péché d'*Adam*, ſur laquelle diſputent Mr. *Edwards* & Mr. *Witby*; on peut dire que le péché d'*Adam* ne nuiroit pas à ſa poſtérité ſi elle n'étoit infectée par ſa chûte: ce n'eſt pas une ſimple rélation morale, mais une déterioration réelle & phyſique.

Les diſputes ſur le pouvoir eccléſiaſtique ſont délicates. Les Prêtres Anglois, qui portent la choſe trop loin, ſe mettent en danger d'être engloutis par le Papiſme, & alors ils ſeront eſclaves de Rome comme les laïques. Si les Prêtres étoient plus ſages & plus raiſonnables que les autres gens, ils mériteroient ſans doute l'honneur de gouverner. C'eſt pour cela que les Prêtres gouvernoient effectivement dans les ſiécles ignorans, parce qu'ils étoient *luſci inter cæcos*.

Ceux qui diſent que la France eſt aſſez abbattüe ſont fort ignorans ou fort

Digitized by Google

fort malicieux. Nous voyons déja la France ſupérieure depuis que l'Angleterre s'eſt retirée, & quand la maiſon de *Bourbon* ſera paiſible poſſeſſeur de l'Eſpagne & des Indes comme de la France, elle ſera humainement parlant irréſiſtible; & ſi elle a l'Angleterre de ſon côté, elle abimera l'Angleterre & le reſte. Il eſt ridicule de fonder nôtre ſureté ſur ce que les *Bourbons* ſe brouilleront entre eux: s'ils ſont ſages ils ne le feront pas, & ils ſeront les Arbitres de l'Europe: faut-il fonder nôtre ſalut ſur la ſuppoſition de la ſottiſe d'autrui? Il ne ſuffit pas que les Couronnes de France & d'Eſpagne ſoient ſur deux différentes têtes: Il eſt aſſez dangereux que ce ſoient deux têtes, dont le vrai intérêt eſt de s'entendre, & qu'alors on eſt à leur diſcrétion. Tout ce qu'on accorde à l'Angleterre eſt précaire & peu de choſe. Dieu veuille qu'ils ne placent pas leur créature en Angleterre, comme il leur ſera aiſé de faire après la paix; & il ſemble qu'eux & leurs partiſans n'attendent que de voir les Hollandois déſarmés, pour fraper leur coup.

Humainement parlant, & ſi Dieu ne donne un ſecours *ex Machina*, l'Angleterre & la Hollande, la religion & la liberté ſont perdües, ſi la paix ſe fait avec les Hollandois comme la France la propoſe. Cela ſaute aux yeux, & il faut être extrêmement aveuglé ou malicieux pour ne le point reconnoitre. Puiſque la paix entre l'Angleterre & la France n'eſt pas encore faite, ou du moins publiée, il faut eſpérer que la Reine, le Miniſtère & la nation ne la précipiteront pas, & pourvoiront mieux tant à la ſureté de l'Europe, qu'à celle de la ſucceſſion Proteſtante dans la Grande Bretagne.

L'Empereur fait ſon poſſible pour armer l'Empire, & ſi les Hollandois demeurent fermes il y reüſſira; car les plus puiſſans Princes de l'Empire ſont du ſentiment de Sa Majeſté Impériale. Le peuple eſt fort bien intentionné en Hollande, mais il y a des gens parmi les Magiſtrats qui font douter de leurs lumiéres ou de leur bonne intention. Quoique le mémoire de Mgr. l'Electeur faſſe voir qu'il n'eſt pas du ſentiment que vôtre Miniſtère a fait paroitre ſur la paix, néanmoins Mr. *Harley* a été traité fort obligeamment, & j'eſpère qu'il ſera content au moins de la maniére honnête dont on a uſé à ſon égard.

Je n'ai pas encore vû l'édition nouvelle de *Jules Céſar*; cependant c'eſt moi qui ai envoyé aux éditeurs le portrait de l'*Urus*, ayant porté le Roi de Pruſſe à le faire faire d'après nature ſur celui qu'il a à Berlin. L'*Urus* (dont parle *Céſar*) n'eſt pas un ours, mais une eſpèce de taureau d'une grandeur & force extraordinaire; en Allemand on l'appelle *Aurochs*.

Un de mes amis a obtenu un beau manuſcrit Grec qui appartenoit autrefois à *Mathias Corvinus* Roi de Hongrie, où l'état de l'Egliſe & de l'Empire de Conſtantinople dans le Xe. ſiécle eſt mieux expliqué que dans tous les livres que nous en avons; cet ouvrage mériteroit d'être imprimé un jour avec une exacte verſion, & de bonnes notes.

Nôtre

Nôtre Cour eſt maintenant au pays de Lunebourg pour joüir de la chaſſe. Madame l'Electrice ſe ſouvient toujours de vous fort gracieuſement. Pour moi je ſuis &c. *Hanover ce* 18. *d'Octobre* 1712.

LETTRE XVIII.

JE vois par l'honneur de vos lettres que j'ai reçûes ſous le couvert de Madame l'Electrice, que vous me croyez à Hanover, mais je ſuis à Vienne depuis le commencement de cette année : l'Empereur m'ayant donné la place de Conſeiller effectif dans le Conſeil Impérial Aulique, qui eſt un des ſuprêmes Tribunaux de l'Empire. Sa Majeſté Impériale me fait beaucoup d'autres graces. Maintenant je penſe à partir pour retourner à Hanover, mais je n'ai point voulu attendre ce tems-là pour vous répondre. Madame l'Electrice m'a fait auſſi la grace de m'envoyer votre lettre pour Elle, & j'étois juſtement en compagnie de Mr. le Comte *de Gallas* (qui va Ambaſſadeur à Rome) quand je la reçus. Je vois auſſi ſouvent Mr. le Comte *de Sinzendorf*, Chancelier de la Cour, qui a été premier Plénipotentiaire de l'Empereur pour les Traités d'Utrecht, qui m'a dit une choſe curieuſe en matiére de lettres, que Mr. l'Abbé *de Polignac*, maintenant Cardinal, a fait un Poëme Latin fort beau en vers héroïques ſur la nature, à la façon de *Lucréce*, mais ſur des principes oppoſés à ceux de cet Auteur, & par conſéquent ſur les vrais principes de la Divinité. Je voudrois qu'on le publiât bientôt ; & je ſerai bien aiſe de voir auſſi la Création de Mr. le Chevalier *Blackmore*, dont vous me parlez. Mr. le Comte *de Sinzendorf* a reçu pluſieurs jolis livres de Hollande, entr'autres un grand Dictionnaire pour les antiquités Grecques & Romaines. Il ſert d'introduction aux tréſors publiés par *Grævius* & *Gronovius*. On a publié un grand & excellent Livre en Allemand, intitulé *Reichs-Archif*, dans lequel ſont une infinité de piéces ſur les affaires publiques, ſur-tout de l'Empire, ce ſont pluſieurs volumes in folio.

Votre Parlement a fini ſur la bonne bouche, par les adreſſes que les deux Chambres ont préſentées à la Reine au ſujet de l'éloignement du Prétendant : cela n'étoit pas mal penſé. Que dit-on en Angleterre de la fermeté de l'Empereur? on s'eſt fort trompé de le croire Prince à recevoir des loix. Je ne ſçai ſi les François prendront Landau ; mais s'ils prennent cette place, (parce que l'Empire trompé par ſes amis n'a pas pû ſe mettre à tems en état de repouſſer l'ennemi) je crois auſſi que c'eſt tout ce qu'ils pourront faire ; & la réputation de l'Empire vaut mieux que dix Landaus. On les défie d'aller plus avant, & ce ne ſera pas Landau ſeul qu'ils nous rendront. L'Electeur de Brunſvic lui ſeul a envoyé dix-huit mille hommes à l'armée de l'Empire. Si tout eſt venu à tems, le Prince de Savoye paſſera bientôt le Rhin à Mayence. L'Electeur ne peut mieux

négocier en Angleterre que de ſe montrer au Rhin tel qu'il eſt pour la liberté publique. Les François ſont terriblement outrés contre lui, ſachant qu'il eſt un de ceux qui ont le plus contribué à animer l'Empire à la perſévérance. Ils accordent des paſſeports aux Sujets d'autres Princes de l'Empire qui en demandent, & ils les refuſent aux ſiens. Ils ſont fâchés entre autres qu'il ait déterré il n'y a pas long-tems un émiſſaire François dans l'Empire, qu'il a envoyé à l'Empereur.

Je viens à vos Auteurs. Feu Mr. l'Evêque de Salisbury devoit retoucher plus tôt ſon hiſtoire de la Réformation; il y a penſé un peu trop tard. Je voudrois qu'on publiat ce qu'il a fait ſur l'hiſtoire de nôtre tems. Que font ſes fils, particuliérement l'ainé qui s'appliquoit aux Mathématiques? Je les ai vûs à Hanover. On a parlé de l'ainé dans la Gazette. Il y a quelque choſe dans les myſtiques qui peut recevoir un bon ſens, & je ne les mépriſe pas entiérement. Ainſi je ſerai bien aiſe de voir un jour le Livre intitulé *General Deluſions of Chriſtians concerning prophecies & Inſpirations.*

Mr. le Comte *de Shaftsbury*, mort depuis peu à Naples, m'a fait préſent de ſes trois volumes in octavo, remplis de belles choſes, & en a demandé mon jugement. J'ai été ſurpris de trouver un grand nombre de penſées qui s'accordent avec mes principes. Cependant j'ai ajouté quelques petites animadverſions, & il a eu la ſincérité & la modération de me faire ſavoir que mes petites cenſures ne lui déplaiſoient pas: La perte d'un eſprit ſi beau & ſi ſublime n'eſt pas petite. Il étoit fort revenu des penſées qu'il avoit eües en donnant ſa petite piéce ſur l'uſage de la raillerie: alors il n'avoit pas encore aſſez médité. Si Mr. *Hedley* eſt auſſi habile que vous le dites, Monſieur, (& je le crois facilement quoique je n'aye point vû ſes ouvrages) il ſe moquera des jugemens d'apréſent qui lui ſont contraires. Qui eſt-ce qui ne doit pas ſe moquer de quelques nouveaux auteurs qui s'imaginent plaiſamment qu'on ne peut être bien baptiſé que par autorité Epiſcopale, choſe qui n'eſt jamais venüe dans l'eſprit des plus outrés deffenſeurs de l'Egliſe Romaine. Pour le ſoutenir ſérieuſement il faut être un peu viſionnaire, comme le pauvre mais ſçavant Mr. *Dodwel*, qui croyoit que même l'immortalité des ames étoit l'effet du pouvoir Epiſcopal. Il eſt curieux de voir renaître en Angleterre une Théologie plus que Papiſtique, & une Philoſophie toute Scholaſtique, depuis que Mr. *Newton* & ſes Sectateurs ont reſſuſcité les qualités occultes de l'école par leurs attractions. Ce que vous me dites, Monſieur, eſt aſſez plaiſant, qu'il ſemble que mes adverſaires, qui ſont de la Société Royale, ont écrit derniérement contre moi, plutôt comme contre un Whig que contre un membre de leur ſociété. J'avois crû que Mr. *Newton* étoit un peu allié avec les Whigs; ainſi je ne me ſerois point imaginé que l'eſprit de faction iroit ſe répandre même dans les Sciences Mathématiques. Ces Meſſieurs qui ont écrit contre moi (aſſez incivilement à ce qu'on

qu'on dit, car je ne l'ai pas encore vû,) ſe trouveront un peu attrappés par un petit mot de réponſe d'un de mes amis.

Je crois que Mr. *Whiſton* eſt ſavant homme & bien intentionné; mais je ſuis fâché qu'il donne dans l'erreur de ceux qui adoroient une créature. Nous autres Chrétiens Catholiques n'adorons que la ſuprême ſubſtance, immenſe & infinie; & nous n'adorons en Jéſus-Chriſt que la plénitude de la divinité qui y habite. On m'a dit que Mr. *Whiſton* prétend d'avoir inventé les Longitudes (peut-être par la Lune), & qu'il demande des Juges.

On n'a pas beſoin en Angleterre de Livres pour la liberté des penſées, *Freethinking*. Il faudroit plutôt porter les hommes à penſer avec ſoin & ordre, ſuivant le véritable art de penſer. Je n'ai pas encore vû la lettre dont vous me parlez, publiée ſur cette matiére. Si ſon auteur nous apprenoit quelque vérité importante & utile, on verroit qu'il a bien employé ſes penſées. La plûpart des auteurs de cette ſorte viennent un peu tard à vouloir diſputer ſur des choſes réglées par des démonſtrations.

Ceux qui travaillent à enrichir l'hiſtoire naturelle font bien mieux, & je ne déſaprouve point qu'on mette de bons Artiſans dans la Société Royale; ils valent mieux que de mauvais Théologiens & de pauvres Philoſophes auxquels je préférerois même *di grand Lunga*, le Duc d'*Aumont*, devenu depuis peu membre de la même Société; car ce Seigneur a du ſavoir & des ſentimens généreux, au lieu que quelques-uns qui font profeſſion d'étude n'obſervent pas même les principes de l'honnêteté.

Pluſieurs m'ont parlé avec éloge des *Memoires of litterature* qu'on publie à Londres. On m'a mandé que l'auteur a parlé avantageuſement de mon ouvrage en plus d'un endroit. Mr. l'Archevêque d'York a fort approuvé auſſi mon livre. Tout ce que j'ai vû de Mr. *Woodward* (j'entends celui qui a fait l'hiſtoire naturelle du globe de la terre) m'a paru contenir beaucoup de bonnes choſes. Ainſi je m'imagine que ſon hiſtoire de la Province de Kent ſera du même genre. Cela vaut mieux que *tanti Aghiribizzi politici e Theologi*. Je vous remercie fort, Monſieur, des livres que vous m'envoyez par Mr. *Brandshagen*. J'eſpére de les voir bientôt, je vous en dirai alors mon ſentiment. Cependant je ſuis avec paſſion &c. *Vienne ce 23. d'Aouſt* 1713.

P. S. Quelqu'un m'a dit que Mr. *Hook* & Mr. *Flamſtead* ſe ſont plaints de Mr. *Newton*. Je ne l'aurois point crû capable d'appuyer contre moi des choſes qu'il ſait être fauſſes. Cela me donne une mauvaiſe opinion de lui; & j'admire auſſi que Mr. *Halley* puiſſe faire ce que vous dites.

Feu Mr. *Huygens* m'a dit autrefois qu'un Ecoſſois a été le premier Inventeur du métier ou inſtrument qui fait les bas, & qu'il a travaillé 9. ans avant que de le perfectionner; & qu'une amourette en a été la cau-

cauſe; une fille à laquelle il faiſoit l'amour, qui travailloit à des bas de ſoye, lui ayant dit en riant qu'elle ne croyoit pas que tout ingénieux qu'il étoit il pût inventer une maniére de faire des bas. Je vous prie de vous informer du nom de l'Inventeur & des circonſtances de l'hiſtoire.

LETTRE XIX.

J'Ai reçu vos deux lettres, & dans la ſeconde le Billet de Mr. *Le Clerc*, & je ſuis bien aiſe d'apprendre que vous ſoyez arrivé heureuſement en Hollande.

J'ai donné bien des choſes au public, & on ne s'eſt jamais plaint que je ne parlois pas aſſez clairement. Si Mr. *Le Clerc* ne m'entend pas, c'eſt qu'il n'a pas voulu ſe donner la peine de lire ce que j'avois mis autrefois dans les Journaux, & que Mr. *Bayle* cite dans ſon Dictionnaire. On y trouvera aſſez les explications des termes dont je me ſers. En matiére de Philoſophie je n'écris pas pour la multitude, mais pour les gens qui veulent méditer: Les autres n'ont que faire de tels écrits. Je puis bien parler du livre de Mr. *Cudworth*, puiſque je l'ai, & je n'ai pas beſoin d'interprète. Mr. *Cudworth* ne donne point de ſujet de retorsion aux Athées à l'égard de la beauté du monde, comme ſi elle pouvoit venir de quelque choſe qui manque d'intelligence; puiſque ſelon lui Dieu dirige les natures plaſtiques qu'il introduit. Mais il a ce défaut, commun avec la plûpart des autres Philoſophes, même les Cartéſiens, qu'il croit que le mouvement peut ſe faire naturellement d'une maniére contraire aux loix des méchaniques; Ce qui eſt éloigné du bon ordre & affoiblit l'argument qui méne au premier moteur; au lieu que ſelon moi les ames, ou autres natures incorporelles, ne peuvent point donner le mouvement ni en changer les loix, ni par influence, ni occaſionnellement; Dieu l'ayant préétabli comme il faut.

Je ne puis pas avoir écrit qu'il fût à ſouhaiter que Mr. *de Cuningham* eût vû les Pandectes Florentines, puiſque je ſçai bien qu'il les a vues; l'ayant connu à Florence.

Je ne trouve pas à propos qu'on aille ſolliciter pour moi les libraires de Hollande, ni qu'on en parle ou écrive à Mr. *Leers* de ma part. S'ils ne marquent point eux-mêmes de la diſpoſition ni du déſir pour mes ouvrages, je ne travaillerai pas pour les y porter. Mes amis cependant en peuvent parler d'eux-mêmes dans l'occaſion.

Nous ne ſçavons point ici les circonſtances du duel de Milord *Roxbourough*.

Je n'ai point vû le Livre de l'Abbé *Faydit* dont vous parlez, Monſieur; mais un autre plus vieux, qui lui a fait auſſi du tort, où il parle de la Trinité contre la doctrine reçue des Scholaſtiques.

Tout

Digitized by Google

Tout ce qui vient de Mr. *Grotius* ne peut manquer d'être bon en ſon genre. La Veuve de Mr. *Puffendorf* a encore pluſieurs lettres de *Grotius*; mais elle en demande trop.

A mon avis, ſ'il étoit vrai que la Cour travaillat trop aux élections ſoit des Membres ſoit d'un Orateur de la Chambre des Communes, cela pourroit rendre cet empreſſement ſuſpect aux peuples. Mais je crois que la Reine & ſon Miniſtére ſauront garder le juſte milieu. Je ſuis avec paſſion &c. *Sans datte.*

P. S. J'ai l'imprimé que vous avez laiſſé à Madame l'Electrice, & je vous l'envoyerai par occaſion. Vous aurez la bonté de me renvoyer mon papier; mais en m'écrivant je vous ſupplie de mettre ma Lettre ſignée & inſcritte *dans le couvert* à Mr. *Gargan*, & de ne point faire mention de mon nom ſur le couvert à Mr. *Gargan*, j'en ai des raiſons. Vous pourriez donner la Lettre miſe ſous le couvert de Mr. *Gargan* à Mr. *Bothmar* à la Haye ou à Mr. *Meſquita* à Amſterdam, mais toujours ſous ce couvert.

Digitized by Google

LEIBNITIANA

Sive Meditationes, Obſervationes & Criſes variæ *Leibnitianæ* Gallico & Latino ſermone expreſſæ.

Ex Otio Hanoverano Felleri.

I. Nicolai *Taurelli de rerum æternitate* liber Marpurgi A. 1604. 8. prodiit, & alius ejuſdem *de mundo & cælo* Ambergæ A. 1611. 8. In libro de rerum æternitate ſtatuit *Taurellus*, *animas ſeparatas non intelligere*. Idem rationem reddit, cur non Angelorum, ſed hominum lapſorum Deus miſertus ſit, quia Angelorum quilibet per ſe peccavit, at homines omnes in *Adamo*. Qui igitur alieno peccato peccatores facti ſunt, illos aliena juſtitia juſtos fieri congruum rationi. Ex eodem principio deducit, *quomodo Chriſti paſſio ſatisfecerit pro peccatis mundi*, quia propriè omnium hominum unum peccatum eſt, nempe peccatum *Adami* & *Evæ*. Cæteris *Adamus* impoſuit quandam peccati neceſſitatem. Solius *Adami* & *Evæ* peccatum perfectè voluntarium eſt. Hæc ingenioſiſſimus *Taurellus*, quem ego *Scaligerum Germanorum* appellare ſoleo, ſtylo, acumine, ingenio, libertate ſentiendi, medicinæ profeſſione ſimillimum.

II. *Jordani Bruni*, Nolani, de Monade, Numero & figura liber, de minimo, magno & menſura. Item de innumerabilibus, immenſo & infigurabili, ſeu de univerſo & mundis libri octo; *Ad* Illuſtriſſ. & Reverendiſſimum Principem *Henricum Julium*, Brunſvicenſium & Luneburgenſium Ducem, Halberſtadenſium Epiſcopum &c. Francofurti apud *Joh. Wechelum* & *Petrum Fiſcherum* conſortes 1591. 8. pag. 655.

III. Lorſqu'il eſt dit dans les *Chevræana* p. 388. *que* Jean Bruno *Italien a loué le Diable* dans une harangue publique à W. je m'imagine qu'on veut parler de *Giordano Bruno* natif de Nola, qui a été long-tems en Allemagne. Mais je doute qu'on lui eût permis à W. de prononcer un tel Panégyrique. Ce *Brunus* a dédié quelques ouvrages à *Jules* Duc de Brunſvic, où il y a des penſées approchantes de *Deſcartes* à l'égard de l'univers indéfini, & de la pluralité des mondes.

IV. *Nicol. Chriſtoph. Lynckeri* Protribunalia Gieſſæ Anno 1669. prodierunt. Multa ibi ex *Leibnitii* methodo Juriſprudentiæ ſumſit, etſi ipſum refutet. Collegium Argentoratenſe audacter ait cæcutire. *Zieglerum*, *Boeclerum* alioſque paſſim refutat; *Puſendorfium* malè ſcripſiſſe, *Relfendſo* eſſe tenebrionem. *Leibnitium* ait non rectè applicuiſſe *Pallavicinum*, alios, cùm eos nec viderit.

V. Diſſer-

Digitized by Google

V. Diſſertatio mea *de Arte combinatoria* prodiit jam anno 1666. cùm juvenis adhuc Lipſiæ ſtudiis operam darem. Francofurti autem me inconſulto ante aliquot annos fuit recuſa, ſed editor quiſquis fuit admonere debebat jam olim prodiiſſe libellum, ne lector putaret, talia quæ juvenem magis decebant, a me nunc protrudi.

(*De eo quod Principum intereſt.*)

VI. Qui de eo, quod Principum & rerumpublicarum privatim intereſt, ſolidè & acutè noſtro tempore ſcripſerit, mihi compertus non eſt, ſi demas *la Courti Conſideratien van Staat. Gockelii* liber de Regibus Europæis neſcio, an huc afferri mereatur. Schedæ, quæ interdum ſparguntur, *Rohanæum* poſt tot rerum mutationes ineptè ſequuntur. De cætero *diſtinguendum* eſt de eo, quod Principum ac Reipublicæ intereſt ſcripturis *inter veritatem & opinionem*, nam aliud forſan Galliæ Germaniæque ſtatus poſtulare videtur. Vir prudentia ac judicio valens, accedente ſola cognitione Geographica, de vera cujuſque gentis utilitate accuratè reſpondere poteſt, imò & de eo, quod regnantibus revera utile eſt. Sed de eo, » quod regnantibus utile videtur, is demum exactè judicat, qui ipſorum » regnantium & miniſtrorum primariorum perſonam indolemque ac velut » characterem ſatis perſpexit; ex qua Ethices parte practica omnis hæc politica ratiocinatio profluit. *Rohanæus* ipſe magis de eo dixit, quod facere debeant, quàm quod faciant aut facturi videantur Principes. Sed illud ſine hoc noſſe non ſufficit, neque de eventibus ex vera ſed apparente utilitate pronuntiari debet. Sed nec video, quid conſtanter de eo, quod facti eſt, apparente nempe Principum bono, ſcribi poſſit, cùm in annos imò horas omnia levi momento mutentur.

VII. Etſi haud dubiè multa ſint in *Machiavello* reprehenſione digna, virum tamen magni ingenii nolim pro ſtulto & inepto traduci. Suum cuique tribuere juſtitiæ opus eſt. Apologiam quandam *Machiavelli* etiam apud nos dedit *Hermannus Conringius*, ingenuè explicans, quid laudandum in viro, quid reprehendendum. *Scioppianam* verò defenſionem haud dubiè ampliorem extare vellem. Fuit enim *Scioppius* harum quoque rerum judex non aſpernendus.

VIII. *Jacobus Balde* S. J. debebat ſcribere *hiſtoriam Bavaricam*. Et cœpit ſanè. Vidi fragmentum, nempe expeditionem Donawerdanam prudentiſſimè ſcriptam, ſed diſplicuit Bavaris, quia nimis liberè, ut opinor, ſcripta. Continuarunt deinde *Fervaux* (a) & *Adelzreiter*.

IX. P. *Jacobus Keller*, qui ſcripſit *Catholiſches Pabſtthum*, item Tyrannicidium

(a) Bohuslaus Balbinus ad Chriſtoph. Arnoldum, Praga d. 6. Sept. 1681. *Vidiſtine Annales Boicos Cancellarii Bavarici* Adelzreiteri? *Sic vos non vobis. Partus hic eſt noſtri* P. Johannis Fervaux, *Lotharingi, (hoc tibi ſoli) in cujus nomine ob certas cauſas Annales illos noſtri majores apparere noluerunt.*

dium contra ſententiam Jeſuitis tributam, quaſi apologiam Societatis, autor eſt quoque *Rhabarbari* contra Fridericianos ſcripti. Idem *autor eſt libri contra* Bzovium *ſub* Herwarti *nomine editi. Herwartus* chronologica, ſymbolica, & alia, quæ ſub ejus nomine extant, non ipſe ſcripſiſſe dicitur, ſed alius ejus nomine. Uti *Sirmondus* tres poſtremos *Baronii* Tomos magnam partem compilavit.

X. *Blumii* extat ſcriptum de Electoribus MS. viginti plagulis præterpropter conſtans. Idem ſcripſit tractatum de Miſſa ſolitaria. Idem eſt autor diſputationis ſub *Conringio de Epiſcopis Germaniæ* habitæ.

XI. *Sutholdus* ad extremum Conſiliarius Neoburgicus, pene pro fatuo & ad res tractandas inepto habitus eſt, rectiuſque Daventriæ Profeſſor manſiſſet.

XII. *Rudbeckius* curabat per *Schefferum* ſua omnia verti latinè, non enim libenter hac lingua ſcribebat, Germanica libentius.

XIII. In Bibliotheca regia Pariſienſi monſtrata mihi fuerunt Biblia latina ab *Henrico Stephano* edita, impreſſa *en velin.* Librarii illius temporis obligati erant exemplum uniuſcujuſque libri impreſſum in Bibliothecam regiam deponere.

XIV. P. *Kircherus* voluit explicare tabulam Vienna miſſam, quam dixit compoſitam eſſe è multis linguis Arabicis, Syriacis, &c. Alius dicebat eſſe Græcam tantùm literis parum abraſis, idque *Holſtenius* etiam aſſeruit, & res ipſa manifeſtè comprobavit, eſſe tantùm literas Græcas parum decurtatas. Idem *Kircherus* in deſcribendis *Veſuvii phænomenis* uſus eſt Galli cujuſdam, itineris comitis, obſervationibus, qui quia eum nominare dignatus non eſt, cùm tamen omnia practica ab ipſo habuerit, ipſe voluit edere auctiores.

XV. *Claubergius* dixit ſe noſſe modum eloquendi naturam mentis, ſed noluit indicare. Sæpe in profundam quandam ecſtaſin abripiebatur cogitando. Unde aliquando ſic obiit.

XVI. *Malpighius*, Philoſophus Bononienſis, edidit librum *de bombycibus*, magni momenti, & curioſiſſimis experimentis plenum, quem Angli recudi fecerunt, & ob ſummam utilitatem & praxin in Americam miſerunt.

XVII. Ut ſocietas Anglicana experimenta naturalia confert, ita in alia deberent *regulæ vitæ*, *obſervationes utiles & reconditæ de rebus humanis emendandis*, de congerendi artibus conferri.

XVIII. Sæpius aliquid novi invenit, qui artem non intelligit, quàm qui intelligit. Item αὐτοδίδακτοι quàm alius. Irrumpit enim per portam viamque aliis non tritam, aliamque rerum faciem invenit. Omnia nova miratur, in ea inquirit, quæ alii quaſi comperta prætervolant.

XIX. Credibile eſt, *verſiones Græcorum Mathematicorum* latinas multa reviſione indigere, e. g. in *Heliodori Lariſſæi* Opticorum capitibus ex *Lindenbrogii* Bibliotheca editis A. 1610. 4to. apparet ex Græco, eſſe indicem tantùm propoſitionum ex opere excerptarum, non ipſum opus.

XX. *Qua-*

Digitized by Google

XX. *Quænam diſcenda ad uſum vitæ?* Si una lingua eſſet in mundo, accederet in effectu generi humano tertia pars vitæ, quippe quæ linguis impenditur. Sunt multa alia, quæ diſcenda ſunt non ob naturalem, ſed in opinione fundatam utilitatem, » ut *leges poſitivæ*, *ceremoniæ*, *ſtylus* » *Curiarum*, & magna pars *eruditionis criticæ*, cujus ſæpe ſi grandes libros » legas, vix centeſimam partem reperies continere aliquid ad uſum vitæ. « *Hiſtoriæ* ipſius præter delectationem utilitas nulla eſt, quam ut religionis Chriſtianæ veritas demonſtretur, quod aliter quàm per hiſtorias fieri non poteſt.

De cætero homini etiam, ad uſum vitæ magna præſtituro, ſcire ſuffecerit qualemcunque delineationem *hiſtoriæ univerſalis*, hiſtorias memorabiles ſeu extraordinarias, colloquiis eleganter diſtinguendis aptas, quo pertinent joci & argutiæ; exactiſſimam cognitionem veræ *Logicæ*, ſeu artis ratiocinandi; exactiſſimam cognitionem regularum *juſti* & *utilis*; *Eloquentiam* efficacem. Sed hæc præparatoria ſunt & afferenda, & magis prudentiæ quàm ſcientiæ ſerviunt. Scire autem neceſſe eſt totam *Matheſin*, *mechanicam* exactiſſimè, & totam *Phyſicam practicam*, qua aliquid utile effici poteſt, itidem exactiſſimè, tum & *Geographiam*.

Breviter, homini ingenioſo, judicioſo & eloquenti, magnum aliquid præſtituro, ſuffecerit noſſe totam Matheſin & Phyſicam practicam, ſeu omnia problemata Phyſicæ & Mathematicæ, quibus aliquid utile effici poteſt. (In *Geometria* igitur illi pauca ſufficient, nam ad uſum vitæ nihil refert quadrare circulum poſſe.) Et per conſequens omnes artes mechanicas & phyſicas & inter eas *Medicinam*, non ut ipſe ſit in iis exercitatus, demtis fundamentalibus neceſſariis, quales delineare, collimare, gladio bene uti poſſe, ſed ut omnes eorum regulas ſciat. Qui hæc tenet, jam debet porrò noſſe *hiſtoriam naturalem Orbis terrarum*, id eſt, quæ quibus in locis creſcant, quæ ibi hominum natura & populoſitas. Hæc qui tenet, poteſt conceptus facere & fingere animo optimam rempublicam mundi. Deinde debet noſſe vitia, quibus ubique ab optima illa forma declinatur. Quomodo nimirum hic & illic diſturbata commercia, neglecta loci commoda, bona propria ignorentur, mala facilè tollenda invaluerint. Et hoc optimè noſcetur, ſi ſciamus, qualis nunc ſit in quolibet loco multitudo hominum, quo loco ſitæ urbes, quis ſtatus commerciorum, manufacturarum, artium & ſcientiarum, reipublicæ etiam forma quæ? Hinc jam colligi poteſt, quæ ſint addenda vel demenda in mundo. Quo præſtito de mediis cogitandum eſt, quibus is qui ſic deliberat, ſaltem ſtabile aliquod fundamentum ſocietati alicui locare poſſit, tollendis paulatim tot malis ſuffecturæ. Et huc jam noſſe opus eſt *habitus animorum*, tam vulgi & integrorum ordinum, quàm ſingulorum regnantium, ſi non jure, ſaltem facto, quales qui apud regnantes gratia valent. Horum catalogus per politicos haberi debet, habitus animorum diligentiſſima perſcrutatione inquiri.

XXI. *Horbius* conſtituerat tum doctores, tum hæreticos veteris Eccleſiæ

percurrere, eorumque ſententiam non ex centonibus allegantium colligere, aut per articulos cum aliorum apparentibus tantùm in ſpeciem paralogiſmis ſparſas intueri, ſed ex ipſis fontibus colligere, & ſuam cuique ſeparatam theoriam, aliorum hypotheſibus intermixtam, perpetua harmonia connexam, & ad pauca quædam principia & πρῶτα ψεύδη revocata aſſignare. Edidit in *Origene* doctum ſpecimen, dabit mox in *Manete*, inde ad *Arium* & *Neſtorium* perget.

XXII. *Spenerus* collegerat *prætenſiones illuſtres*, diſſuadentibus tamen quibuſdam non edidit. *Spizelius* moliebatur Academiam ſacram de prudentia eccleſiaſtica, veterum inprimis. *Boeclerus* ajebat, *Eſaiam Puſendorfium* longè eſſe fratre *Samuele* eruditiorem. *Obrechtus* quondam prælegit in *Hornii* Orbem politicum. Quas *Olearius* epiſtolas edidit Caroloſtadii aliorumque, momenti ſunt exigui. Notæ literis meliores. Pleraque contulit *Jacobus Thomaſius*. *Jo. Frid. Gronovius* in toto *Edmundo Albertino* evolvit citata patrum loca.

XXIII. Cathedralis *Bibliotheca Argentoratenſis* venit in manus *Bongarſii*, qui erat illic Conſiliarius Proteſtantium tempore litis Canonicorum cum Catholicis, ferè tota. Reſidua, quæ *Bongarſius* noluit, venere in Academiæ manus. *Bongarſii* ſuper 600. Codd. MS. præclari & alia ejus omnia eruta à republica Bernenſi ablata.

XXIV. *Sturmii* volumina duo epiſtolarum egregia & nonnulla alia venerunt ad D. *Sebizium*, Medicum Argentoratenſem. Sed is tegebat, nec facilè monſtrabat.

XXV. L'Abbé *de Villeloin* (*Marolles*) volebat vertere *Petronium*. Opus Abbate dignum. Mr. *Nicole* elegantiùs ſcribebat latinè, quàm ipſe *Arnaldus*.

XXVI. Romania quædam fiet eleganter, ſi deſcribatur, qualis ſtatus mundi futurus ſit, ſi homines volare poſſent. Pugnabunt tum in aëre, & urbes domosque ſuperius quoque munient, ne quis irrumpat. Vidi in catalogo quodam Pariſienſi librum hoc titulo: *l'Epigone ou l'hiſtoire du ſiécle futur*. 8°. *Artem volandi* dicit *Campanella* inveniri poſſe, ſi daretur funambulis plus ſapientiæ.

XXVII. *Becherus* dicebat radicem τῦ Jehova eſſe *Ja*, *hova* eſſe tantùm terminationem. *Ja* eſt virtus, etſi hoc vulgo ignoratum. Hinc Græcum ἴον virtus, a quo βίος & Latinum *vis*, præpoſito digammate Æolico, quod ego referenti *Skytio* addidi.

XXVIII. *Skytius* in linguarum cognitione ſummam operam poſuit. Iter Conſtantinopolitanum ei ſuper quindecim mille thaleros conſtitit. *Habuit radices plerarumque linguarum*. Dixit, ex omnibus fieri per abſtractionem poſſe linguam univerſalem matricem, radicalem, quam nemo loquatur, ſed quæ ſit omnium radix. De hac tamen plurimum *Hebræam* participare fatetur. Opus ſuum univerſalis linguæ jure merito æſtimat ter centum millia thalerorum.

XXIX. *Le-*

Digitized by Google

XXIX. *Legerus* Conſtantinopoli diu fuit, is *Spenero* retulit *linguam Turcicam* mirè mixtam eſſe, vix eſſe ducentas proprias linguæ voces. Sacra eſſe Arabica, politica ex Græca, nautica & mercantilia ex Italica, mechanica & metallica ex Germanica lingua. Agebat *Legerus* Genevæ. Erat vir doctus.

XXX. In *lingua Perſica*, ni fallor, præpoſitiones poſtponuntur, ut in Tranſylvanica nomina in baptiſmo indita. Lingua Perſica plurimum e Germanica (*b*) habet. Integri verſus Perſicè ſcribi poſſunt, quos Germanus intelligat.

XXXI. Non videtur *Gravio* (in deſcriptione Pyramidum apud *Thevenot*) vera opinio *Kircheri*, quòd iidem ſint caracteres Copthorum & veterum Ægyptiorum. Nam *lingua* certè *Copthorum*, inquit, nil niſi Græca corrupta eſt. Idem ego dico de *Wallica*, quòd ſit e Latina, cùm nonnulli dicant veterum Celtarum eſſe.

XXXII. Sunt quædam, quæ a Gallis dudum habemus vocabula, ut *Ebentheuer* ex *avanture*. Sunt quædam, ubi dubito, ut *ohngefehr*, *environ*, utrum ab altero; Pro utroque rationes ſpecioſæ. *Cicero* dixit Græcos non habere vocem, quæ reſpondeat Latinæ *ineptus*. Credo quia apud illos hoc vitium tam fuit commune, ut pro vitio non haberetur. *Scaliger* orationem habuit de ſignificatione vocis hujus. Mihi videtur ineptum ſignificare, quod Galli vocant *niais*, quod alia lingua exprimere ſatis difficile eſt. *Maintenir* ne s'exprime pas bien en Latin. Par exemple maintenir la paix de Weſtphalie, c'eſt-à-dire, tenir la main là-deſſus, la faire obſerver. *Conſervare* ne dit pas tant.

XXXIII. *Johannes Ogilby* (*Ogilbeius*) Anglus, edidit *Virgilium* & *Homerum* Anglicis verſibus grandi forma cum notis, ut & *Æſopi* fabulas cum eleganti paraphraſi. *Virgilius* & *Homerus* excuſi ſunt magno charactere. Ubique pulcherrimæ figuræ. Chinam etiam deſcripſit, puto vertiſſe ex legatione Hollandica, ſicut etiam expreſſit in Atlante. Edidit *Biblia* Anglicè *cum elegantiſſimis figuris* optimorum pictorum v. g. *Rubenii*, &c. Poſſet talis catalogus inſignium picturarum fieri ex *Monconiſii* Itinerario. Idem *Ogilbeius* edidit *Atlantem*. Africam abſolvit, quo refert Ægyptum, Maltam, Canarias. Addit ubique particulares tabulas non tantùm regionum & partium regionum, ſed & urbium ut & plantarum & aliarum rerum naturalium; Ab Ægypto incipit. Anglia ſola habebit integrum volumen.

XXXIV. *Carolus Alexander de Freſnoy* de Pictura, carminibus. Vertit gallicè, addiditque notas. Ipſe dedicatione ad *Colbertum* ait, ſe paralyſi correptum impeditum ab executione, nunc libro non ampliùs tabulis docere. Proſa eſt Gallica. Acceſſere notæ Gallicæ, item quædam de picto-

(*b*) Voluit *Elichmannus*, Medicus, qui diu in Perſia vixerat, integrum opus ſcribere *de affinitate linguæ Perſicæ & Germanicæ*, teſte *Salmaſio* in Præfat. Comment. in Tab. Cebetis, & in ſuo Funere Helleniſtico.

ribus noſtri ſeculi. Item Dialogus *ſur le Coloris*. Magni facit alicubi deſignationes *Vænii*. Paris. 1673. 12. apud *Langlois* à la victoire ruë S Jacques.

XXXV. *Pocokius* credidit *hiſtoriam Autodidacti* eſſe veram, cùm tamen ſit inſtar Romaniſci ficta. *Erpenius* vertens ex Arabico Data *Euclidis* vertit *Munera Euclidis*. Idem vertens *Elmacinum* commiſit ultra trecentos errores.

XXXVI. *Aſtrologiæ nova Methodus Franciſci Allæi*, *Arabis Chriſtiani*. 1654. *fol*. Adjectum eſt *fatum univerſi*, item de illo fato univerſi diſquiſitio (in effectu apologetica) *Ivonis*, Pariſini Capucini; ex qua ſatis apparet ipſum Capucinum eſſe autorem, & fictum tantum Arabis nomen. Introducit, quaſi autor Arabs a pueris ductu parentum deditus fuerit Aſtrologiæ, a religioſis cum familia converſus ad Chriſtianos, peregrinatus varie per orbem: In Gallia aperire ſe adhuc timuiſſe, quòd ſciret duos aſtrologos egregios, odio Miniſtri ſtatus præcedentis (puto *Richelii*) in eam artem, ad triremes damnatos.

XXXVII. *Kellæus* cùm in cuſtodia apud *Rudolphum* Imperatorem eſſet, ex crure fracto obiit, effugere volens ex carcere. *Mericus Caſaubonus* Anglicè edidit *Diarium Kellæi & Johannis Dee converſationis cum Spiritibus*, ad convincendos eos, qui talia negant. Habet aliud *Aſhmol*, qui theatrum Chymicum Anglicum edidit.

XXXVIII. Le Marquis d'*Aytona* vir fuit curioſiſſimus & incredibilis lectionis, mortuus credo anno 1670. Monſieur *Servien* Lugdunenſis, ſenex, olim ſtipendia & in Germania meruit. Homo fuit curioſus, præprimis in magnetiſmis inſtar *Kircheri*.

XXXIX. *Marcus Meibomius* edidit *muſicos veteres* & *de proportionibus* ſcripſit, item *Euclidem reformatum*. Aliquando in Anticamera Reginæ *Chriſtinæ* cum *Howarto* Scoto, (homine etſi catholico, quod diſſimulaverat, a *Bocharto* adducto ob peritiam linguarum, inprimis Græcæ & Orientalium) conflixit verberibus datis acceptisque.

XL. Regina *Chriſtina* emit *Bibliothecam Petavianam*, nucleum, teſte *Salmaſio*, manuſcriptorum Galliæ. In ea fuere tres *Servii* Codices optimæ notæ mirè differentes, ex quibus ſatis apparebat, quantum aſſutum ſit Scholiaſtis veteribus. Multo plura in illis, quàm in editione *Petri Danielis*.

XLI. Pater *Zweenbruck* fuit Rector Colonienſis, Trevirenſis, Luxenburgenſis, poſtea Provincialis provinciæ Colonienſis, item Miſſionarius Apoſtolikus Bremam. Is ſanctè affirmavit Patri *Gamanſio*, ſe in manibus habuiſſe Bremæ *MStum Livii plenius*, ſed cùm mercator juſto carius vendere vellet, tum neglexit. Cùm rurſus quæreret, poſt mercatoris mortem ampliùs non comparuit.

XLII. Prædicatores & Minoritæ ſucceſſere Templariis, Jeſuitæ his. Jeſuitis haud dubiè alii ſuccedent, hiſtoria, medicina & matheſi inſtructi, quibus iſti non ſatis pro magnitudine ſocietatis valent. Patres iſti non edunt opera poſthuma ſuorum, ſed ea variè diſpergunt, ipſique, ubi ſint, ignorant. Unde MSta quædam Patris *Balde* ipſis ignota alicubi reperta ſunt.

XLIII. Le

Digitized by Google

XLIII. Le Pére *Gamanſius*, qui a communiqué pluſieurs choſes au Pére *Papebroch*, a voulu mettre au jour *metropolin Moguntinam*, où il a voulu parler de tous les Suffragans de cette Métropole. Il avoit fait un grand appareil pour cet ouvrage, mais c'eſt dommage qu'il n'ait pas été ſecondé par ſon Electeur & ſes confréres, qui n'en ont point fait de cas. Il s'eſt pluſieurs fois plaint, que ſes confréres auroient mieux aimé qu'il mît au jour des ſermons, que des traités qui ſerviſſent à l'éclairciſſement de l'hiſtoire.

XLIV. *Papebrochii* Acta ſanctorum in cenſuram *inquiſitionis Hiſpanicæ* inciderunt. Hoc cùm tetigiſſet, non nemo in Berolinenſi eruditorum Diario, addidit: *Miſſionem in illa gente neceſſariam eſſe, ſi non fidei, ſaltem ſcientiæ.*

XLV. *Hamaxobios* Scythas Græci vocabant, detorto Maſſoviorum ſeu Maſſagetarum nomine ad ſuam linguam, quaſi *curri-vivos*. Perinde ut inepti quidam *Scandinaviam Taciti* a ſcandendis navibus derivant, cùm tamen ſit compoſita vox ex *Scania*, *Dania* & *Au*, quod inſulam notat, *Scan-dan-au*.

XLVI. *Ammianus Marcellinus* L. 31. *Hunnis* tribuit, quæ *Tacitus* Fennis, unde fortè aliqua Hungaricæ ſeu Hunnicæ & Finnicæ linguæ cognata. Caput Finnis *Paa*, Hungaris *Fa* vel *Foe*, Cambrobritannis *Peb* caput. Eſt autem notabile, quod Æſtiorum linguam Cambrobritannicæ ſimilem *Tacitus* ſcribit. Vocabula *Paones*, *Pannones* cum *Faones*, *Fannones*, vel *Fennones* permutata. *Cluverius* dicit, ſe putare Finnis olim vicinas fuiſſe ſedes Hunnorum.

XLVII. *Otto Sperlingius*, Conſiliarius & Profeſſor regius Hafniæ, miſit ad me *linguæ Danicæ hiſtoriam* elegantem, & quæ varia nos docet ad Orbem Septentrionalem ſpectantia.

XLVIII. *Nova terræ diviſio* per diverſas hominum ſpecies vel generationes, quas magnus peregrinator miſit Domino Abbati *de la Chambre*, Pariſino, extat in Diario Eruditorum Pariſino A. 1684. d. 24. April. Res huc redit. Geographi terram per regiones (gubernationes potiùs) dividunt. Ego *quatuor aut quinque ſpecies vel generationes* obſervo. *Prima* continet homines Europæ, parte Moſcoviæ excepta; His addo littus Africæ a Nilo ad columnas Herculis, Imperium Turcicum, Perſicum, Mogolis, Golcondam, Viſapur, Maldivas, partem regionum Arakan, Pegu, Siam, Sumatræ, Bantam, Borneo. Equidem non parum differre Indos a noſtris negari non poteſt, non ſatis tamen ut ſpeciem faciat differentem. *Secunda* ſpecies eſt Africanorum: Grandia labra, *naſo ſcaſſo o ſimo*, pauciſſimis labia mediocria, naſusque aquilinus. Nigredo non a Sole, ſed natura, nam & tranſplantati retinent niſi conjugia miſceantur. Cutis levis, polita, mollis & velut oleoſa, exceptis locis ubi Sole velut torrentur. Barbæ vix tres quatuorve pili, capilli lanæ ſimiles, ut canum quos *barbettos* dicimus. Dentes ebore candidiores, lingua corallii rubedine. *Tertia* ſpecies implet partem regnorum Arakam, Siam, Sumatræ, Borneo, tum Philippinas vel Manillas, Japoniam, Pegu, Tunkinum, Cocincinam, Chinam, Tar-

tariam intra Chinam, Gangem, Moſcovi ſitam, Usbek, Turkeſtan; Zagetai, partem Moſcici Imperii; Tartaros Europæos & Turcomannos verſus Euphratem & Aleppum habitantes. His omnibus color albus, ſed humeri largi, facies plana (*viſo piatto*,) naſus exiguus (*picciolo & ſchiacciato*) oculi exigui & porcini, (lungi & incavati) & pauci in barba pili. *Quarta* eſt Lapponum ſpecies; *Sono queſti piccoli ſcorcii della natura*, crura craſſa, humeri largi, collum breve, facies ſylveſtris & quaſi urſi. *Americani* ferè colore olivæ, & facies a noſtris diverſa planè ratione comata. *Cafres* ad bonæ ſpei caput multum ab aliis diverſi, macilenti, ſicci, exigui, deformes, veloces, avidi cibi crudi & cadaverum, ut etiam inteſtina animalium collo circumligent, quo ad libitum deliciis iſtis fruantur. Etiam aquam marinam bibunt, ſi alia deſit. Lingua tam ſingularis, ut impoſſibile ſit Europæo diſcere, & videri eſſe galli Indici vocem Hollandi dicunt. Hæc ibi. Ego dividerem iſtos homines noſtri continentis in extremos & medios. Extremi ſunt Lappones & Nigritæ, quorum ultimi Cafres: Lappones urſorum, Nigritæ ſimiarum naturam habent, quæ ipſis domeſtica animalia; etſi urſi Lapponibus grandes, & homines tamen minuti, quaſi aptiore regione urſis quàm hominibus. Nigritis proprium pellis genus. Medii homines alii vultu depreſſo & oſſiformi; tales ſunt extremi Orientis incolæ & Septentrionis orientalis, cæteri noſtris ſimiles. Videmur nos vultu leonem referre, Lappones urſum. Etiam Orientales extremi aliquid ſimiæ habent. Addendæ figuræ comparatioque animalium. Ego velim *regiones dividi per linguas & has notari in cartis.*

XLIX. *Herminones* a quodam antiquo Heroe, filio *Manni*, dictos diſertè habet *Tacitus*; & hunc fuiſſe cultum Germanis oſtendit idolum in columna *Irminſul*, quæ omnia *Huetio*, cùm amicus ſignificavit, valde probata.

L. Nemo in laudandis exteris officioſior eſt ſcriptoribus Germanicis, ſed condignæ ipſis vices non redduntur. Exemplum præbet *Guerickius*.

LI. Duplex eſt inventio ſeu ingenioſitas, quemadmodum & memoria. Alia promta & ab ingenio dependens, alia ſolida & a judicio orta. Illam habent eloquentes, hanc tardi, ſed ad negotia tamen non inepti. Quidam ſingulari ſunt varietate, ut certo tempore, certo loco ſint mirè promti, alio extremè tardi, *in quibus ego me numero, qui & hoc ſentio paucos eſſe mei characteris, & omnia facilia mihi difficilia, omnia contra difficilia mihi facilia eſſe.*

LII. Omnes, qui contumeliæ ſunt impatientiſſimi, ſunt miſericordes. Id eſt, cùm vident alium in eum ſtatum redactum, quem in ſe miſerum putarent, commoventur: unde humiliari tantùm alios, mox rurſus erigi volunt. Sunt qui exiguæ punctiunculæ non poſſunt longo tempore dememiniſſe, at iidem omnium minimè ultores ſunt, cùm primum ſibi honor ab alio reſtitutus eſt. Iidem ferè ſunt ingenii quàm imaginationis felicioris. Contra qui imaginatione valent, minus doloris accipiunt à contemtu exiguo,

guo, ſed grandis injuriæ vix unquam obliviſcuntur, nec vindicandi animum facilè deponunt, certè vix eſt, ut in gratiam redeant. Ingenioſi & magnis & parvis contumeliis acutè afficiuntur, ſed flamma quadam, qualis de ſtipula eſt, ſubitò deflagrante.

LIII. Juvenum voluntates, inquit in Rhetoricis *Ariſtoteles*, acutæ ſunt potiùs, quàm magnæ. Ita ſunt quidam in minutias validi, ſubtiles, verſatiles, crederes ingentia geſturos, ſed cùm ad majora ventum eſt, hærent, & ſuis ipſi meditationibus involvuntur, neque ſatis certi conſiliorum, neque ad egregia animo erecti. Breviter, ingenio acuto potiùs, quàm magno. Talis eſt differentia, quæ inter pilæ plumbeæ, aut funda aut nitrato pulvere miſſæ ictum velociſſimum, ſed nonniſi mollia perrumpentem, & vim ſaxi ingentis, catapulta miſſi minore celeritate, at vehementia omnia perfringente. Etiam *in ſcriptoribus* has *differentias* agnoſco. Quid *Carteſio* in phyſicis, *Hobbio* in moralibus acutius? At ſi ille *Bacono*, hic *Campanellæ* comparetur, apparet illos humi repere; hos magnitudine cogitationum, conſiliorum, imò deſtinationum aſſurgere in nubes, ac pene humanæ potentiæ imparia moliri. Illi ergo tradendis principiis, hi concluſionibus ad uſum inſignibus eliciendis meliores.

LIV. Miror in tanta *experimentorum copia* tam pauca inde duci ad uſum vitæ. Itaque ſeculum noſtrum mihi ſimile videtur homini, qui tota ſua vita ſub dio victurus magnam copiam materiæ ædificii, à poſteris abſolvendi, comportat. Quod ſanè dolendum eſt: Poſſemus enim ipſi laboribus noſtris frui, ſi experimentis addere vellemus ratiocinationes. *Duobus* autem *opus* eſſet, *inventario experimentorum jam cognitorum*, *& applicatione Matheſeos ad Phyſicam.* Itaque ante omnia conſtituendæ eſſent motuum leges, deinde revocando Phyſicam ad mechanicam, ex obſervationibus eliciendæ eſſent concluſiones practicæ. Sed hactenus Philoſophi noſtri ſimiles ſunt mercatori, cui in magna taberna & mercium copia duo deeſſent, inventarium & ars calculandi. Quæ ſanè ſubinde monui etiam doctiſſimos e *ſocietate regia Anglicana* viros, amicos meos, hortatusque ſum, ut tantùm ordinare incipiant experimenta, quo uſus inventorum appareat, ſed illos alia diſtrahunt.

LV. *Phyſica noſtra*, in quantum à Matheſi disjungitur, nihil aliud eſt quàm obſervatio quædam conſuetudinum naturæ, quemadmodum forenſes homines uſum tribunalium obſervant, quem barbari curiæ ſtylum appellant. Ita ex conſuetudine naturæ, non rationibus cauſisve didicimus, quod exiguis quibuſdam granis plantarum in terram projectis ſimiles plantas, & exigua nuce arbores ingentes producere liceat: Quod inoculationes tranſplantationesque fructuum, fœturæ plantarum, ſolutiones ſalium, metallorum fuſiones procedant. Habent & *morbi* conſuetudines ſuas longo tempore obſervatas, nocentiaque & juvantia uſu deprehenſa, in quibus conſiſtit methodus medendi; nec ineptè aut à ſenſu noſtro abhorrenter febres quædam mali moris appellantur. Quòd ſi igitur Procuratores & Advocati con-

Digitized by Google

contenti ſunt noſſe jus, quo utimur, cauſas Philoſophis & legiſlatoribus plerumque relinquunt: Phyſici practici idem facere coguntur multo magis, qui cauſarum indagationem naturæque leges æternas Mathematicis tranſcribunt. Nam mathematica fundamenta ſeſe habent ad Phyſicum practicum, Chymicum ſcilicet, Medicumque, agricolam & ſimiles, ut ſe habet juris naturæ doctrina ad jus civile. Utinam tam facile eſſet revocare receptos naturæ mores ad æternæ veritatis decreta, quàm facile eſt examinare poſitiva, quæ vocant, ſeu ſtatuta jura ad canones perpetui juris. Interim quemadmodum vir pragmaticus in multo ſtudio ſibi quandam Juriſprudentiæ ideam ex longo judiciorum uſu effingit, cui ſic ſatis inniti poteſt, ut ea etiam dijudicare queat, quæ nondum occurrere; ita inſignis naturæ cultor de corporum morbis, remediis & meliorationibus non infeliciter decernit, & ſcientiam ſibi quandam conſtituit, non per omnia quidem firmam, præſertim in complicatis, ubi diverſæ naturæ conſuetudines concurrunt inter ſe, magni tamen uſus futuram in humana vita, & longè meliorem temeraria ejus fiducia, qui naturæ ritus non obſervavit. Ritus autem & mores & rerum localia jura cenſeo, quæ in noſtro hoc aſpectabili mundo, & præſertim telluris globo obſervantur, cùm fieri poſſit, ut multo alia ſit rerum facies in alio orbe, veluti in ſyſtemate *Saturni* aut *Jovis*, ne quid de aliarum fixarum mundis dicam.

LVI. Je ne ſais ſi ce n'eſt pas un bonheur pour moi, que je ſois venu un peu tard à la lecture de ce célébre Auteur (*Deſcartes.*) Je ne l'ai lû avec attention, que lorſque j'avois déja l'eſprit plein de mille de mes propres penſées. Ainſi je crois d'avoir profité des ſiennes ſans m'y aſſujettir, comme je vois qu'il eſt arrivé à d'autres, qui ſans cela nous auroient donné de bien plus belles choſes, que je n'oſe promettre. Je ne vois pas que les *Carteſiens* ayent fait des progrès conſidérables en Phyſique. Il n'y a que la Métaphyſique, où l'on peut dire qu'ils ont encheri ſur leur maître, ſurtout le R. P. *Malebranche*, qui a joint à des méditations profondes une belle maniére de les expliquer. Mais il paroit auſſi que c'eſt le dernier effort de cette eſpéce de Philoſophie.

LVII. Optarem, ut aliquis omnis generis *ludos* mathematicè tractaret, & tam regularum, ſeu legum rationem redderet, quàm artificia primaria traderet. Dici non poteſt, quàm multa ad artem inveniendi utilia lateant in ludis. Cujus rei ratio eſt, quòd homines in jocoſis ingenioſiores quàm in feriis eſſe ſolent, cùm magis nobis ſuccedant, quæ cum delectatione peragimus.

LVIII. On trouve dans les livres de Mr. *la Mothe le Vayer* plus de lecture que de méditation, ce qui eſt cependant néceſſaire dans un homme ſavant. Son traité ſous le nom d'*Horatius Tubero*, où il défend la ſceptique, lui a fait perdre ſa reputation. Mr. *Balzac* a ſi bien écrit, qu'on n'a encore pû l'imiter. Mr. *Paſcal* étoit d'une ſanté foible, mais d'une grande force d'eſprit. Sa vie a été écrite par ſa ſœur, & elle a été miſe à la

à la tête de ſes penſées. En voulant aprofondir les choſes de la religion & les controverſes, il eſt devenu ſcrupuleux juſqu'à la folie.

LIX. Dans la *Clélie* de Mad. *Scudery*, imprimée à Paris l'an 1661. Tom. 10: livr. 3. p. 1191. 1192. 1193. & les ſuivantes, *Amilcar* après les ſouhaits de tous les autres, il ſouhaite lui-même d'être ce que *Mazarin* avoit été. Il n'eſt pas nommé à la vérité, mais il en fait le portrait ſi au naturel, & en rapporte les actions d'une maniére, qu'il eſt aiſé de le reconnoître d'abord. Au même Tome p. 1224. on trouve les noms de *Scaurus* & *Cyriane*. Sous ces deux noms on fait le portrait de *Scarron* & de ſa femme, Madame de *Maintenon*; Il faut donc que de ce tems-là ils euſſent été en grande eſtime. Conſultez la page 1259.

LX. Mr. *Sparvenſeld* (c), qui a le ſoin de ſervir les Miniſtres étrangers qui ſont à Stockholm, a trouvé à Madrid un gros livre in quarto MS. contenant des diplomes, priviléges, bulles, &c: touchant les *Chevaliers de Malthe*, depuis leur premiére fondation juſqu'à je ne ſçais quelle année. Il mettra au jour un livre intitulé: *Criſes exterorum*, *ſive Additamenta ad elogia Grotiana de Gothis*.

LXI. Apud illos, qui incumbunt theſauris ſuis, plerumque expertus ſum, quæ *Pompejus* in Judæorum templo, inania arcana; Nec quiſquam ſuarum rerum tenacior eſt, quàm qui pauca habet, quæ largiri poſſit.

LXII. Sentio omnem ſcientiam, quanto magis eſt ſpeculativa, tanto magis eſſe practicam; Id eſt, tanto quemque ad praxin eſſe aptiorem, quanto rem, quæ ipſi tractanda eſt, melius conſideravit. Idem etiam de Juridicis cenſeo.

LXIII. Cùm Princeps *Condæus*, avus ejus qui nunc vivit, eſſet Venetiis, & Patrem *Paulum* Servitam quæſtionibus fatigaret, *Paulus* poſtea ad alios dixit: *Queſto Principe mi pare eſſer un Principe molto interrogativo.*

LXIV. Notas ad *Religionem Medici* compoſuit *Raſchius*, etſi *Moltkii* nomen ſit adjectum. *Raſchius* Principis Gottorpienſis Informator, ſed *Moltkius* Gubernator fuit. Poſſedit ille tractatum *Paracelſi de vegetabilibus*, quem *Carrichtero* recudendo addere voluit.

LXV. Multa bona in autore *vindiciarum contra Tyrannos*, *Stephani Junii Bruti* nomine edito, quæ ad augendum *Grotium* prodeſſe poſſent.

LXVI. Si *une Dame* faiſoit véritablement la *fonction d'Ambaſſadeur*, je ne ſais s'il ne vaudroit pas mieux dire qu'elle a été Ambaſſadeur qu'Am-

(c) Leibnit. in Præfatione Mantiſſæ codicis diplomatici a. 2. *Dominus* de Sparvenſeld *Sueciæ ornamentum*, *qui magnis in ſeptentrionem & meridiem itineribus*, *regio partim juſſu ſuſceptis*, *opima doctrinæ ſpolia ex Ruſſia Africaque retulit*, *& dum veteris Gothorum gloriæ monumenta veſtigat*, *multa alia in publicum profutura collegit*, *&c.* Et in quadam epiſtola MS. *Sparvenſeldius eſt membrum Collegii Antiquitatum Stockolmiæ. Vix quiſquam ipſi hodie par cognitione linguarum. Moderatius longe judicas*, *quam vulgo Suedi ſolent*, *quibus judicium philautia erga hanc nationem perturbat.*

baſſadrice, depuis que ce mot ſignifie la femme d'un Ambaſſadeur. Cependant j'avouë qu'on dit une Reine & non pas Roi.

LXVII. Danda eſſet opera in republica, ut quorumlibet *morborum*, *mortium*, *curationum* exacti *diaria* inſtituerentur, eorumque comparatione paulatim producerentur obſervationes; tum demum certiora haberi poſſent. Similiter *calendaria annorum præteritorum* fabricari deberent, item *collationes lineamentorum* factæ cum vita cujuſque, qui ſingularia fata habuit.

LXVIII. *Demonſtratio originis mundi* eſt, quòd alioqui omnes montes ſolo æquati. Nam ſi mundus eſt æternus, fuere ab æterno nives & pluviæ. Hæ montibus decurrunt, eædem ſemper aliquid decurrendo abradunt, quod abradunt, non reſtituitur, ergo ab æterno neceſſario conſumti dudum omnes montes. Sin ais montes creſcere, crevere in infinitum.

LXIX. Conſtat *martyres cruciatus exquiſitiſſimos ſuſtinuiſſe* non alia ratione, quàm forti imaginatione futuræ voluptatis, nam alioqui dolori aut voluptati obſiſtere nobis impoſſibile eſt, niſi contrariis oppoſitis. Sapientis erit ſemel in univerſum ſibi firmiter imprimere pulchritudinem futuræ vitæ, id eſt, Dei, in quo conſiſtit & amor Dei, ſeu harmoniæ rerum. Hanc ſi ſatis fortiter ſibi impreſſerit, ſi ex hac voluptatem perpetuam capiat, ſi hæc ſemper recurrat, duo ſequentur, tum ut homo ſemper agendo reſpiciat finem, tum ut nullis tormentis ab amore Dei ſeparari poſſit. Adeo ut in tauro *Phalaridis* beatitudinem unicè cogitet, cum *Stephano* ſub lapidibus cœlum ſibi apertum imaginetur. Hoc qui poterit omni humana vi ſuperior erit, nec arte ſe in ſtuporem dandi, cùm torquetur, indigebit. Hæc imaginatio in optima republica ab infantia uſque, omni artificiorum apparatu hominibus ſine diſcrimine, ſapientibus non minus quàm vulgo, imprimi deberet. Neque hic ſapienti oberit poëmatis & allegoriis, & fabulis & adumbrationibus, & variegationibus uti; Quia ad rem per ſe optimam omnia media recta ſunt, & nemo magis indiget his quàm ſapientes, qui ſolent alioquin omnium minimè affectibus obnoxii eſſe, ac proinde nec forti imaginatione valere, atque hinc doloribus ægrè obſiſtere, ut prorſus credam mulierculam Japonenſem, ideis quibuſdam, etiam fortè ineptis, de futura vita imbutam, facilè profundiſſimum quemque Theologiæ Doctorem Europæum conſtantia ſuperaturam fuiſſe. Hæc porrò imaginatio cum aſſenſu conjuncta, quod in fide divus *Thomas* piam affectionem vocat, amorem etiam Dei ſuper omnia, & contritionem & proinde certam ſalutem continet. *Fit* autem *fortis imaginatio aut picturis*, *aut ſonis*, nam cæteris ſenſibus paullo craſſioribus res non æquè ſignificantur. Picturæ explicatiores, ſoni fortiores, quia illic ſtatus, hic motus. Verba ſoni ſunt, memoriam picturarum inprimis, ſeu rerum viſarum excitantes. Unde verba in carmina, in *cantiones* redacta, quia ſimul & pictura excitant & ſonos exhibent, incredibilem habent vim movendi. Nec dubito poſſe hominem cantibus in furorem agi, ſopiri, excitari, irritari, ad riſum, ad fletum, ad omne affectuum genus commoveri. » Et video poſtremos re-
» ligio-

» ligionis reſtauratores hac arte uſos eſſe, ut plebem *cantionibus* tota Germania Galliaque ad veriora ſacra allicerent;« Quod quàm incredibilem vim habuerit, norunt, qui ſciunt perpetuis earum repetitionibus plebem tenerrima nunc quoque voluptate perfundi, & vix eſſe opificem, vix netricem, quæ non hac ſibi jucunditate condiat labores, & tædium fallat. *Unde ſtatuo, poetas non poſſe melius de republica mereri, quàm ſi omnibus viribus in æterna felicitate omni colorum genere pingenda, atque animis imprimenda occupentur.* Etenim vitia & cantionibus & dramatibus celebrantur, & jam præjudicium plebis eſt, cantiones amatorias elegantiores eſſe ſolere. Quod ſi *Comœdiæ* ad vitæ æternæ pulchritudinem adumbrandam, & horribiles ſcelerum pœnas depingendas adhiberentur, melius cum genere humano ageretur. Si jam cantiones in animis ſummum gaudium excitare poſſunt, ſi militaribus tubis ad contemnendam mortem animantur milites, ſi denique omnes affectus *arte muſica* moveri poſſunt, poterit memoria quantum fieri poteſt viva & expreſſa muſicæ ſibi quiſque quoſcunque affectus imprimere, & affectuum nonnullorum voluptatem. Sybaritæ præmia ei decernebant, qui nova genera voluptatis reperiſſet; *Ego rempublicam Chriſtianam plurimum debituram ei arbitror, qui effecerit, ut ſumma ſit jucunditas in pietate.*

LXX. *Somnia* hoc diſtant à vita, quòd phænomena vitæ ſunt ordinata, & quod hinc ſequitur, univerſalia: neque enim mea ſatis ordinata eſſent, niſi alienis conſpirarent. Quia tamen eſt aliquid in ſpeciem inordinatum in hac vita, non phyſicè quidem, ſed moraliter, conſentaneum eſt *ſupereſſe aliam vitam*, cui collata hæc habet ſomnii inſtar, & morte nos evigilantes ad phænomena demum pervenire, in quibus huic quoque perturbationi remedium afferatur, ubi præmia pœnæque corrigent, quæ in hac vita diſtorta videntur.

LXXI. *Imagines* infigunt menti humanitatem *Chriſti*, ut Deitatem non cogitet, abducuntque à vero Dei conceptu, & quod hinc ſequitur, ejus amore. Intueri imagines inter precandum periculoſum eſt, & à ratione alienum, quia abducunt mentem à profundioribus cogitatis ad corporales imagines.

LXXII. *Romana Eccleſia unitatem ſuam mirificè jactat.* Ego verò tueri auſim, illam unionem non eſſe veram, ſed tantùm exteriore aliquo politico ſyncretiſmo ſimulatam. Probo: Magna pars Romanenſium non credit articulos fidei in Romana Eccleſia definitos, quia Papa definivit, ſed quia ita in antiquitate eccleſiaſtica ſe reperire putat. Qui autem non credit aliquid verum, quia Papa definivit, is ſecundùm Romanam Eccleſiam non eſt verè Catholicus. Ergo magna pars Romanenſium non eſt verè Catholica. Aſſumtum probatur ex facto. *Galli* ferè omnes, & ex eorum ſententia *Walemburgii*, *Thomas Albius*, *Verenius*, hanc, quam nunc exequar Analyſin fidei, ſe habere docent: (confer *Fr. Macedum* contra *Albium*, & *Walemburgii* notas ad *Honoratum Fabri* contra Indifferentes manuſcriptas)

 nimi-

Digitized by Google

nimirum, *neminem poſſe ſalvari, niſi credat articulos fidei fide divina.* Fidem divinam eſſe credere, quod Deus dixit, quia dixit. Hactenus conſenſit Eccleſia Romana cum Gallicana. Jam ſequitur divortium: Deum dixiſſe, conſtare nobis per Chriſti & Apoſtolorum prædicationem miraculis confirmatam; Apoſtolos ſic prædicaſſe, conſtare nobis ex hiſtoria ſeu antiquitate eccleſiaſtica, vel quod idem eſt, traditione ſive ſcripta, ſive non ſcripta; Ergo ultima Analyſis fidei Gallicanæ eſt in antiquitatis eccleſiaſticæ hiſtoricam traditionem. Hæc eſt ubique *Analyſis Walemburgii*, *Veronii*, *Arnaldi*, & Gallorum controverſias ſcribentium prope omnium. Nunc intueamur *Analyſin Romanam*, *ſeu curialem*, quam & tuentur Jeſuitæ, (vide *Honoratum Fabri* libro de una fide contra Indifferentes) & contra quam propriè *Concuſſio Conringii* directa eſt. Unde nec declinarunt certamen Jeſuitæ, agnoſcentes, quam oppugnat ſententiam, ſuam eſſe, quod non fecerunt *Walemburgii*, qui non reſponderunt concuſſioni, ſed tantùm eam retorſerunt. Analyſis igitur curialis hæc eſt: Nemo poteſt ſalvari, niſi articulos fidei credat fide divina. Fide divina credere eſt credere, quia Deus dicit. Deus hodie nihil dicit, niſi per hominem habentem à Deo *donum infallibilitatis*. Præter eum hominem habentem à Deo donum infallibilitatis non datur alius, qui vel ipſe prætendat ſe id habere, præter ſolum Pontificem Romanum. Ergo nemo poteſt ſalvari, niſi articulos fidei credat, quia definivit Pontifex Romanus. Huc redeunt argumentationes *Bonartis*, *Honorati Fabri*, *Valeriani Magni*, aliorumque id genus. In hoc ſorite eſt manifeſtus paralogiſmus, inſeritur enim *τὸ hodie* in propoſitione tertia, quaſi neceſſe ſit hodie Dei vocem habere, nec ſufficiat probare, Deum ſic locutum olim. Cæterum ex his apparet, Analyſin fidei Romanæ tantum differre ab Analyſi fidei Gallicanæ, quantum Analyſis fidei Romanæ differt ab Analyſi fidei Auguſtanæ; Et hinc omnes illos, quos etiam politicos zelotæ vocant, non verè ſacramentorum gratiæ fieri participes, quippe extra eccleſiam conſtitutos, & *Galliam* ſuis libertatibus inhærentem externo tantùm politicè ſimulato ſyncretiſmo, quàm vero animorum conſenſu Eccleſiæ Romanæ inhærere. Hæc ſcilicet eſt jactata illa Eccleſiæ Romanæ unio. Cæterum connexio ex hac ipſa illa Analyſeon oppoſitione patet, dicunt enim disertè *Honoratus Fabri* & alii, ſalvari non poſſe, niſi qui poteſtatem & infallibilitatem Pontificis credat.

LXXIII. *Holdenus* putat in Analyſi fidei *non poſſe errorem obrepere toti Eccleſiæ*, idque, uti & *Thomas Albius* probare conatur, non ex peculiari aliqua aſſiſtentia Dei, ſed ex rationibus naturalibus. Verùm ea ratione ſequetur, non poſſe mundo obrepere errores univerſales, ſeu catholicos, quod tamen falſum eſt. Ecce enim toti mundo, demta unica gente, obrepſit error idololatricus de multitudine Deorum, immemoriali traditione propagatus. Toti occidenti obrepſit opinio de donatione *Conſtantini*, & multæ aliæ fabulæ, uti de grandi *Chriſtophoro*, de Equite *Georgio*, &c. Quæ omnia tamen nullus prudens dubitat poſſe rectè refutari ex hiſtoriis vetuſtio-

tuſtioribus & recta ratione. Unde patet de rebus vetuſtis non eſſe ſatis credendum teſtimonio univerſali hominum hodie viventium, nec ſufficere, ut dicant, quod audierint à majoribus, qui dixerint ſe rurſus à ſuis audiviſſe, nec originem fabulæ ortæ comperire quenquam potuiſſe. Nam ſæpe ſubitò *fabula* quædam diſpergitur & *fit univerſalis*, v. g. per certum ordinem conſpirantem, per unum librum valde vulgarem, qui legendam aliquam continet, per unius hominis docti auctoritatem & diſcipulos habentem, quo modo *Ariſtotelis* ſententiæ in Philoſophia factæ ſunt ſuperioribus ſeculis apud ſcholaſticos tam catholicæ, tam receptæ, tam indubitatæ, ac ſi articuli fidei eſſent. Unde illi diſplicent, qui interrogant nos, voluntque præciſe noſſe, quo tempore aliqua fabula emerſerit, ejus refutandæ cauſa. Cùm tamen talia oriantur ſæpe inſenſibiliter in dieſque vires accipiant, & occulto creſcit velut arbor ævo.

LXXIV. Videtur homo ad perfectionem venire poſſe, uſque adeo, ut nec ſummi dolores, nec febres acutæ, nec canis rabidi morſus, nec ſenſuum interceptio aut mors ipſa efficiant, ut voluptas animi ceſſet. Quare credo poſſe exiſtere hominem, cujus tanta ſit virtus, ut reſiſtat omnibus Japonenſium tormentis, & jactantiæ illius rerum capitalium in Japoniæ Chriſtianos quæſitoris, qui artificioſa dolorum diſpenſatione aiebat, ex omni ad martyrium aſpirante apoſtatam ſe facturum. Poſſe quoque effici arbitror, ut ſit aliquis eo animi vigore, ut Medici illius Angli potiones ſuperet, qui aiebat, ferociſſimum quemque certo medicamentorum uſu ſe prorſus de ſtatu dejecturum. Equidem languentem efficiet & moribundum, ſed dum ei cogitationem relinquet & rationis uſum, non poterit opinionem excutere, quam habet de felicitate ſua, quam vel inde æſtimat, quod reſiſtere poteſt. Sed opus eſt ad eam rem ſumma præſentia animi, cùm homo ſcilicet adſuetus fuit, ut nullis aliis cogitationibus oblatis à cogitatione ſuæ felicitatis divertatur.

LXXV. *Ciantes* Italus dabat operam, ut *Judæos converteret*, & ex ipſis eorum ſcriptis ante & poſt Chriſtum natum oſtenderet, creditam ab eis Trinitatem. Quædam ejus *Schönwetterus* edidit. Plura edere volebat, ſed cùm non eſſet bibliopola, remiſit ea illi D. *Wicelius*, Medicus Francofurtenſis, Romam.

De Gloria poſt mortem.

LXXVI. Omnes homines, etiam qui animam poſt hanc vitam, rerum, quæ in mundo tunc gerentur, ignaram arbitrantur, nihilominus gloriæ immortalis ſtudio ducuntur. Vix enim quiſquam eſt, qui nihil ad ſe pertinere ſentiat infamiam aut honores poſt mortem, aut qui non delectetur duraturo aliquo monumento, quo virtutem ſuam poſteris perſuadeat, aut liberorum ac familiæ futura magnitudine. Interea ſunt, qui cùm in ſe redeunt & cogitant attentè quid faciant, perſuadent ſibi omnem curam

Digitized by Google

de rebus poſthumis inanem & inutilem eſſe. At ubi primùm ab hac contemplatione velut à ſomnio ad actionem redeunt, non ideo à ſolita agendi ratione diſcedunt. Hujus autem rei multæ ſunt ſimul cauſæ. Nam *primò* omnes homines difficulter adducuntur ad mutanda recepta. *Secundò*, quemadmodum Solem non majorem imaginamur quàm apparet, etſi ſciamus eſſe majorem, ita etiam qui ſcire ſibi videntur animam poſt hanc vitam nihil noſſe de rebus, quæ hic geruntur, non ideo unquam hoc ſuæ imaginationi imprimunt. Naturale eſt enim imaginari nobis ſtatum poſt mortem ſimilem præſenti. *Tertiò* accedit, quòd grata eſt imaginatio conſervationis, ingrata extinctionis, aut ſaltem oblivionis vel inſenſibilitatis. Itaque quemadmodum, cùm in theatro ſcenographicam videmus picturam, etſi ſciamus non eſſe niſi colores illitos, nihilominus voluptatis majoris cauſa animum ab hac cogitatione ſtudioſè abſtrahimus, ut in pictura quaſi rem præſentem contemplemur; Ita qui putant ſenſum & notitiam rerum humanarum morte deleri, nihilominus imaginem rerum poſt mortem eandem habent, quàm alii, præſertim cùm rarò, nec niſi coacti, hæc cogitent. Itaque ſequi malunt ſuetum & naturæ gratum vitæ curſum, quàm ratiocinando ſibi triſtes animi morſus parare. Nam *quartò* nec ſecuri admodum ſententiæ ſuæ, & ex hoc conflictu pugnantis imaginationis & rationis naſcitur incertitudo quædam & anxietas, nam difficile eſt hominem exuere. Denique *quintò* cogitant hunc errorem, ſi quis ſit, nocere non poſſe, prodeſſe poſſe. His tot cauſis concurrentibus ſatis natura cavit, ne homines facilè agant quaſi interituri. Itaque video & *Vanninum* quæſiviſſe nominis immortalitatem, & *Spinoſam ſcripta ſua imperfecta combuſſiſſe*, ne ſcilicet reperta poſt ejus obitum gloriam, quam ſcribendo quærebat, imminuerent.

LXXVII. Pœnæ improborum nimium ſæpe in alteram vitam differuntur, ut potius malitiæ in hoc ſeculo, & tanquam in regno Principis hujus mundi privilegium eſſe videatur, prævalere.

LXXVIII. Pro certiſſimo habendum, infelicitatem poſt malitiam, (ſive eventus malos actionum improbarum) malitiæ imputandam, ut mors ſecuta febrem malignam febri tribuenda eſſet, etiamſi tanta eſſet Medicorum ſcientia, ut pleræque hujuſmodi febres ſanarentur.

LXXIX. *Tempus purgationis* tam diuturnum eſt, quamdiu opus eſt animam in intelligenda ſatis priſtini peccati ſui malitia verſari, dolor ergo ille conſiſtit in viſione peccati, mali & Diaboli, quemadmodum gaudium cœleſte in viſione Dei & boni. Sed qui in inimicitia erga Deum obeunt, eorum malum infinitum eſt, quia voluntas nocendi malum infinitum eſt. Qui enim nocere vult, non id tantùm voluit, quod nocuit, ſed & ea omnia, quæ, cùm non poſſet, intermiſit, quæ ſunt infinita. Actus verò nocendi ſine voluntate definitam naturam non habet.

LXXX. *Harvaus*, quod non invenit locum conceptionis, factum, quia ille diſſectione diſturbatur. Unde cùm nihil inveniret, imaginatus ſibi eſt ſpiritualem irradiationem.

LXXXI. *Me-*

LXXXI. *Menagius* Lexicon Botanicum habuit, multis egregiis & antiquitatis & naturæ obſervationibus refertum.

LXXXII. Quidam in Hollandia, ut *Voſſium* confunderet, negantem vitrorum poroſitatem, ea tam ſubtilia fabricavit, ut aqua tranſſudaret.

LXXXIII. *Henricus Morus de immortalitate animæ* ex Anglico verſus in Gallicum par Mr. *Priot*, qui & interpres eſt libri inſcripti l'*Empire Ottoman*.

LXXXIV. L'*Artique* ſcripſit librum, *le Génie ou l'eſprit de Rhétorique*, editum Pariſiis 1668. 12. In eo diſputat de linguis & contra novæ cujuſdam methodi ſcribendi Gallicam linguam, ut pronunciatur, incruſtatorem. Scripſit & librum *de Immortalitate animæ* gallicè, cujus pars prima dedicata Electori Moguntino, ſecunda *Seguierio* Cancellario, tertia à Mr. *du Freſne*. Il a publié auſſi un traité intitulé *la France attaquée*, & *la France défenduë*, où il ſoutient que la France bien unie eſt capable de réſiſter à tous ſes ennemis, qu'il ne faut point craindre les efforts des ennemis ſur la Guyenne &c.

LXXXV. *Duplex philoſophantium ſeculum*, *ſervile* ſcilicet, quale barbarum illud ſub ſcholaſticis fuit, ubi & *Ariſtoteli* ſerviebant ipſi, & *Ariſtotelem* viciſſim in quibuſdam ſibi ſervire cogebant, tormentis quaſi quibusdam ita eum excarnificantes, ne quid religioni ſuæ Chriſtianæ contradiceret: & *nimium licentioſum*, quale noſtrum, cùm ab uno extremo ad alterum homines delabuntur. Medium tenuere beati. *Carteſius* voluit emendare quædam in Phyſicis, diſplicet tamen audacia & faſtus nimius, conjunctus cum ſtyli obſcuritate, confuſione, maledicentia. Longè magis mihi probatur *Claubergius*, diſcipulus ejus, planus, perſpicuus, brevis, methodicus.

LXXXVI. Neminem novi, qui id præſtaret *Hobbeſio*, quod *Claubergius Carteſio*, hoc eſt, dogmata ejus elucidaret atque ordinaret. Faciet interim hunc in ſcopum aliquid fortè diſputatio *Samuelis Andreæ*, diſcutiens fundamenta Hobbeſiana, habita Herbornæ A. 1672. Quantum enim memini, cogit ille hypotheſes *Hobbeſii* in theſes breves, perſpicuas & ordinatas, ſimulque refutat, quo magis hunc legiſſe proderit juventuti.

LXXXVII. Relatum mihi eſt, cùm primùm ederet *Puſendorfius* Elementa ſua Jurisprudentiæ Hagæ Comitum A. 1660. hoc ipſo captaſſe ſibi favorem Electoris Palatini, *Caroli Ludovici*, quod *Hobbeſium* in præfatione commendaverit, ex eoque aſſumenda quædam putaverit ſibi, cùm nimirum conſtaret ipſi, ſummum *Hobbeſii* admiratorem eſſe Electorem, cui & opus iſthoc dedicavit, hacque ratione meruiſſe, ut Profeſſio Heidelbergenſis ipſi demandaretur.

LXXXVIII. Credibile *Ethnicos* in mortali peccato non morientes, id eſt, non in ſtatu hoſtilitatis erga Deum, ſeu voluntatis nocendi univerſo, eos neque cœlo, neque inferno deputari, ſed ut fiant ex hoſtibus non ſolùm non hoſtes, ſed & amici & ſocii, id puræ gratiæ eſt per Chriſtum.

Pela-

Pelagianum ergo non eſt ſtatuere, Ethnicos propriis viribus naturæ poſſe infernum effugere, poſſe verò cœlum adipiſci, id Pelagianum eſt. Et ita facilè tolluntur difficultates de Ethnicis à bonis quibuſdam viris motæ; nam & *Vaſquez* Jeſuita credidit, actu amoris Dei ſuper omnia in Ethnico, poſſe aliquem ſalvari ſine Chriſto, quod falſum; imo nec datur amor Dei ſuper omnia ſine Chriſto, quia amare Deum ſupra ſe nemo poteſt, niſi qui intelligit hoc ipſum & ſibi eſſe ſummum bonum, hoc verò nemo intelligit niſi Chriſtianus. Quòd ſi tamen, quod non credo, fingamus in ullo Ethnicorum fuiſſe amorem Dei ſuper omnia, an ſalvatus? Ego arbitror, ſed naturæ viribus nego hoc in homine fieri poſſe, potentia, ut ſic dicam, hypothetica, non abſoluta. Qui Deum timet ſuper omnia, is vitat infernum, qui Deum amat, habet cœlum. Deum timere poteſt aliquis viribus naturæ, amare nonniſi gratia per Chriſtum. Cæterum illud credibile eſt in iis, qui per naturam reſipiſcunt à peccato mortali, ſufficere hoc quidem ad vitandam æternam pœnam, ſed non ad vitandam maximam quandam temporalem, quàm ipſi ſibi inferent conſolatione Chriſti carentes. Sed hoc etſi probabile, tamen maximè dubium, an ulla poſſit eſſe extra Chriſtum hoſtilitatis abolitio.

LXXXIX. *Sinnichius*, qui eſt autor *Saulis Ex-Regis*, tam audax fuit, ut Romæ in cauſa Janſeniana auderet Cardinalibus in faciem dicere: Vos non intelligitis.

XC. *Urbanus VIII.* Pontifex, referente *Stengelio*, planè Romanæ Eccleſiæ non fuit. Totos ſeptem annos in Provincia apud Reformatos egit. Gallicam linguam callebat perfectè. Fuit Papa doctus, prudens, bonus, ſed jam ſeni perſuaſit *Antonius Barberinus* vitæ prolongandæ cauſa abſtinendum à negotiis eſſe; Ita omnia ille ad ſe traxit, patiente *Franciſco*, qui Cardinalis Nepos, ſeu regens revera erat. Ita implicitus eſt bello imprudenti cum Principibus Italiæ. *Innocentius X.* erat inſignis Juriſconſultus, cætera vir bonus. Sed cùm unus ex *Pamphiliis* nepotibus obiiſſet, alter matrimonio inito deſineret eſſe Cardinalis, *Donna Olympia Maldachina* uſus eſt ad ſublevandos labores ſuos, non ſine dedecore Eccleſiæ. *Alexander VII.* violentis *Chiſii* conſiliis, libidinique contra Gallos obſecutus eſt, bonus vir, ſed ſimplex. *Clemens IX.* in Luſitanico matrimonio approbando impegit, pluribus vitiis ſecuturis, ſi diutius imperaſſet.

XCI. *Cuperus* in epiſtola ad *Wagenſeilium*, inſerta Notabilibus Noribergæ c. 22. quærit ab eo de ludis Judæorum, ſimulque libri *Thomæ Hyde* de ludis Orientalium mentionem faciens, ex eo apparere ait, *latrunculorum ludum* nihil cum Scachis habere communem, id quod cæteroqui ſtatuebant *Salmaſius*, *Meurſius*, aliique, & latrunculorum illum eſſe, quem nos *Dammen* vocamus. Sed hoc ego vix credo. Latrunculorum ludi lex fuiſſe videtur, ut noſter miles inter duos hoſtiles delatus periret, gemino miles ab hoſte perit. Nec geminum pro damma accipi poſſe puto, ſed fuiſſe duos, idque rationi conſentaneum eſt.

XCII. Schiſ-

XCII. Schiſma eſt contra charitatem, hæreſis contra fidem. Omnes ergo illi ſunt Schiſmatici, qui pro fratribus non agnoſcunt non fundamentaliter diſſentientes. Charitas eſt character Eccleſiæ Catholicæ. Ille Catholicus eſt, cujus amor catholicus eſt. Ille Schiſmaticus, qui extra ſuam opinionem nulli ſalutem permittit.

XCIII. Definitio *charitatis*, ut doctores noſtri tradunt, eſt bona voluntas. Ita *Jonas* Aurelianenſis in Inſtitutione regia a P. *Labbæo* Pariſ. A. 1662. 8. edita cap. 9. Ego charitatem definio benevolentiam, ſed univerſalem.

XCIV. *Dietericus* grandia & egregia collectanea MS. de Græcis ſcriptoribus habuit, quæ perierunt, dum Baroni *de Boineburg* miſit. *Jordanus*, (is qui ſcripſit de eo, quod divinum eſt in morbis, maxima diligentia) multa volumina de ſcriptoribus & excerptorum ex ſcriptoribus collegit incredibili induſtria.

XCV. Memini *Taſſonum in notis in Annales Baronii ineditis*, etſi Romanæ Eccleſiæ bona fide addictum, tamen reprehendere & irridere illud cacoëthes quorumdam hiſtoricorum, affectus ſuos in providentiam tranſcribentium, quaſi adverſa contigerint Principibus quibuſdam, quia, non dicam impiè, ſed parum ex uſu Romanæ Curiæ ſenſere aut egere.

XCVI. *Murtadi* Merveilles d'Egypte tournées en François par *Vattier* pag. 19. *Garias* Roi d'Egypte, grand Magicien, ſe faiſoit quelques fois porter en l'air par de grands oiſeaux, & paſſoit par devant ſes ſujets, qui le voyoient de leurs yeux. *Fabulæ* tum Græcorum Poëtarum, tum Talmudicorum & Arabum Theologorum colligendæ & ordinandæ; ineſt enim nonnihil veritatis atque auri ex his ſtercoribus eruendi, nomina item factaque Regum hactenus incognitorum, & origines gentium aliaque multa. *Du Son* ou *d'Egmond*, Mechanicus Gallicus celebris, qui in Anglia vixerat, volebat *ſpecimen volatus* Heidelbergæ Brunſvicenſibus Principibus dare, ſed nihil egit.

XCVII. P. *Johanninus* S. J. in Paderbornenſi collegio Mathematicus, mihi narravit, quendam *Budæum*, Medicinæ Doctorem, *primum microſcopium* ex Anglia Coloniam attuliſſe A. 1638. idque Electori Colonienſi, tunc Coadjutori, Principi curioſo, magno ſatis pretio vendidiſſe, quod ipſe P. *Johanninus* mox imitatus eſt. Eſt ſcaturigo quædam prope Paderbornam, (*vor dem Weſterthor*) ſatis profunda, in hujus fundo hauriendum eſt ſabulum ſubtile admodum, quod ipſe mirificum comperit poliendis vitris. Primo enim acerrimum eſt, egregieque abſumit, ſed poſtea ita molle & tenerum fit, ut hoc modo totum opus ſabulo illo abſolvi poſſit. *Teleſcopium* convexum mihi oſtendit quatuor vitrorum, quod ait præſtantius eſſe iis, quæ hactenus viderit. *Turennius*, cùm Paderbornæ eſſet, ſuum illic reliquerat, quod *Johanninus* vidit eſſe egregium, & ſatis diſtincta & grandia objecta exhibere, præterea magnum campum detegere, ſed hoc vitium habebat, quòd objecta ita apparerent, quaſi ſol

Digitized by Google

non eſſet ortus, aut quaſi aer non eſſet ſerenus. Hoc ille vitium tollere aggreſſus, aliquot proportiones bonas invenit, & hoc Teleſcopii genus pro præſtantiſſimo habuit. Polyhedra etiam habebat, & unum tale, ut ex verbis: *quid tandem*, per vitrum hoc rectè ſitum inſpectis, fieret *calvariæ* ſpecies.

XCVIII. Illud ex *Aſtrologia* bene notandum eſt, qui in uno ſigno ſunt nati, aut valde propinqui reſpectu horoſcopi, eſſe inter ſe valde familiares & amicos, & fieri inde, ut tam facilè inter quoſdam amicitia concilietur, inter quoſdam vix unquam. Unde ego novi Mathematicum ſanè non contemnendum in Aſtrologicis, qui dictitabat, ſe comperiſſe à *Chriſti horoſcopo* uno gradu diſtare ſuum, idque ſibi ad augendam devotionem magnum eſſe momentum; Chriſtum etiam natum in Virgine. Notabat quoque magnam illam anni Platonici revolutionem, tum cùm Chriſtus naſceretur, in medio cœli extitiſſe, idque denotaſſe, Regem orbis terrarum Ducemque gentium adeſſe, nec impiè *Cardanum* nativitatem Chriſti & thema erexiſſe, non quòd ſideribus eum ſubjiceret, ſed quòd oſtendere vellet mira ſapientia Deum omnia coaptaſſe. Se quoque credere, non fortuito nomina Virginis, Leonis, Aquilæ, & cæteros aſteriſcos, ſed occulta quaſi directione & inſpiratione Dei nominatos eſſe, quia poſt mille annos filius ejus naſciturus erat in Virgine. Sic Aquila illa ingens, in qua A. 1660. cometa apparuit, non vana portendebat, ſed mala maxima regno Turcico, nam in themate Imperatoris Turcici erat *im Henckerhauſe*. Idem dictitabat, inter Ephemerides *Euſtathii* optimas eſſe. Illud quoque notandum, *Aſtrologorum decreta* de nullo alio intelligenda eſſe, niſi de inclinatione homini a natura data & impreſſa, non de eo, quod futurum ſit. Poteſt enim homo mirificè ſe mutare in melius vel pejus. In Aſtrologicis egregium & ingentem librum edidit *Maria Kunitia*, virgo Sileſiaca eruditiſſima, & *Abdias Trew* parvo libro in 4. ſed præclaro, non pauca egregia & admiranda notavit.

XCIX. Mihi videtur in rebus, ubi mentes intercurrunt, parum pendere ab *aſtris*. Conſtat enim, unius hominis ingenium aut fortunam potuiſſe cauſam eſſe mutationum magnarum in orbe terrarum, ut patet in *Alexandro M.* in *Cæſare*. Pone *Alexandrum M.* non fuiſſe imbutum ſcientia militari, *Cæſarem* non velocem, totius orbis alia, quàm nunc eſt, facies foret; *Alexandri* autem peritiam, *Cæſaris* velocitatem, cur aſtris adſcribemus? Quanquam fatear poſſibile eſſe, ut aſtrorum motus ſint ſigna rerum in mundo, ut ductus in manu rerum in corpore: crediderim tamen naturalium, non moralium, ac nec naturalium in univerſum, cùm valde à moralibus varientur, uti conſtat e. g. peſtem effoſſis molibus ad muniendas urbes ortam, & una capſula in Babylone aperta militem Romanum circumtuliſſe contagium per orbem terrarum. An tamen velit hæc Deus ſigna eſſe, imo an non peculiares quidam incogniti concurſus cœli in certa quædam ſubjecta fuerint, uti nonnunquam is eſt Solis poſitus, ut incendat ſyl-

Digitized by Google

ſylvas, cùm fortè in vitium quaſi quoddam dioptricum incidit, id affirmari liquido nequit, & ad hæc rerum arcana deſpero perveniri poſſe.

C. *Henricus Morus* ſtatuit præexiſtentiam *animarum*, ſive quòd animæ creatæ fuerint cum mundo, quam ſententiam *Plato*, *Origenes* aliique jampridem foverunt. Mea opinio eſt, omnia, ut ſic dicam, plena eſſe animarum vel analogarum naturarum, & ne brutorum quidem animas interire.

CI. *Doctrina de moribus* non eſt ſcientia, ut doctrina de juſto & utili, à quibus differt ut Phyſica à phoronomica, Matheſis mixta à pura, Theologia revelata à naturali; principia enim ejus ab experientia pendent, at non principia ſcientiæ, quæ ſunt definitiones. Et ſi ſcientia appellari poteſt, erit mixta, qualis Optica, Muſica, Phyſica, Medicina. *Mores* autem ſunt obſervationes de eo, quod homo voluntarie facit. *Signa medica* ſunt obſervationes de eo, quod homo involuntarie facit. *Affectus* ſunt conatus agendi à ſenſu orti. *Habitus* ſunt conatus agendi orti ab aſſuefactione. *Character* eſt id in moralibus, quod temperamentum in medicis, cauſa omnium actionum. Character conſtat ex hominis habitu mentis (notitia,) habitu corporis (aſſuefactione) & habitu corporis naturali, ſeu potentia naturali (temperamento.) Nam ex temperamento pendet ſagacitas naturalis, celeritas, tarditas, durabilitas affectuum, &c. & quid non? Mentes enim omnium æquales ſunt. Quomodo autem ex variis temperamentis varii affectuum gradus ſequantur, explicare magni artificii, ſed & difficultatis eſt. Conſtituto quomodo mores ex temperamento ſequantur, de quo conſule *Galenum*, adde elegantiſſimè *Feldenum* & *Hobbium*. Reliqua petenda ex Medicorum ſchola, additis phyſiognomicis de arte inveſtigandi temperamenta. Cæterum qui cum hominibus negotiari vult, ei noſſe utiliſſimum erit temperamentum hominis. Id omnibus iis artibus inveniet, quibus Medicus tum aſſuefactionem, tum ſcientiam ſeu fortiter impreſſas *opiniones*. Quæ rurſum vel *naturales* ſunt, nam quiſque opiniones & obſervationes libenter arripit temperamento ſuo conſentaneas; vel *caſuales* ſunt, nam homo pauper, aut ab aliis pendens, varias ob cauſas ſæpe cogitur aſſueſcere rebus ingratis; & ſæpe caſus aliquis cogit nos hiſtoriæ meminiſſe, cujus alias non meminiſſemus, ſi nempe nos valde attigit, aut acceſſit nota quædam, v. g. pudor noſter vel honor, vel etiam in aliis caſus extraordinarius. Arte igitur in indaganda aliorum aſſuefactione vel notitia opus eſt, & varie tentandi ſunt, ita tamen plerumque ne ſentiant. Et artis hic eſt pauca principia pertentare, unde cætera, conſtituta jam arte, ratione ſequantur. Etiam *modus ſcribendi* plerumque, niſi à magiſtro pendet, habet aliquid naturalis temperamenti, imò etiam cum ab eo pendet. Utinam hæc doctrina tradita eſſet, quæ certè incredibilis momenti eſt. Hujus enim ope poſſumus fere cuilibet quidlibet perſuadere. Item poſſumus ſcire quid ab alio ſperare aut timere debeamus. Notandum difficillimè eos expiſcari licere, qui multum experti ſunt & variis caſibus jactati. Item qui non niſi ex neceſſitate excitare ſeſe ſolent & ſæpe dormiunt, & ita alios deci-

decipiunt, item qui ſuo ingenio uti non poſſunt, unde patet nullius ingenium facilius noſci, & neminem perſuaſibiliorem eſſe, quàm rerum imperitos. Poteſt etiam dignoſci temperamentum ex inclinatione ad cibos.

CII. Nimis forti imaginatione judicio nocetur. Nam qui ineptis imaginationibus valde delectatur, ſtultus fieri poteſt. Novi hominem, qui Romancios ſcriptores ſæpe legendo ſtultus factus eſt, adeo, ut poſtremo crederet veros eſſe. Tremulantes poſt ecſtaſin corporis debilitatem ſentiunt. *Ars mnemonica*, quæ forti imaginatione conſtat, judicio nocere ſolet. Fateor judicioſos plerumque forti imaginatione carere. Contra fœminas & homines credulos aut ſuperſtitioſos ea pollere. Judicioſi, ſi non ſunt ingenioſi vel memoria valentes, ſunt ingrati in converſatione, quia nihil incipiunt, nihil inveniunt, tantùm cenſores ſunt, volunt judices aliorum ſedere, nihil aliis viciſſim ad judicandum ſiſtere. Pauca loqui, multa audire velle, odioſum. Judicio magis ad agendum, experientia ad loquendum opus eſt. Novi homines experientiæ maximæ, ac proinde in differendo, in allegandis exemplis ſibi compertis aliiſque ad pompam pertinentibus uberrimos, in agendo ſe ineptè geſſiſſe. Certè in politicis parum admodum prudentem movent exempla, qui rationibus firmis univerſalibus inſiſtit. In mechanicis qui pauca principia novit, cætera facilè ſupplet. At Medicina maximè experientia pene tota conſtat, unde tam difficilis eſt.

CIII. Major dolor requiritur ad fletum, quàm voluptas ad riſum, quia nemo libenter edit ſigna doloris, omnes libenter riſus. Flemus ad contumelias maximè noſtras, ut ridemus ad alienas.

CIV. Plebeiorum hominum hic mos eſt pene puerilis, ob errorem lapſumque in minutiis quibuſdam & nugis ſapientes carpere. Studioſi quidam ineptuli ei, à quo plurima præclara didicere, mox quaſi obliti arrepta neſcio unde vocula quadam contradicere, & funem diſputationis trahere volunt. Quod oritur vel ex ignorantia non æſtimantium vera bona & differentias rerum, vel ex malitia & invidia quærentium quod carpant, & quo aliorum dotes obſcurent. Hæc non aliter & rectiùs caventur (niſi nondum is ſis, quem metuere cogantur,) quàm ut nonniſi laconica cum iis colloquia miſceas.

CV. Deberent eſſe *ſcholæ* publicæ *opificum*, ne pueri à magiſtris tot annos inutiliter ſolis ictibus plagiſque diſtineantur magno Reipublicæ damno, cui tantum utilitatis decedit, quantum horum vitæ, qua ſervire poſſent, artificio eorum accelerabili in tot annos dilato.

CVI *Regi alicui ferendum non eſt, ut quiſquam ſubditorum fiat religioſus, invito ipſo*, tranſit enim in aliam juriſdictionem. Revocantur edictis in alias terras tranſgreſſi, tranſgreſſi in alia jura irrevocabiles habentur. Conſtituendum ergo Collegium, Conſilium, Conſiſtorium eſt, inſtar ejus quod paſſim cauſis matrimonialibus præſtitui ſolet, ubi compareant, examinentur, admittantur vel rejiciantur, quicunque conſtituere vitam religioſam ſectari, rationibus expoſitis, cur hoc conſilium ceperint. Erit hæc pars cenſoriæ morum.

CVII. Nos

Digitized by Google

CVII. Nos omnes quodammodo pueri ſumus, qui ſæpe audita credunt, atque inſtar pſittaci imitantur; nos, ſæpe aut fortiter cogitata. Nihil facilius, quàm demonſtrationum ſuarummet oblivisci. Qui decreverunt peccare, ſurgentem conſcientiam præſcientes, aliorſum verſa cogitatione deprimunt, dum adhuc dubitant, verentes ne calculus ſubductus aliud ipſis perſuadeat. Prorſus ut malus paterfamilias, qui horret ſuas ipſe rationes ſubducere, ne intelligat, quantum debeat, ac quietem ſibi præſentem turbet. Hinc apparet eſſe aliquam in nobis *artem affectuum regendorum*, à nullo tamen mortalium traditam. Nam aliud eſt dicere, affectus regendos eſſe, aliud præſcribere normas rationi, ſeu demonſtrationes juſti atque utilis dare, aliud regulas quaſdam phyſicas præſcribere, quibus in noſtros &, quod perinde eſt, aliorum affectus poſſimus, quod volumus; uti aliud tradere ſcientiam muſicam, aliud digitos inſtrumento aſſuefacere. Ad hanc igitur artem obtinendam opus erit, ne nimis forti & parva aut inepta imaginatione judicio noceamus; ſed ita nos componamus, ut poſſimus omittere cogitationem aliquam, quando volumus. Poſſumus autem omnium priorum oblivisci, dum ſæpe rejicimus.

CVIII. Peccant ſæpe Juris conſulti, quòd regulas faciunt, ubi non ſunt, v. g. *Kauff gebet vor Miethe*. Inde colligunt, conductorem poſſe expelli impunè à venditore domûs, quod falſum eſt, nam indemnitas ei præſtanda eſt. Uſque adeo, ut jus retentionis habere putem conductorem, etſi eam ſibi non ſit ſtipulatus. Tutius tamen eſt hypothecam ſibi paciſci, quæ & prælationem præſtat, præſertim cùm non omnes jus hoc retentionis agnoſcant, quod meis regulis ex pacto quaſi poſſeſſio in adjecto rem afficit. Quod ſi ſine magna perturbatione rerum ſuarum conductor expelli nequeat, ut mercator minutalis, ſeu tabernarius, item caupo, qui ſibi ſtipulatus eſt, aliquot annorum locationem, non facilè expelletur; Viciſſim tamen, ne hypotheca quidem pacta, ſemper tuendus erit fidejuſſor, nam ſi pauca ejus interſit, venditionis hypotheca non erit extendenda ultra ſecuritatem indemnitatis, ne fortè venditoris fortunæ evertantur, ſi in tempore rem ſuam vendere non poſſit. Itaque non eſt ſtatuminanda regula, conductor hypothecâ pactâ expelli non poteſt, vel locator hypotheca licet pacta expelli poteſt; ſed curandum eſt, ut hominum fortunæ conſerventur, cujus rei cauſa leges ſunt inventæ, quod niſi fiat, ſummum jus ſumma erit injuria.

CIX. In conſiliis, ubi ſolidi aliquid concludendum, hoc tenendum eſt, ut non in publico conſeſſu deliberetur, ſed ſemper inter binos & binos. Mirus inde fructus eſt, quia, ſi nemo ſit auditor, ceſſant affectus. Inſtituantur omnes combinationes cum omnibus, donec inter ſe concordent. Iis, qui concordant, aliquid præmii conſtituatur, numerentur combinationes concordantes, vel poteſt ſic inſtitui, ut unus cum ſingulis conſtituat combinationem, quod optimum ſi ille ſapiens, velut intercedens cum ſequente. Res digna expendi, quia reapſe invenio nullibi minus realiter

concludi, quàm ubi magna cum pompa vota quaſi perorando proponuntur, aut in altercationes abitur. Duobus combinatis, poteſt methodus procedendi in ſcripto proponi.

CX. Apud *Apulejum* Aſini libro ultimo in ceremoniis *Iſidis*, Sacerdos poſt preces populum dimittit verbis, quæ reſpondent formulæ, ite, miſſa eſt. Sunt & alia illic notanda, quæ Romanenſium ritibus reſpondent.

CXI. Cùm illuſtriſſimus *Schaumburgi* & *Lippiæ* Comes me nuper anno 1697, ipſa die, qua paſſio Domini celebratur, ad audiendam concionem prædicatoris Reformati, viri docti, qui olim in Vivareſio Miniſter verbi divini apud Gallos fuerat, in ædes, quas habitat Hanoveræ, invitaſſet, egoque etiam communioni aſtitiſſem, quam ipſe Dominus Comes percipiebat, audivi Liturgiæ reformatæ formulam, notavique in ea inculcari, ſurſum elevata per fidem mente non in elementis viſibilibus, ſed in cœlo quærendum eſſe Dominum. Quod cùm noſtris, etiam præſentiam corporis Chriſti ſub elementis ſtatuentibus, oppoſitum videretur, ideo finitis ſacris, cùm nonnihil colloqueremur, quæſivi ex Miniſtro, an non ea verba Synodo Carentonianæ officerent, quæ declaraverat Auguſtanæ confeſſioni addictos ad cœnam Reformatorum ſine ulla revocatione admitti poſſe, talibus enim verbis eos manifeſtè repelli. Viſus eſt hæc agnoſcere vir ingenuus & judicio præditus, addiditque Pontificiis hæc fuiſſe oppoſita, ſe tamen non dubitare, quin Evangelicis deſiderantibus omitti poſſit aut temperari, quicquid illis diſplicens iis verbis ineſſet.

CXII. Si quæ miracula alicubi eveniſſe jactantur, magiſtratus ſtatim inquirit, teſtes examinat, rei, quantum fieri poteſt, in clara luce ponendæ cauſa. Quanto ſatius erit *miracula naturæ* eadem diligentia examinare, ut aſtricti ſint omnes referre bono publico auxilia, quæ à re medica ſenſere, circumſtantiis omnibus exquiſitè additis, ut liceat in poſterum aliis exemplo prodeſſe.

CXIII. *Chriſtiani Hugenii* ratiocinia *de luſu aleæ*, *Franc. Schotenii* ſcriptis mathematicis adjecta, ſunt elegans ſpecimen ratiocinationis de gradibus probabilitatis.

CXIV. *Boylei* experimenta pleraque publicata nonniſi tenuia ac jejuna ſunt, nec uſum ullum habent, quàm ad ſpeculationem de rerum cauſis. Sed ne ad hunc quidem ab ipſo adhibentur, tantùm enim ex ipſis concludit res vulgariſſimas, & Philoſophis accuratis notiſſimas, quòd ſcilicet omnia mechanicè explicari debeant. Nec verò ſperare debet ſe alioa hac argumentandi ratione convincere poſſe, nam tamdiu homines empirici ab omnibus illis ratiocinationibus abhorrebunt, quamdiu earum uſum non experientur, id eſt, quamdiu vera corporum analyſis non patebit, & phænomena futura non poterunt ratione prædici. Dolendum eſt, *Boyleum* experimentis ſuis non uti ad concluſiones nobiliores eliciendas. Si habuiſſet ea *Carteſius* in promptu, ſanè nobis dudum ſpecimina Chemiæ apodicticæ dediſſet.

CXV. *De*

Digitized by Google

CXV. *De radiis viſus & lucis* in vitris, perſpectivis & *Iride*, tractatus *Marci Antonii de Dominis*, per *Jo. Bartolum* in lucem editus, liber eſt ingenioſus, in quo inter alia oſtenditur ratio inſtrumenti cujuſdam ad clarè videndum, quæ ſunt valde remota, excogitati. Venet. 1611. apud *Thomam Baglionum*. Elegantiſſimè materiam tractavit demonſtrationibuſque mathematicis confirmavit. Iridis etiam & nonnullorum aliorum ejuſmodi meteororum cauſam, ab *Ariſtotele* aſſignatam, rectè expendit.

CXVI. Reperitur *ligni* genus, quod *S. Crucis* vocant, id igne detrimentum non patitur. Experimentum coram Principe *Condæo*, patre ejus, qui nunc eſt, ſumtum ſcio. Ligni naturam perfectè refert ſtructura partium, ſed in aqua fundum petit. Credibile eſt, penetratione peculiaris materiæ mineralis non tantùm ponderoſum eſſe, ſed igniri impunè.

CXVII. Ad perfectionem ſcientiæ *Arithmeticæ* aliis planè characteribus, quàm nunc habemus, indigemus, ita nimirum ut 5. + 3. facere 8, & 2. in 8. facere 16. non ex memoria vel tabula quadam depromere opus ſit, ſed ex ipſis characteribus ſequatur.

CXVIII. Hæ ſunt tres regulæ fundamentales reipublicæ: Nihil omittere neceſſarium, nihil ferre damnoſum, nihil tranſmittere infructuoſum.

CXIX. *Carteſius* Tom. 2. Epiſt. 92. p. 415. fatetur, nullam ſibi eſſe methodum dignoſcendi, quænam propoſitio pro principio haberi debeat, niſi hanc, ut præjudicia rejiciantur, ſeu ut omnia rejiciantur, de quibus dubitari poteſt, ſed non explicat, quænam ſint illa, de quibus dubitari poteſt.

CXX. *Carteſius* Meditatione 4. ait: Totum illud cauſarum genus, quod à fine peti ſolet in rebus phyſicis, nullum uſum habere exiſtimo, non enim abſque temeritate me puto poſſe inveſtigare fines Dei. Hæc *Carteſius*, ſed temere. Alioqui enim nec licebit admirari ſapientiam Dei, quæ in præclara omnium ad fines ſuos deſtinatione ſe exerit, nec poterunt Medici de uſu partium quicquam dicere.

CXXI. *De ſtercoribus evexit pauperem.* Hæc verba ſunt ex Scriptura in Ceremoniali Romano, ubi de Pontifice ſellæ imponendo loquitur, hinc nomen videtur *Sellæ ſtercorariæ*, non à fabula Papiſſæ.

CXXII. *Gravius*, Anglus, in deſcriptione Ægypti apud *Thevenot*, vol. 1. p. 14. mentionem facit *Titi Livii Buratini*, jeune homme Venitien fort ſpirituel, qui étoit dans la compagnie. *Thevenot* in margine annotat: Buratini eſt maintenant maître de la monnoye du Roi de Pologne, & c'eſt de lui que l'on vit il y a dix ou douze ans un modelle d'une *machine pour voler*.

CXXIII. Cùm Normanni Treviris in D. *Paulini* ædem irrupiſſent, ſtatim poſt obitum *Ludovici* Bajoariæ & Auſtraſiæ Regis anno Chriſti 882. *Divi corpus ferreis catenis ſuſpenſum* dum avellere vi tentant, ferrum quidem diffringunt, ſed urnam in aëre libero jam ſuſpenſam nullo ſuſtentaculo hærere ſtupent. Nil ultra auſi tentare. Audaciores, aliqui variis piaculis ſunt

ſunt cælitus extincti. Miraculum multis poſt annis, (ſi credimus) ſpectaculo fuit, donec languente in poſteris priſcæ pietatis fervore ultro monumentum (ſcilicet) ſubſedit. *Vid. Adelzreiter ad illum annum num. XV.* Citare videtur *Sigebardum* Monachum in vita *S. Maximini.* Habebant ergo Treviris Chriſtiani, ſi Diis placet, quod *Meccanæ* opponerent *fabulæ.* His narratiunculis interſtincta hiſtoria ſaltem nos priſcorum credulitatem docet, libidinemque fingendi in conſarcinatoribus vitarum.

CXXIV. *Lucas de Linda p.* 760. Sub Archiepiſcopatu Moguntino in terra Eichsfeld erat in excelſo monte, dicto *Stuffenberg*, Idolum vocatum *Stuffo;* Hoc reſponſa incolis dabat more antiquorum oraculorum. Hæc de *Linda.* Ego addo, fuiſſe Idolum *Bacchi*, nam *Stauffen* veteribus Germanis eſt calix, ut patet ex Gloſſariis, item ex Nobilium *de Stauffenberg* inſignibus, in quibus eſt calix.

CXXV. *Regina Chriſtina* cùm adoleſceret, ut erat cata, adjunxit ſibi homines nihili eoſque fecit ſenatores, ut inter cæcos luſca regnaret. Hi erant juvenes nuper fortè ex Gallia reduces, ſaltatoribus quàm ſenatoribus aptiores. At ſenior *Oxenſtirnius* & alii magni viri, ſpreti in aula laſciviente, plerique in prædia ruſtica ſua receſſere. Regina læta voluptatibus indulget. Interim ſpreti ſenatores parochos locorum tota provincia ſibi familiares reddunt, eorum conciones viſitant, conviviis eos adhibent, Reginæ cum Pontificiis, inprimis verò cum *Pimentello*, Legato Hiſpanico, *Bourdelotio*, Medico Gallo, & *Joanne Bapt.* Dominicano, ſub ſpecie linguæ docendæ, familiaritatem, ad religionis veræ contemptum ſpectantem, exaggerant. Ita inflammata plebe certi rerum id efficiunt, ut nomine Statuum omnium apud Senatum inſinuetur ſupplicatio, pro remedicandis gravaminibus Regni per Comitia à tempore regiminis *Chriſtinæ* non habita. Regina tandem conſentit. In Comitiis proponitur Reginæ de marito, & commendatur ut proximus *Carolus Guſtavus.* Hunc ut *craſſum* averſabatur Regina juvencula. Ergo declarat eum ſe habere nolle. Ergo petit populus declarari ſucceſſorem. Fit hoc invitiſſima Regina, ſed coacta. Hoc effecto, adhuc ſemel petunt inſtantiſſimè nuptias irritandæ magis Reginæ. *Bourdelotius*, (quem inſinuabant corpori Reginæ familiarem fuiſſe adeo, ut Stockholmiæ mulieres eſſent, quæ infantem ab ea exceptum, ubi eſſet, monſtrarent,) facultatem diſcedendi à Regina obtinet, atque accipit ter centum mille thaleros præparandis animis Miniſtrorum Regis Galliæ, noctu ingrediens navem atque effugiens deſtinata plebis odia & certam necem. Regina adhuc cunctans tandem impellitur concione *Erici*, Concionatoris aulici. Is in concione aulica, præſentibus omnibus Senatoribus, in hæc verba erupit: Deus tandem evomet pravos Regentes &c. Illa profectò concio Reginam loco pepulit. Videbat ſe hominem caſtigare non poſſe, deſtinatis jam Magnatum famulis armatis ad ejus defenſionem. Tandem Regina ad ultimas pro nuptiis ſollicitationes, ergo habete, reſpondit, quem optatis, ille ipſe me ulciſcetur. Ita ait Regina, conata ante regnum

Digitized by Google

regnum perdere. Hinc tot Barones, tot Comites creavit, quin conſtituerat Principes facere & perpetuos gubernatores, alium Livoniæ, alium Ingermanniæ, idque *Benedicto* (ni fallor) *Oxenſtirnio* obtulit, qui Reginam eleganti effugio eluſit.

CXXVI. Comitem *Magnum de la Gardie Chriſtina* Regina mire amabat. Ad ejus ſponſam dixit: Eum tibi do, quo ipſa frui non poſſum. Poſtea *Magno* infenſa facta, in odium ejus evexit *Schlippenbachium*, qui auſus eſt ei contradicere, imò in faciem mendacii inculpare.

CXXVII. *Benedictus Skytte*, Senator Suecicus, univerſitatem gentium, ſcientiarum & artium propoſuit. Is ſub Regina *Chriſtina* plurimum toto regno potuit. Illa diſcedente Regi exoſus, legatus factus Lithuaniæ, tempore belli Polonici. Rebus non ex ſententia geſtis, omnia in ipſum translata. Manſit tamen ſenator, donec poſt mortem *Caroli Guſtavi* contra Senatum & ordines partes *Joannis Adolphi*, fratris regii, ex teſtamento ſibi Ducis militaris munus contra jura Regni vindicantis, fervidius defendit. Ita juſſus à Senatu abſtinere, titulum tamen retinuit. *Joannes Skyttius*, *Benedicti* avus, erat filius ſartoris & præceptor *Guſtavi Adolphi*; Ab eo magnis rebus adhibitus, tandem Baro factus. Filius ejus parvi pretii. Nepos unus fuit *Benedictus Skyttius* iſte, de quo paulo antea. Alius Reſidens Liſſabonæ fuit, qui Capucinus factus.

CXXVIII. Tempore belli Sueco-Danici ſcripſerat *Roſencranzius*, Senator Danicus, pro Danis, contra quem *Puſendorſius* ſcripſit *Baubatorem Danicum*, diſſimulato nomine, cui & *Roſencranzius* reſpondit.

ſons avec les Sabins & les Ombriens: & de là vient que dans les anciens Gloſſaires λάκων & *Umber*, eſt la même choſe. Enfin, Monſieur, je n'aurois jamais fait, ſi je vous diſois tout ce que j'ai découvert dans l'antiquité par le ſecours de la langue des Celtes, & par les fragments des anciens hiſtoriens répandus çà & là. Vous le verrez quelques jours, quand je publierai mon ouvrage. Je ne ſçaurois finir cette lettre ſans vous dire, que le Celtique s'eſt répandu dans preſque toutes les langues de l'Europe; mais la Teutone ou l'Allemande en eſt toute remplie. (Annotation: *Il devoit plutôt dire, que les Teutons ou Germains ſont les plus anciens Celtes.*) En voici en deux mots la raiſon. Les Teutons viennent d'*Aſcenez*, qui a été fils ainé de *Gomer*, pére des Celtes ou Gaulois. Cet *Aſcenez* eſt la tige des *Daes*, en latin *Daæ* & *Dai*, depuis appellés *Daces* & *Getes* par les Grecs. Il a auſſi été le pére des Phrygiens. De ces Daes & des Phrygiens ſont ſortis les Teutons, qui dès leur origine ont toujours eu beaucoup de liaiſon avec les Celtes; & l'on peut dire, qu'ils ont été mêlés dans une grande partie de leurs expéditions. De ces mêmes Daes ou Daces ſont ſortis les Parthes, principalement les Arſacides. Les Parthes dès les premiers tems ſe ſont répandus dans la Perſe, & c'eſt de-là qu'on voit encore aujourd'hui tant de mots Allemands dans la langue des Perſes, comme on en voit auſſi beaucoup de Celtiques. Mais de plus, comme les Grecs ont pris pluſieurs mots des Phrygiens, de l'aveu même de *Platon*, il ne faut pas s'étonner ſi la langue Grecque a tant de mots ſemblables à ceux de la langue Teutone, puiſque celle-ci étoit toute Phrygienne dès ſon origine. Les Teutons ont encore été mêlés avec les *Ombriens* en Italie; & c'eſt de là que les Latins ont pris d'eux quantité de mots, & ſur-tout des verbes, comme l'on verra ailleurs: car je ne dis ceci qu'en paſſant. Ces grandes liaiſons, qu'il y a toujours eu entre les *Celtes* & les *Teutons*, a fait, qu'on les a ſouvent confondus dans l'Hiſtoire, & entre-eux, comme ils venoient preſque de la même origine, ils ſe ſont preſque toujours traités de fréres. Et c'eſt peut-être de là, qu'eſt venu le mot de *Germani*, que les Romains leur ont donné, comme l'a fort bien remarqué *Strabon*; pour marquer, qu'ils étoient comme fréres des Celtes ou des Gaulois, quoique cela ne ſoit pas ſans difficulté. Voila, Monſieur, un ſommaire de l'ouvrage, que j'eſpére donner au public. Il eſt un peu plus étendu que celui de ma premiére lettre; ainſi vous n'avez rien perdu. Pour moi je gagnerai beaucoup, ſi je mérite par cette complaiſance vôtre amitié & vos bonnes graces. Je tâcherai toujours de me les procurer, vous priant de croire que je ſuis avec bien du reſpect, Monſieur &c. *Ce 23. Fevrier 1699.*

N°. 3.

Digitized by Google

N°. 3.

G. G. LEIBNITII

Conſiderationes ad ſuperiorem Epiſtolam Pezronii.

Conſilium doctiſſimi Autoris, qui origines nationum molitur, mihi perplacet. Nam etſi verear, ne aliqua intercurrant, quibus aſſentiendum non putem; ſpero tamen, multa præclara ab ipſo detectum & ſtabilitum iri. Diu optavi exoriri aliquem, qui ex fabulis poëtarum Græcorum & Latinorum, inprimis quæ ad Deos pertinent, erueret non tam Philoſophiæ ac Theologiæ myſteria, (quamvis neque hæc negligenda ſint) quam Hiſtoriam mythici temporis, jam *Varroni* & *Cenſorino* pene, ut apparet, deſperatam. Et mirè gaviſus ſum, dum profundæ doctrinæ virum Dn. Epiſcopum Santaſſaphenſem quondam, nunc Conventrienſem, intellexi huc animum adjeciſſe, ſpecimine etiam dato; quod tamen ad manus meas non pervenit. Neque an proſecutus ſit conſilium, mihi ultra innotuit.

Eadem cogitare videtur vir clariſſimus, cujus Epiſtolam vidi, multoque adhuc ampliora ſpondere, præſertim, dum Deos Græcorum ex Celtis derivat. Difficile negotium, fateor, ex quo licentia poetarum omnia perturbavit. Unde *Apollodorus*, *Palæphatus*, aliique Hiſtoriæ fabuloſæ ſcriptores, ſibi aliiſque paſſim contradicunt, confuſis, ut apparet, ſub uno nomine diverſarum gentium heroibus; nec jam facilè diſcernendis, quæ per figmenta veritati adjecere: perinde ac ſi quis, ſublatis ſeverioribus ſcriptoribus, ex Mileſiis noſtrorum temporum fabulis hiſtorias populorum concinnare conaretur.

Itaque mirum non eſt, ſi alii apud Ægyptios, alii apud Phœnices; *Goropius* in Germania inferiore, *Rudbeckius* in Germania Septentrionali, id eſt, Scandinavia; alii apud Hunnos & Sarmatas, inveniunt origines Theologiæ Gentilis. Et credo venturos, qui Finnonas aut Eſtios veros eſſe Hyperboreos oſtendere aggrediantur Deorum genitores; nec deſpero, ubi aliquando ad Turcas & Tartaros eruditio pervaſerit, ſibi vindicaturos, quæ *Goropius Rudbeckiuſve*, Cimbris aut Gothis tribuere.

Nempe ubi confuſio eſt, quidvis ex quovis non difficulter facias, præſertim imaginatione, quod concinnitati deeſt, ſupplente: uti acies in nubibus depugnantes, magis animo quàm oculis offeruntur. Non deſpero tamen, poſſe majore induſtria & judicio aliquid erui certius; neque ideo quenquam deterreo, atque etiam conjecturas audaciores non ferendas tantùm arbitror, ſed & laudandas, ubi ingenium acumenque habent. Nam ut ſæpe juvat fortuna audaciam, fieri poteſt, ut ſuperveniat aliquando nova lux, quæ perficiat cœpta. Et tot quæ ineuntur itineribus, credi-

Digitized by Google

bile eſt, aliquod rectum eſſe. Itaque condonandum eſt nonnihil affectui eorum, qui patriæ ſuæ ornamenta aut inveniunt aut faciunt in abdita antiquitate. Multa enim ſtudio eorum eruuntur, quæ prodeſſe aliquando poſſunt; nollemque nimio cenſorum rigore circumcidi præclarorum ingeniorum luxuriam, ne prorſus exareſcant. Imò nollem omnem adimi audendi licentiam, ne cum figmentis etiam vera ſupprimantur; quemadmodum minimè probarem, Alchymiſtarum fallacem licet nationem, deleri; cui tantùm debet naturæ cognitio debebitque.

Quæ autor Epiſtolæ in Celtarum Gallorumque honorem molitur, iis favere debent etiam Germani. Nam ipſe cognatos populos agnoſcit, & ſæpe ab antiquis confuſos. Itaque æquè ipſe ac *Rudbeckius*, dum ſuis ſtudent, noſtrorum ſimul gloriæ velificantur. Neque ego dubitandum puto, quin Germania noſtra dederit & Galliæ Galatas vel Celtas, & Daniæ Suediæque Cimbros & Svionas ſuos; etſi poſtea ſeriùs colonos ex Gallia & Scandinavia ad nos rediiſſe agnoſcam. Scandinaviæ incolas ante Germanorum adventum Finno-Lapponas fuiſſe, credo, ex illa vaſtiſſima natione, quæ magnam ſeptentrionalis Oceani partem obſedit; qui Germanis paulo cultioribus margines & meliora Scandinaviæ cedentes, ſeſe ad cognatos ſuos in rupium interiora recepere.

De connexionibus populorum cum poſteris *Noachi*, in ſacra Scriptura memoratis, obſcurior mihi diſquiſitio videtur, nec tamen aſpernanda. Viciniores gentes *Moſi* potiſſimum ante oculos fuiſſe, etiam *Bochartus* agnovit. Circa fontes Tigridis, Euphratis, Phaſis & Araxis ſacer Geneſeos autor locavit caput rerum, unde in omnia propago regimenque. Hoc poſito principio non abnuo, à ſeptentrionali latere ex Meſopotamia in Scythiam, ex Scythia in Germaniam & Celtas, ducendam eſſe lineam coloniarum: dum alia nationum, ut ſic dicam, arbor per Arabiam, Syriam & Ægyptum ramos extendit; Unde Phœnicii Ægyptiique maritima ſecuti, navigationibuſque in ulteriora delati, tandem in Aſia minore, Græcia & Italia, Scythis & Celtis terra interim diffuſis, rurſus occurrerunt. Ex quo jam miſtura linguarum gentiumque in Latinis & Græcis; ubi non minùs Scythiſmus quàm Phœniciſſatio apparet.

Indorum & interiorum Æthiopum (quos quidam in *Chamo* maledictos putant) ſermone & habitu à noſtris abhorrentium; abditi magis ortus videntur, & conjecturæ tum demum futuri patientiores, ubi magis noſcetur genus humanum, cultu Chriſtoque cum commerciis noſtris recepto. Idem de extremis Septentrionis marginibus dicendum eſt.

Gomeritas, Cimmerios, Cimbros eoſdem eſſe, dicitur non ineptè; ſed vereor ut tutò aſſeverari poſſit. Etiam Cimmerios & Cimbros, Getas & Gothos, Sacas & Saxones, Dahas & Dacos, eoſdem aut cognatos eſſe, ſolis nominibus non temerè crediderim.

De Titanibus tam multa & pugnantia habent Poëtæ, ut ægrè certum aliquid conſtituere poſſis. Libenter tamen credo, Scythas aut Celtas fuiſſe.

(Si

(Si Celtarum nomine occidentales, id eſt, Germanos & Gallos comprehendas) qui cum Diis, id eſt, cultioris Aſiæ & Græciæ Regibus antiquis bella geſſere. Adde *Prometheum* Titana Caucaſo alligatum; Ut credi poſſit, nihil aliud ſignificari, quàm exercitu ad portas Caſpias in excubiis collocato, Scythicas gentes fuiſſe excluſas. *Callimachi*, neſcio, an pondus habere poſſit teſtimonium, Gallos à Titanibus derivantis, poëtico fortaſſe luſu, cum Delphici templi violatores ab *Apolline* deletos, tanquam priſcorum in Deos paria audentium ſobolem repræſentat.

Cur *Jupiter* in genitivo *Jovis* habeat, non longè opinor petendum eſt. Nam *Jupiter* eſt nihil aliud quàm *Jovis* pater, ut *Liber* pater. Itaque verum ei nomen eſt *Jovis*; cujus quæ connexio cum *Jao* aut *Jehova*, aut *Japheto*, in medio relinquo.

Linguam Wallicam aut Aremoricam proximam veteri Gallicæ ipſe credo, nec indiligenter inſpexi, & ſemi-Germanam agnoſco. Vocabula innumera, Græcis, Latinis, Germanis, Gallis communia, ad origines communes ex Scythia refero: quæ ſolis Latinis cum noſtris & Gallis antiquis communia ſunt, Celtica appello. Græcos & linguam & incolas à Scythis, ad Pontum Euxinum & Iſtrum poſitis; Latium à Celtis & Germanis Alpes tranſgreſſis, accepiſſe credo. Nec vereor primos Græciæ & Italiæ habitatores hinc accerſere; quibus deinde in Græcia Phœnicii & Ægyptii, in Italia & hi & ipſi Græci in maritimis acceſſere. Sed numerorum nominibus minùs fido; nam hæc ferè à cultoribus venire ſolent, quales Græcos ante noſtros fuiſſe, non puto diffitendum. Itaque & hæc, & multa alia nomina rerum artificialium, utri origini debeantur, ambiguum eſt adeò, ut ſæpè ad Latinos & Græcos inclinem: ſed non ideò minùs alia plurima Græca Latinaque puto à Scythis & noſtris ducenda.

Poſt *Elichmanni* aſſeverationem multò plura Germanica in Perſicis ſperabam, quàm inſpectis Lexicis deprehendi. Fateor linguam minus noſcenti parum apparere connexiones. Et fortè in Lexicis multa, præſertim obſoleta & originis retinentiora, omittuntur, uſitatioribus ſubſtitutis, quæ ex Arabico Turcicove fluxere. Nam *Elichmanni* fidem in dubium vocare non auſim.

N°. 4.

N°. 4.

LETTRE DE Mʀ. LEIBNIZ

A Madame la Ducheſſe Douairiére d'Orleans,

Sur des Antiquités déterrées dans l'Egliſe Cathédrale de Paris.

MADAME,

LA découverte des ſculptures Gauloiſes, jointes à une inſcription faite par les bateliers de la Seine à l'honneur de l'Empereur *Tibère*, & trouvées depuis peu *dans l'Egliſe Cathédrale de Paris*, lors qu'on y fouilloit dans la terre, eſt curieuſe; & la diſſertation qu'un habile homme a donnée là-deſſus, & que Madame a envoyée à V. A. R. eſt ſavante & ingénieuſe. On peut juger par l'endroit bas où ces figures ont été trouvées, combien le terrein de Paris a été hauſſé. On trouve la même choſe à Rome; & l'on m'a dit qu'à Aquilia il y a trois pavés l'un ſur l'autre. Je veux croire avec lui, que quelques-unes des perſonnes, repréſentées comme dans une eſpèce de proceſſion, qui portent des couronnes (peut-être de chêne,) pourroient bien être des *Bardes*, qui étoient les Chantres & les Poëtes Gaulois & Germaniques. Je ne ſçai d'où *Bodin*, que l'auteur allégue, a pris que les *Bardes* ſignifioient en Allemand des Prêtres. On trouve dans les vieux livres de chanſons Teutoniques, *der Meiſter Sänger*, que *Bar* ſignifioit encor une chanſon il y a 200. ans ou environ. *Turnebe* (Adverſ. XIII. 25. XX. 37.) a trouvé dans un vieux gloſſaire, que *bardæa* vel *bardula* ſignifioit chez les Gaulois une alouette, oiſeau qui chante. Le mot n'appartenoit pas moins aux Germains qu'aux Gaulois, & je ne ſçai pourquoi l'auteur veut, qu'il ſoit venu de la langue Gauloiſe dans la langue Germanique. Il y a plus d'apparence, que la langue & la nation Gauloiſe ſoient venues des Germains, ſi nous admettons que les peuples d'Europe ſont venus de l'Orient, & ſi nous conſiderons que les plus anciennes migrations ont été faites par terre, les hommes ayant ſû marcher, avant qu'ils ayent appris à naviger. *Virgile* a auſſi parlé *des Bandes de pourpre*, dont les tuniques Gauloiſes étoient chamarées, & que l'auteur (pag. 24.) croit remarquer dans quelques figures de ces bas reliefs. Ce Poëte dit des Gaulois, *Virgatis lucent ſagulis*. Quelques auteurs, prenant les Bojes pour des Bavarois, ſe ſont imaginés que ces bandes paroiſſent dans les armes de Baviére. Je ne vois pas pourquoi nôtre habile auteur (prévenu des idées de feu M. l'Abbé *de la Charmoye*) exclut les Allemands des

Digitized by Google


TIB · CAESARE ·
AVG · IOVI · OPTVM
MAXSVMO ·
NAVTAE · PARISIACI
PVBLICE · POSIERV
· NT ·
EVRISES

Digitized by Google

des Celtes, quoique les anciens les y ayent compris, & même plus particuliérement que les Gaulois mêmes. Comme une partie de la proceſſion repréſentée dans la ſculpture, porte des boucliers aſſez reſſemblans à une porte, & que ſelon les Grecs, on appelloit ces boucliers Gaulois θυρεὸς, il veut (p. 27.) que les Allemands ayent tiré leur *thür*, porte, d'un ſemblable nom Gaulois. Mais puis que ce même nom θύρα ſe trouve encore chez les Grecs, & que *dauri*, *duri*, *duere* en ſignifie autant dans les langues Eſclavonnes, il y a plus d'apparence que c'eſt un mot Celto-Scythique, qui des Scythes eſt venu aux Germains & aux Grecs, & des Germains aux Gaulois, comme la ſituation des pays le demande. *Tarian* Cambris eſt Clypeus; conſentit Gallorum *targue*, Germanorum *tartſche*. Les mots Gaulois EURISES & SENANIWIEILOM me paſſent. Ces derniers pourtant pourroient ſignifier des gens qui demeurent auprès de la Seine. Car *weile* eſt ce que les Latins appellent *mora*, durée, demeure, *verweilen*, demeurer. *Weiler* eſt lieu de demeure, & *villa* s'y rapporte. Cependant je ferois ſurpris ſi la lettre W s'y trouvoit, & je doute qu'on ait bien lû. *Euriſes* eſt un mot qui me fait ſouvenir des *Eubages*, mentionnés chez *Strabon* & *Ammian Marcellin*, devins des Gaulois, qui pourroit bien avoir été mal écrit ou mal prononcé des Grecs, au lieu d'*Eubares*. Les Prêtres ſont appellés *Ewards* chez *Otfrid*, c'eſt-à-dire, gardiens de la loi. *Otfrid* eſt du neuviéme ſiécle. *Eh* étoit loi, *Eid* ſerment, & *Edouard* eſt celui qui garde le ſerment. Mais revenons à nos bas-reliefs. ESUS ou HESUS Dieu Gaulois, marqué au-deſſus de la figure d'une perſonne armée d'une hache, & occupée à couper des branches d'un arbre, eſt connu.

Feris altaribus Heſus,

ſe trouve chez Lucain; c'étoit le Dieu *Mars*, qui eſt l'*Ares* des Grecs, & l'*Eric* des Germains. C'eſt pourquoi le Mardi eſt encore appellé *Erich-dag* chez les hauts Allemands. Les lettres R & S ſe changeoient aiſément, comme dans *Papiſius* & *Papirius*, *Fuſius* & *Furius*. Je conviens que TARVOS TRIGARANUS marque clairement le Taureau portant trois grues, qui ſe voit dans la figure. Il eſt ſûr que *Garan*, geranium, étoit une Grue chez les Celtes & ailleurs: & encore aujourd'hui *la grue* oiſeau, eſt appellée des Allemands *Kranich*, & *la grue* machine, *Krane*. Je ne remarque point le mot de *Leud* dans ces inſcriptions. (v. p. 30.) Il eſt vrai que *Laut* ſignifie encore aujourd'hui chez les Allemands ſon ou ton, & *lied* un chant. Il n'étoit point beſoin de recourir au Celtique (p. 31.) pour l'amour du mot *Jovis* pris pour *Jupiter*, puiſque les Latins l'employent ainſi au nominatif, comme dans ce vers connu, comprenant les 12. Dieux principaux.

Juno, *Veſta*, *Minerva*, *Ceres*, *Diana*, *Venus*, *Mars*,
Mercurius, *Jovi*, *Neptunus*, *Vulcanus*, *Apollo*.

Je ne ſçai pourquoi (p. 32.) on rapporte *Vulcanus* au Celtique *Volc*, & qu'on en fait un des Dieux Lares. Comme ceux qui ont fait faire ces bas reliefs, ont honoré *Jupiter*, *Caſtor*, *Pollux*, *Hercule*, pourquoi n'auroient-ils pas honoré auſſi le *Vulcain* des Romains? *Volck* chez les Gaulois comme chez les Germains étoit peuple *Vulgus*. CERNUNNOS, nom d'un Dieu cornu, (comme la figure le montre,) placé entre *Pollux* & *Hercule*, paroit être *Bacchus*. Dans le vieux Celtique, & encore aujourd'hui dans l'Armorique *Quern* ou *Kern*, eſt *cornu*, corne; les Germains diſent *horn*, le Latin, Grec & Hébreu s'y rapportent. M. l'Evêque d'Avranche, en comparant *Moyſe* à *Bacchus*, a montré qu'on attribuoit des cornes à ce Dieu, & M. l'Abbé *Molanus* l'a fait voir auſſi dans une lettre écrite à feu M. *Kirchmaier*, qui eſt imprimée. Le mois de Février eſt appellé des Allemands *Hornung*: rien n'approche plus de *Kernunnos*; car c'eſt ainſi qu'il le faut prononcer. Ce nom du mois venoit apparemment de l'uſage des Celtes, qui ſe repoſant en hyver, jouiſſoient alors de leurs travaux, & beuvant plus qu'à l'ordinaire, faiſoient honneur à *Bacchus*, & célébroient ſa fête. Et c'eſt dans ce mois que tombent nos Bacchanales; en quoi apparemment on a continué la coutume de nos ancêtres payens, comme on a fait en beaucoup d'autres occaſions. Il eſt vrai que *Bacchus* n'eſt pas repréſenté jeune ici; mais il eſt à croire que les Gaulois ne s'attachoient pas trop ſcrupuleuſement en tout aux uſages des Grecs & Romains à l'égard de leurs Divinités. La conjecture du ſavant auteur de la diſſertation qu'--. OS mis ſur la figure d'*Hercule*, doit être lû OGMIOS, me paroit vraiſemblable. Cependant un ſavant homme de mes amis (M. *Eccard*) ſoupçonne, que chez Lucien le P pourroit avoir été changé en Γ, & qu'il faudroit peut-être lire ORMION au lieu d'OGMION; en quel cas ce ſeroit IRMIN ou ORMIN, ancien Héros des Germains ou Celtes.

C'eſt tout ce qui me ſemble propre à être remarqué ici ſur ce monument rare & conſidérable de l'Antiquité Celtique. Quelques connoiſſeurs, ont trouvé ma dérivation du mot *Hornung* fort plauſible, & ſont ſurpris qu'on l'a déterrée dans l'Egliſe cathédrale de Paris: Car juſqu'ici nous n'avons rien eu de vraiſemblable pour rendre raiſon de ce nom d'un de nos mois.

N°. 5.

N°. 5.

G. G. ECCARDI
DE MONUMENTO CELTICO;

Sub templo Cathedrali Pariſienſi effoſſo judicium.

Ex ſuâ ad Collectaneorum Etymologicorum Leibnitii præfatione.

MEmorabilis eſt Epiſtola Leibnitiana ad Sereniſſimam Ducem Aurelianenſem viduam, in qua ſententiam ſuam de monumento Celtico, ſub templo Cathedrali Pariſienſi effoſſo, exponit. Deſcripſere illud, peculiaribus libellis Pariſiis 1711. impreſſis, Clariſſimi viri, *Mauturius* & *Baudelotius*, in quibus & æri inciſum exhibetur. Baudelotianam tamen deſignationem, æri inciſam, accuratiorem Mauturiana eſſe, Nobiliſſimus *Geiſlerus*, teſtis oculatus, & antiquitatum cultor ſedulus, cujus brevi Commentationem *de Dea Nehalennia* videbimus, mihi retulit. Regeſſit ad Leibnitianam expoſitionem quædam *Baudelotius*, & *Leibnitius* Epiſtola ſatis prolixa, quæ dixerat, defendit; ad quam iterum *Baudelotius* reſpondit; ſed cùm oſtenderet, ſe in antiquitatibus Celticis non adeo eſſe verſatum, & ad aliena dilaberetur, *Leibnitius*, melioribus occupatus, diſputationem abrupit. Et Leibnitiana & Baudelotiana hæc ſcripta libenter adjungerem, ſi jam liceret. Interim de notabili illo monumento & meam ſententiam (præteritis tamen omnibus iis, quæ viri eruditione inſignes, modo laudati, jam expoſuerunt) expromere non alienum ab hoc loco eſſe duco. Quatuor ſunt lapides, qui forſan circa aram poſiti, aut ipſi aræ fuerunt, iique in omnibus lateribus figuras exhibent planè memorabiles. Paganiſmo abolito, loco motos, & fundamento templi cathedralis ſubjectos fuiſſe, facilè credo. Aram autem & hoſce in circuitu lapides *nautas Pariſinos* poſuiſſe, inſcriptio hæc ejus prodit: TIBERIO CÆSARE AUGUSTO JOVI OPTUMO MAXSUMO...M. (h. e. aram) NAUTÆ PARISIACI PUBLICE POSIERUNT. Ad Orthographiam hic notandum; *u* jam olim ut *y* vel *i* pronunciatum fuiſſe, imò ex ipſo Græco *υ* corruptam literam eſſe; unde ſcribebant *optumo*, *maxumo*, & pronunciabant *optimo*, *maximo*. *Poſierunt* pro *poſuerunt* dicebant, & verbi prolati ſonus, quacunque vocali ſcriptum eſſet, unus erat. Galli morem hunc pronunciandi retinent; & nos eundem uſque ad duodecimi ſeculi tempora habuimus. In MStis enim obſervamus, *u* ſimpliciter poſitum, ut *y* elatum fuiſſe, quando verò ſo-

Digitized by Google

ſonum Græci *ꙋ* habere debebat, ſuper addebant vel adjungebant *o*, hoc modo *ů* vel *uo*. Unde *o* illud in vulgari adhuc ſcriptura nos, jam obliti, quid fuerit olim, forma ſpiritus lenis (*u'*) vel circumflexi (*ũ*) ſuperimponimus. Poſt inſcriptionem quarta in primo lapide figura ſequi videtur, quæ in *Baudelotii* delineatione ſex hominum non armatorum thoraces exhibet, quorum capita lauro, vel, quod Celtis convenientiùs, quercina fronde cincta ſunt. Confitetur enim vir clariſſimus, diſtinctè frondium genus agnoſci non potuiſſe. Unius os barba deſtitutum eſt, & cùm infra Druida, viſcum cædens, etiam imberbis appareat in Lapidis II. figura tertia, ideo & hunc Druidam, ſacræ hujus ceremoniæ antiſtitem, eſſe autumo; quod ex venerabili, quem præfert, aſpectu confirmatur.

Celtas enim reliquos myſtaces aluiſſe, certum eſt, & ex lapidibus quoque his confirmatur. *Mauturius* lapidibus non ſatis accuratè inſpectis detrita omnino capita exhibet. Iis apud *Baudelotium* inſcriptum eſt: SENANIE-WIEILOM. *Mauturius* legit ſolùm: SENANI V. EILO. Quid hoc monſtri ſit quæritur? *Mauturius* hariolatur, ſiſti hic Græcos Aſiaticos, qui tempore *Tarquinii Priſci* in Galliam venerunt, fœdereque cum Gallis percuſſo, Maſſiliam fundârunt: vel poſſe eſſe Regem Gallorum Ligurum Senanum cum duobus Legatis Græcis, quorum uni hic filiam ſuam *Giptem* in matrimonium dedit, *Athenæo* & *Juſtino* teſtibus. *Baudelotius* in voce *Senanie* Sequanicos quidem, à *Sequana*, vulgo *Seine*, nominatos agnoſcit: ſed, quod ſequitur, non intelligit. Videtur tamen ipſi, literis reſtantibus *lieud*, quod Germanis canticum denotat, & jam *Lied* effertur, apparere; ut ita *Cantores* Gallici vel *Bardi* exhibeantur. Nec *Leibnitio* diſplicet hæc opinio. Ego nil tale hic percipio. Sed V. EILO vel WIEILOM Celticum eſſe conjicio. Jam Cambrobritannis, qui ex Celticæ gentis reliquiis ſunt, adhuc eſt, *hwylio llong*, navigo; *hwylio*, dirigo, ago; *hwyl*, iter, progreſſus; item velum, linteum, carbaſa, vel proprie, id quod navem dirigit & ducit. Et cum *ei* veteribus, ut *i* longum, pronunciatum fuerit; ideo *wieilom* idem erit, ac *wiilom* vel *hwylom*, ac *Senanie wieilom* ſignificabit convenientiſſimè *Sequanicos nautas* ſeu *navium Sequanicarum gubernatores*, quos habitus ſacra facere indicat, & ipſa inſcriptio aræ fundatores fuiſſe prodit. Terminatio *om* vel *on* pluralis numeri nota eſt. Sic in *Daviesio derwyddon* Druides exponitur. Tertia in primo lapide figura Celtas tres ſiſtit, ſiniſtrorſum ſe religioſe convertentes, & more patrio lanceis & clypeis oblongis inſtructos. Inſcriptio eos EURISES vocat. *Mauturius* hinc *portum Erycis*, ubi Græci appulerint, vel *Hieriſum* urbem, Maſſilienſium coloniam, ſibi imaginatur. Sed hæc longè nimis petita. *Baudelotius* huc trahit Cambro-Britannicum *eurid*, auro inductum, & putat circulum, quem unus ex tribus viris geſtare videtur, coronam auream fuiſſe, quam obtulerint Numini, cui aram dedicaverant. Sed circulus ille nimis grandis eſt, & potius vinculum dolii, quam coronam refert. Unde ego *Euriſes* potiùs exiſtimo eſſe pluralem vocabuli Celtici EURYCH, quod apud

apud *Davieſium aurifex*, *artifex*, *fabricator*, *faber*; apud *Joneſium* verò Anglicè *a Goldſmit*, *alſo a Braſier*, *a Tinker*, hoc eſt *aurifex*, *faber ærarius*, *circuitor ærarius* (*Keſſel-flicker*) redditur. Celticum *ch*, ut noſtrum *ſch* vel *s*, elatum fuiſſe, Gallorum noſtrorum pronunciatio à Celtis orta arguit. Indicantur ergo *fabri ærarii*, qui nautas in ceremonia hac ſacra comitati ſunt. Circulus æreus fortè eſt circumferentia lebetis, vel ſuper quem lebes facer formandus erat; & ſi idem ligneus fuit, fortè indicat, hominem, qui eum gerit, *victorem* fuiſſe. Latus quartum tres imberbes ſiſtit, & more gentis armatos. Fortè iſti juvenes Druidarum diſcipuli fuerunt.

Lapidis ſecundi latus primum *Vulcanum* exhibet fabrorum ærariorum, quos effictos in primo lapide vidimus, patronum. *Volcanus* ſcribitur. Putaverim Monumenti authores partim Celtas, partim Romanos fuiſſe, & inde Deos & ſacræ utriuſque gentis miſcuiſſe; vel certè Celtas Romanorum Deos ſuis addidiſſe, ut placerent *Tiberio* Cæſari, Gallicæ ſuperſtitioni infeſto. Quanquam & metallorum Deum habuiſſe & ipſos, facilè crediderim; cùm & nos *Alpes*, ſive *virunculos metallicos* venerati ſimus, & Slavi *Coboldos*, quod idem denotat, tanquam præſides metallorum coluerint. Latus alterum *Jovem* exhibet, nec, quod ibi moneam, habeo. In tertio latere expreſſus eſt Sacerdos Heſi, ſive Druida imberbis (unde, Druidas barbam non aluiſſe, apparere videtur) alba veſte indutus, quercum aſcendens, & aurea ſecuri viſcum cædens. Superſtitionem hanc & omnes ceremonias circa rationem colligendi viſcum nobis ſervavit *Plinius*, Hiſt. Natur. lib. XVI. c. 95. *Nihil*, inquit, *habent Druidæ* (*ita ſuos appellant magos*) *viſco & arbore*, *in qua gignatur*, (*ſi modo ſit robur*) *ſacratius. Jam per ſe roborum eligunt lucos*, *nec ulla ſacra ſine ea fronde conficiunt*, *ut inde appellati quoque interpretatione Græca poſſint Druidæ videri. Enimvero quicquid adnaſcatur illis*, *e cœlo miſſum putant*, *ſignumque eſſe electæ ab ipſo Deo arboris. Eſt autem id rarum admodum inventu*, *& repertum*, *magna religione petitur*: *& ante omnia ſexta luna*, *quæ principia menſium annorumque his facit*, *& ſeculi poſt triceſimum annum*, *quia jam virium abunde habeat*, *nec ſit ſui dimidia.* Omnia ſanantem *appellantes ſuo vocabulo*, *ſacrificiis epuliſque rite ſub arbore præparatis*, *duos admovent candidi coloris tauros*, *quorum cornua tunc primum vinciantur. Sacerdos candida veſte cultus arborem ſcandit*: *falce aurea demetit*: *candido id excipitur ſago. Tum deinde victimas immolant*, *precantes*, *ut ſuum donum Deus proſperum faciat his*, *quibus dederit. Fœcunditatem eo poto dari cuicunque animalium ſterili arbitrantur*: *contra venena omnia eſſe remedio. Tanta gentium in rebus frivolis plerumque religio eſt.* Druidæ Britannis adhuc *Derwiddon* dicuntur, & iiſdem *dar* & *derw* ſignificat *quercum.* Unde apparet, *Plinio* non ad Græcum δρῦς confugiendum fuiſſe, cùm in Celtico etiam ratio nominis appareat. Δρῦς tamen cum Celtico convenire non nego. Celtas autem quercum adamaſſe conjicio, tanquam ſymbolum, ad nomen ipſorum alludens: nominis tamen veram rationem dependere puto à Celtico *derw*, *theuer*, & Germ. *treu*, Sax. *tru.*

 Spec-

Spectra enim ex Druidibus confiſta, quæ *Trutten* & *weiſſe Frauen*, candide indutas fœminas, vel etiam *ſapientes fœminas* dicimus, bona conſilia hominibus dare, & mala averruncare vulgo adhuc apud plebem creduntur, Viſcus roboreus noſtræ quoque Germanicæ plebi & venatoribus in veneratione eſt, ut Gallorum religioni & horum cultum affinem fuiſſe ſuſpiceris. Nec Æneæ *aureum ramum* aliud quàm viſcum fuiſſe certus ſum, ut adeo & Phrygica ſuperſtitio eum inter res ſacras habuerit. Viſcus certè, hyeme præſertim, flavi eſt ſeu aurei coloris. *Plinius* dicit, viſcum Druidas ſua lingua *omnia ſanantem* vocare. Jam Britannis & Aremoricis *iach* ſalutaris, ſanus, ſaluber; *jachau*, ſanare, mederi; *jechyd*, ſanitas, ſalus, dicuntur. *A* ut *æ* vel *e* efferri quibuſdam, notum eſt: *ch* ut *s* pronunciatum Celtis, ſupra monuimus. *Jach* itaque ſonabit *jæſch*, *jes*, & nomen viſci erit, qui hic *Eſus*, abjecto jota initiali & Romano more inflexus, vocatur. Viſcum autem ob hanc nominis aſſonantiam ſymbolum Dei Celtici *Hæſi* fuiſſe, congruum eſt. In hac tamen figura non ille, ut viſum eſt viris eruditis, ſed viſcus & modus eum religioſe colligendi exhibetur. Ultimum ſecundi lapidis latus ſiſtit in ſylva ſacra *taurum* cum tribus avibus. Superſcriptum eſt: TARVOS. TRIGARANUS. *Tarvos* hoc eſt Britannicum vel Celticum *tarw*, taurus, pro quo ſibilo præfixo, Saxones *ſteer*, Germani *ſtier* dicimus. Radix vocis apud nos deperdita, apud Britannos ſuperat. Iis enim *taro* & *taraw* eſt *ferire*, *percutere*. Eandem rationem etiam Latinorum *Taurus* habebit, & quadrat ea optime: tauri quippe cornu ferire proprium eſt. Taurus autem, fortè *Tarani* Dei ſive Celtici *Jovis* ſymbolum fuit ob ſoni vicinitatem. Colebant certè Celtæ ſacrum bovis ænei ſignum; ipſoſque per illud juraſſe, *Plutarchus* in *Mario* teſtatur. *Tri* Britannis *tres*, & *garan* adhuc *gruem* deſignat. Tres aves ergo ſunt *tres grues*, quorum ſigna etiam Celtæ inter ſacra ſymbola habuerunt, licet apud autores nihil hac de re inveniatur.

In tertio lapide apparet primo loco CASTOR, & ſecundo POLLUX, nautarum patroni, ut ex Mythologia notum eſt. In latere tertio hujus lapidis eſt figura hominis barbati & cornuti, cujus cornibus annuli appenſi. Inſcriptio ejus eſt: CERNUNNOS. *Mauturius* divinitatem agnoſcit, ſed quænam ſit, non explicat. *Baudelotius* nomen ex *cer*, *ker*, *cher*, locus, regio, orbis terrarum, & *Nonnus*, Præpoſitus, compoſitum fingit. Sed *Nonni* vox, ex oriente a Clero allata, Celtis ignota fuit. *Cern* autem Britannis *cornu* denotat; & *ing* vel *ung* terminatio derivativorum apud Germanos adhuc eſt. Inde illuſtri *Leibnitio* conjectura nata, nomen hoc unum idemque eſſe ac noſtrum *Hornung*; quomodo Februarium quaſi *cornuarium* nominamus, quod eo menſe cervi cornua abjiciat; & ex ſimili ratione Græci eundem ἰχάφιον & ἐλαφηβολιῶνα vocant. Ipſis Februarii Calendis *Dianæ* ſacrificia *Elaphobolia* celebrabantur. Illuſtris vir nomen hoc *Baccho* à Celtis datum exiſtimat, quia *Bacchanalia* in hunc menſem incidant. Sed rectè *Baudelotius* in Epiſtola MS. objecit, veterum Bacchanalia non in Februarium,

tium, ſed Martium incidiſſe. Accipit tamen Leibnitianam de cætero ſententiam: & quoniam *Faunus* etiam cornutus depingitur, ejuſque feſtum idibus Februarii agebatur; putat, hic *Faunum* ſiſti. Sed cur minorum gentium & Celtis ignotus Deus inter majora Numina poſitus ſit, non video. Statuo itaque omnino, BACCHUM CELTICUM hic exprimi; ſed non à Februario, verum ex ſimili ratione, qua Februarius, *Cernunnum* ſive *Hornung* nominatum fuiſſe, à cornibus ſcilicet, potentiæ & virium eminentium inſigni, quibus *Bacchus* & pingebatur & fingebatur antiquis. Et *Cernunni* nomen Gallis placuit, quia ad Britannicum *cwrw*, *cwrwf*, & veterum Celtarum *Ceriam* ſive *cereviſiam*, qua illi loco vini utebantur, alludit, & Deum quoque *cereviſiarium* ſignificare ita poteſt. Barbatus more Celtico effictus eſt, cùm Græci & Latini *Bacchum* imberbem colerent. In hunc ergo *Bacchum* Celticum à ſe in Galliis viſum vinipotor *Julianus* Imperator ſalſum hoc Epigramma conſcripſit:

> Τίς; πόθεν εἶς Διόνυσε; μὰ γὰρ ἀλαθεία Βάκχον
>   Οὔ σ' ἐπιγιγνώσκω· τὸν Διὸς οἶδα μόνον.
> Κεῖνος νεκταρόδει δὲ, σὺ δὲ τράγον· ἦρά σε Κελτοὶ
>   Τῇ πενίῃ βοτρύων, τεῦξαν ἀπ' ἀσταχύων.
> Τῷ σε χρὴ καλέειν Δημήτριον, οὐ Διόνυσον,
>   Πυρογενῆ μᾶλλον, καὶ Βρόμον, οὐ Βρόμιον.

H. e. *Quis es? unde es, Bacche? neque enim te pro genuino Baccho agnoſco, qui ſolum Jovis filium novi. Ille nectar olet, tu verò hircum. Celtæ fortè, qui uvas non habent, te ex ariſtis fabricârunt. Hinc vocandus es Cerealis, non verò Dionyſius; igne genitus potiùs & avenaceus, quàm Bacchicus.* Inde autem intelligimus, præter hordeum Celtas & avenam, quam βρόμον metri gratia ſcribit, cum βρῶμον dicere debuiſſet, ad coquendam cereviſiam abhibuiſſe, ut ſcilicet eo faciliùs potores ebrios redderet. Ob myſtacem promiſſum item *Bacchum* Celticum *hirco* comparat. Fortè etiam ad Celticum *bwch*, nobis *bock*, hircus, caper, alluſit, quod cum *Bacchi* nomine conſonat. Et quis ſcit, annon antiquiſſimi homines ob eandem conſonantiam *Baccho* hircum ſacraverint? Futilis enim eſt ratio, ideo *Baccho* animal hoc immolatum, quia vites arroſerit. Sed ita eos, qui *Bacchi* nomen & cultum primi invenerunt, Celtici generis fuiſſe oportuit: quæ ego aliis porrò conſideranda relinquo. Circuli de reliquo cornibus appenſi in figura noſtri *Bacchi* ego pro ligaminibus doliorum habeo. Sequitur latus quartum tertii lapidis, ubi vir neſcio quid manu tenens, adverſus quem ſerpens ſe erigit, conſpicitur. *Baudelotius Herculem* cum clava & hydram ſiſti ſibi perſuadet. Verùm melior eſt expoſitio *Mauturii*, qui oſtendit, exhiberi hic modum Celtarum ſuperſtitioſum ova ſerpentum colligendi, de quo *Plinius* lib. XXIX. c. 12. hæc profert: *Eſt ovorum genus in magna Galliarum fama, omiſſum Græcis. Angues innumeri æſtate convoluti, ſalivis faucium corporumque ſpumis artifici complexu glomerantur, anguinum appellatur. Druidæ ſibilis id dicunt in ſublime jactari, ſagoque oportere intercipi, ne tellurem attingat. Profugere rapto-*

Digitized by Google

raptorem equo : ſerpentes enim inſequi, donec arceantur amnis alicujus interventu. Experimentum ejus eſſe, ſi contra aquas fluitet vel auro vinctum. Atque, ut eſt Magorum ſolertia occultandis fraudibus ſagax, certa luna capiendum cenſent, tanquam congruere operationem eam ſerpentium, humani ſit arbitrii. Vidi equidem id ovum mali orbiculati modici magnitudine, cruſta cartilaginis, velut acetabulis brachiorum polypi crebris, inſigne Druidis. Ad victorias litium, ac Regum aditus, mirè laudatur : tantæ vanitatis, ut habentem id in lite in ſinu Equitem Romanum & Vocontiis, à Divo Claudio Principe interemtum non ob aliud ſciam. Res itaque, quam homo nudus manu tenet, non eſt clava, ſed ſagum, quod exuit, ut eo excipiat ova anguis ex adverſo ſtantis. *Baudelotius* ex literis ſuperpoſitis *os* ſolummodo obſervavit. *Mauturius* verò legit : SEVIRIOS. Quid ſi ſcriptum fuiſſet : SEWIRPHOS ? Britannis *Sarph* ſerpentem adhuc denotat ; hinc *a* ut *e* elato, & paulo protractius pronunciato, *Sewirphos* ipſum *ſerpentis* nomen Celticum eſſet.

Quid in quarto lapide proponatur, nondum indagare potui. Figura, nudam fœminam & nudum virum galeatum exhibens, poſſet *Venerem Martem*que ſiſtere. Dii enim nudi depingebantur. Cæteræ fortè figuræ in honorem Romanorum Magnatum Celtis tunc præfectorum eorumque uxorum ſunt excifæ.

Fragmentum lapidis, quod quinto numero eſt, & pedem ſiſtit, ſine dubio ſtatua *Herculis* Gallici fuit. Nam circa pedem pellem leoninam dependentem obſervo. Et hæc de Celtico Monumento, egregio planè, ſufficiant.

N°. 6.

G. G. LEIBNITII
GLOSSARII CELTICI SPECIMEN,

Sive cogitata ſua ad Lexicon Cambro-Britannicum a *Davieſio* confectum, & a *Boxhornio* excerptum. Ejuſdemque Epilogus de migrationibus Celtarum.

Linguæ Britannicæ Dictionariolum Boxhornius *Originibus Gallicis ſubjecit ex* Davieſii *Lexico Cambrico, autoritate Regis* Jacobi I. *edito, cujus & meminit* Boxhornius *Hiſt. Univer. ann.* 449 ; *unde quædam notare placet, & noſtris, quibus ſæpe conveniunt, comparare. Unde multæ ſe aperiunt Origines, aliàs futuræ ignotæ, dum paſſim radices aut harum indices voces Celticæ, apud Teutonicas gentes amiſſæ aut obſcuratæ, apud Gallorum vete-*

Digitized by Google

-*rum reliquias, Cambros vel ut ipſi ſe vocant Cumros (haud ſcio an non Cimbros) id eſt Walliæ & Cornuwalliæ habitatores; & apud Aremoricos Britanniæ minoris incolas conſervatæ ſunt, extantioresque conſpiciuntur.*

A.

AB, ſimia, Germ. *Ape*, *aſ.* Credo ab *aber*, quod Germ. eſt iterum, ſeu ab iteratione vel imitatione dictum, ut *Ebbe* refluxus. Etiam *Eppa* Cambris ſimia, olim Celtis ἀβράμας apud *Heſychium*. Aliis *Ape*, vel *Affe* derivatur ab Hebræo *Aph* naſus, ut ſimia à ſimo, id eſt, nares depreſſas habente.

ABALL, defectus, exitium, diſſidium. *Evel*, *übel*, Germanis, malum, fortaſſe eſt *abſal*.

ABAR, corruptus. *Aber* caſus fluvii, oſtium. Conſentit *Haven* Germanorum, Gallorum *Havre*, id eſt, portus. Nam oſtia fluminum ſunt portus naturales. *Aber* igitur, ut alibi notavimus, accipiebatur Celtis de omni re declinante, abeunte, ut in noſtris vocibus *abend*, veſper, & *ebbe* refluxus. Ita ut radix videatur eſſe particula *ab*, quæ eſt Latinis & Germanis, quod ἀπὸ Græcis.

ABWY, *Abo*, cadaver. *Abwyd*, aas, eſca, (ut cadavera ſunt animalibus) Sanè *Weyde* eſt paſtus animalium. Vid. *Bwyd*, cibus. *Aberth*, ſacrificium (occiſum.) Credo, fontem horum eſſe *Ebbe*, quod Germanis eſt refluxus, decrementum, occaſus; vel potius ipſam particulam *Ab*, quæ Græcis ἀπὸ.

ACH, ſtemma, genus; Germanis *auch. ooken*, eſt auctus, propagatio. *Achen* etiam Cambris, genus, natio. Adde *eddyl* infra.

ACHES, rivus, flumen. Conſentit *ach*, veteribus Germ. aqua.

ACHLÂN, omnes, totus. Conſentit ὅλος totus, *all*, Germ. omnis; ὄχλος multitudo.

ACHLUD, occultare. Congruit *claudere*, *occludere*, adjecto *a*. Conſentit Germ. *ſchlieſſen*.

ACHOR, parvum. Conſentit *Acarus* minutiſſimum animal.

ACHRE, tegumentum. Conſentit *ocrea*.

ACHRETTAWR, creditor.

ACHRWM, curvus, *crumm* German. Conſentit *Vermis*, *Wurm*.

ACHUB, occupare, capere, *Kauffen*.

ACHWLWM, nodus perplexus (volvulus) glomus, *Klumpe*, Klun, glomus.

Hæc & multa alia teſtantur, Britannicas voces Latinis & Germanis compluribus conſentire, præfixo *a*, tanquam articulo forte.

ADAF, manus, quaſi *a daz*, eine *taze*. Nam & taze Germanis eſt manus, vel pes anterior; unde taſten, *tätſcheln*.

ADAMMEY, adagium, ænigma.

Digitized by Google

ADAR, aves; *Aderyn*, avis, ſing. *Adarwr*, auceps. Etiam Jutis & Saxonibus *Edder* ſunt aves. *Edder-dunen*, plumæ avium. Hinc *Aar*, *Arn*, aquila. Adde in Cambrico ipſo *Edn* avis, *Hedeg* volare, *Eryr* aquila.

ADDAIL, fæx, id eſt, pars ima, deterior; nam *ad* Cambris eſt imminutivum.

ADDEWID, promiſſum, à debito.

ADDFAIN, exilis. An hinc *faint* Anglis, tenuis.

ADDFEDDYLIED, recordari; ut apud Germanos einfallen, incidere eſt etiam recordari.

ADDOLI, adorare.

ADDURN, ornatus.

ADDWYN, honeſtus.

ADEFYN, filum, faden. V. edau.

ADEG, tempus aptum; a. præpoſitum Germanico *dag*, dies, qui hîc generalius pro tempore ſumitur.

ADFAIL, ruina, *fall*.

ADFAN, advena, peregrinus.

ADIAD, anas. Arabibus Aduuta apud *Megiſer*. Hiſpanis Anade, nobis *Ente*. Adde Cambricum *hwyad*, anas. Sic infra *hydd* pro hind.

ADIL, vilis, *eitel* Germanis, vanum, inane; cum ipſis *adel* alias, ſed longè alio ex fonte, ſit nobilitas. Vid. *Eddyl* infra.

ADLAIS, reſonantia. Vid. *Llaiſorg*.

ADLAM, reſilire. V. *Llam*, ſaltus.

ADLAW, homo fortis infimæ. *Llabi*, ruſticus deformis; an conſonat *leud*, *leute*, *leodes*, plebs, ſervi, homines. *Ad* alioqui eſt Cambris perſæpe particula diminutiva, ut *adladd* fœnum, *adwaith* opus imperfectum.

ADNAU, depoſitum. Vid. *Naid*, *Nawdd*, aſylum; conſonat noſtrum *nod*, neceſſitas.

ADOLWG, obſecrare. Vid. *dolef*, clamare.

ADRAN, ſubdiviſio, drennen, *trennen* Germanis, dividere. V. *Dragio*, *dryl*. Sæpe *Ad* Cambris reſpondet Latinæ affixæ, *Re*, ut ſit quaſi redividere. Sic *adlais* reſonantia, cum *llais* ſit ſonus. Reſpondet Germanicum *after*, quod repetitionem; & minus etiam, vel ſecundarium aliquando, ſignificat.

ADRODD, reddere, narrare.

ADRYBEDD, certitudo.

ADRYWEDD, odor canum feras inſequentium. Edrywedd, Edrybod, hiſtoria. *Truth*, verum, Anglis; *tru*, certum Germanis, *treu*, fides.

ADWEN, cognoſcere, quaſi recognoſcere. Nam *Wen*, puto notitiam ſignificare, vel ſententiam, & reſpondere Germanico *Wehnen*, *Wahn*, opinari, opinio.

ADWERTH, pretium minus juſto. *Werth* pretium Germanis.

ADWY,

Digitized by Google

ADWY, ruptura, rima. Germanis quoque à *twey*, duobus; ruptum dicunt in Zwey, *et is entwey*.

ADWYNIG, micare, ſcil. ut lux per rimam.

AER, prælium. *Ares*, Mars, Græcis; *Erich* Germanis. *Hari* exercitus Germanis veteribus, hodie *Hebr.* Cambris *Arf* telum.

AES, ſcutum. An *aſſer*, qualia revera prima ſcuta. Gallis *Ais* aſſeres. Add. *Ais*.

AESEL, omphacium. Hinc Gallis *oſeille*. Conſentit acidum, acetum, *eſſig* German.

AFAES, avis.

AFAL, pomum, Germ. *apfel*.

AFANGE, caſtor, fiber. Hoc miror.

AFFAITH, reatus alieni criminis, quaſi a faith ſine facto ſuo.

AFFAN, explicante *Boxhornio* ab *a* privativo, & *ban*, excelſus, quaſi minimè excelſus, profundus.

AFFWYS, profundum, abyſſus.

AFLAFAR, infans mutus. Nam *Ffladr* eſt loquax. Vid. infra.

AFU, hepar, *foie* Gallis, *fegato* Italis.

AGALEN, cos, quia æquale vel æquabile reddit, égalant.

AGEN, rima, fiſſura, Lettis, *Eiſa*.

AGORI, *Egori*, aperire.

AGWEDDI, dos. Vid. *Gweddw*, viduus.

AIG, agmen. Conſentit Latino; nec abludit Græcum ἀγέλη grex.

AIL, ſecundus. Conſentit Latinum alius, Græc. ἄλλος. Hinc *Ailun* Cambris imago. Scholiaſtes *Juvenalis* dicit, *Allobroges* eſſe alio tranſlatos, quia *allo* ſit Gallis aliud, *broga* regio, ager. Add. *Eilun* imago. item *Ellyl*.

AIS, *Aſen*, coſta, aſſer, aſſerculus. Adde ſupra *Aes* ſcutum.

ALAETH, luctus, vel à non-læto, vel à luctu, *leid* Germ. ut cùm dicunt *leid clagen*.

ALARCH, olor, cygnus. Sax. olb, ebs, Belg. huyler, Germ. *Swaen*, Slavis *labud*, Hung. *hattyn*, Chald. *chavetha*, Hebr. *racham*. Affine ciconia, Hebræis chaſidah, Sax. ebeer, Hung. Etzerach.

ALAUDA, legio Gallis, apud *Plinium*. An ex alodibus collecta ad diſcrimen Gæſatarum, qui ex Vaſſis vel Vaſallis? Add. *llais*.

ALIWN, alienus.

ALLT, aſcenſus montis, item *Gal. Gallar*, Italis aſcendere.

ALLTUD, alienigena, ab *all*, alius, & *tud*, terra. *Tud* conſonat cum *Tudiſco*, id eſt, populo; Theodone, Rege; *thudinaſſe*, regno apud *Ulfilam*, *Titanibus*, terrigenis.

ALON, inimici, alieni.

ALP, Gallis mons apud *Iſidorum*. *Hohen-Alben* Helvetis. An ab *Albo*, Celtico non minus quàm Latino, ob nives? Nam & Syris *Alben* albeſcere apud *Bochartum*.

AMBACTUS, Gallis ſervus, miniſter, Ennio apud *Feſtum*. Hodie Germanis *Ambacht*, *Amt* eſt munus, officium, miniſterium.

AMI, creber, Germanis *immer*. Nempe & Latinis *Am*, Græcis ἀμφὶ eſt circum, & Græcis ἅμα ſimul.

AMLEDD, abundantia. Conſentit *cumulus*, *comble*.

AMLIW, color varius, bundt.

AMLOGYN, meta, nota conſpicua.

AMLWG, conſpicuus. *Lugen* antiq. Germ. eſt videre. Conſentit lux.

AMRA, eſt vox intenſionem denotans aut multitudinem, numerum. Germanis *immer* eſt continuatio, an *ie-mehr*?

AMRAFAEL, lis, diſcordia: nam *ffael*, error, Germanis *fehl*, defectus.

AMRANRHUN, ſomnus; idem quod *Hun*.

AMRILIW, diverſicolor.

AMRYGOLL, idem quod *coll*, damnum.

AMSER, tempus.

AMYD, far, frumentum, amylon, *amydon* hodie Gallis.

ANDAT, victoria Gallis, vel potius Britannis apud *Dionem* in *Nerone*. *Bochartus* ad corrigendam hanc vocem inclinat, & vellet inde facere *Andraſten* vel *Aſtartem*, Deam Phœnicum, quia neſcivit linguam Germanicam, in qua *winden*, *überwinden* eſt vincere. Porro w nunc præponi, nunc omitti ſolet, ut in οἶνος, Wein; Odin, Wodan. Notatu dignum eſt etiam apud Cares, victoriam dictam Bandon, Βάνδον τὴν νίκην φασιν, cùm vocem ἀλάβανδος explicat, quod ſit Caribus ἱππονίκη.

ANGAD, manus, an ut *ancon* cubitus, *Ancona* Italis curvum, la hanche. Nam & *angell*, armus, brachium.

ANGEN, neceſſitas, Germanis *angſt*. *Angry* hodie Anglis iratus, exacerbatus.

ANNUD, tegmen, quaſi non-nudus.

ANNYSG, inſcienter, ohn-wiſſend.

ANOBAITH, deſperatio, *one hope* Germ. ſine ſpe. *Hoffen*, *hopen* eſt ſperare.

ANTERTH, pars temporis matutini, quam vocant horam tertiam.

ANTHUR, auſum, molimen. Sic *thar*, tarſ Germanis auſus.

ANTUN, inſomnia.

ANWGL, invaletudo. *An* eſt ſæpe negativum, imminutivum, deteriorativum, ut Latinum *in*, Germanicum *un*, v. g. ungeld, unmann, unmenſch, unthier.

ANWIR, non verum mandatum.

ANWR, miſellus, parum virilis.

AR, arvum. *Ar*, ſuper, German. *erd*, terra. Conſentit *arare*, & Græc. ἄρουρα, & Hebræum *arez*, *erez*, terra, & Germanicum *erz*, quod eſt vena metallica.

ARAF, lentus Britannis. Hinc *Ararim*, dictum, *Cambdenus* notavit, cui

Digitized by Google

cui apud *Claudianum* Epitheton: lentus Arar, Rhodanusque celer. Etiam *Cæſar* ejus lenitatem miratus eſt. *Bochartus* revocat ad Hebræum *Abar*, tardare.

ARDAL, toparchia, tractus terræ.

ARDU, ater, ſwart.

AREPENNIS, Gallis ſemijugerum apud *Columellam*. Supereſt hodie *arpent*; & eſt propriè terræ cultæ ſeu arabilis menſura. Nam *penſum*, eſt definitum aliquid non pondere minùs quàm menſura, ut in Franco-Gallicis ni fallor notavi.

ARF, telum, Germanis, *Werf*, jaculum. Nam *Werffen*, jacere eſt. Cambri, ut in *Andate*, W initiale omiſere. Add. infra *bêr* haſta.

ARTH, urſus, Germ. *bär*, Græc. ἄρκτος.

ARWYDD, ſignum, vexillum. Add. infra *Herod.*

ASGELL, ala, axilla, Germ. *achſel.*

ATCOR, jugerum, acker.

ATHRAW, magiſter, Armoricè.

AUTRON, dominus. Hinc *trot*, Druthin Germanis veteribus, Dominus, Princeps; *trotning* Regina Suedis.

AWCH, acies, (*eck* Germ.) acumen, vigor, ἀκμή.

AWEDDWR, aqua pura, inundans.

AWR, hora, *uhr*.

AWYN, habena, ab habendo, *haben* German.

AWYR, äer.

B.

BACCWN, lardum. *Bacon* Anglis, hodie ſchincken, jambon.

BACH, parvus.

BAD, ſcapha, Germanis *both*.

BAEDD, aper, *bache* Germ.

BAEDDU, tundere, verberare, battuere, battre; conſonat Herm. *patſchen*.

BAGAD, turma, turba, grex. Hinc credo *Bagaudæ*, Galli *rebelles* apud *Salvianum* & alios.

BAGL, jaculum, *Bolt* ſagitta. Conſentit *pfeil* Germ. item *bolzen*, Græcis βολὶς, & βάλλειν jacere.

BAID, vadum. Germ. *Waten* eſt vadum tranſire. Italis *badare*, Latinis *vadere* eſt generalius, ſed tamen, ut videtur hinc natum. Etiam conſentit *bad*, *baden*, aqua profluente ablui, ubi vadum. Add. *Gwude*, ſolea, planta pedis.

BAL, calvus, *Kaal*, φαλακρός.

BAL, faſciculus, balle; Germ. *ballen*.

BALAIN, chalybs, ferrum; an hinc *Belenus*, qui in Alpibus Noricis colebatur, ubi ferrifodinæ. Talis inſcriptio Aquilejæ reperta.

Digitized by Google

BALLASARN, *glas*, cœruleus color. Species Rubini dicta *Rubin-Balay* Guaſtum vel gleſtum, Weid, Latinis iſatis; conſentit *glaucus* color, Cambris *glas*, & *llaſar* (lazuli lapis, vulgo *laſur*) glaucus, cœruleus, lividus.

BANN, antiquitus altum, *βουνος* collis. Bannus id eſt Rector Croatiæ, *Pany*, Slavonicis, Dominus, Princeps, gubernator. *Bann*, fahne, ab elevatione. Hinc & *fann*, conſpicuum, nota, macula, *Boxhorn.* Add. infra *Penn* caput. Conſentit *Bannus*, proclamatio. *Banniar* Cambr. vexillum, nobis *bannier*.

BANNOG, notatus.

BARA, panis; vinum Germanicum, brodt. A *Bara* pane, & *gwyn* vino, Galli dialectum, qualis Britonum, *baraguin* dixere.

BARDAS, item Hanes, Hiſtoria poëtica.

BARDD, poëta, propheta. Eam vocem etiam veteribus Celtis, Germanis & Gallis, hoc ſenſu in uſu fuiſſe, antiqui Scriptores teſtantur. Nuper Germanis Cantarellis (den Meiſtersängern) erat *Bar* cantio. Notus eſt *Bardocullus* apud *Martialem*, id eſt, qualem Bardi ferebant. *Barditus* apud *Tacitum* & *Ammianum* de Germanorum clamore militari.

BARDONEY, poëma. *Barddoni*, poëta.

BARGEN, conventio, contractus. *Bargain* nunc quoque in Anglico eſt cambium, vel ſimilis contractus.

BARIL, cadus, dolium; hodieque ſupereſt Gallis cum aliis antiquis Gallicis non multis.

BARN, judicium. *Brennin*, Princeps, judex. Hinc olim *Brenni* dicti Gallorum Duces. *Bochartus* ducit à Syro *Parnas*, Princeps, à *parnes* paſcere. Sed Celtis *Bre* eſt excelſum. Etiam Hungaris Biro eſt judex. Vid. *Bre*, *Bren.*

BARO, Gallicè ſervus militis Gloſſ. in 5. Sat. Perſ. nempe *garçon*, *Kerl*, Hiſpanis *Vir*, Italis homo vilis. Et quia homo pro vaſallo, factum ut Vaſalli primarii Principum barones dicerentur. *Iſidoro* baro eſt mercenarius. Add. *Guâs.*

BARR, vectis, repagulum. Hinc puto *barre*, *barrière*, Germ. *ſparre*, claudere *ſperren.*

BAS, non profundus, depreſſus.

BASGAWD, & *Basged*, ſporta, cophinus, corbis, caniſtrum. *Martial.*

Barbara de pictis venio Baſgauda Britannis,
Sed me jam mavult dicere Roma ſuam.

BASTARD, non ineptè forſan vulgo à baſſo ſeu vili, humili, & *art*, genus.

BEC, jam olim Celtis roſtrum, idque cognomen *Antonio* primo Toloſæ nato datum, *Suetonius* refert. Etiam Germanis in uſu eſt *bicken* de avibus roſtro ferientibus vel capientibus. add. *bikre.*

BEDD, ſepulcrum, Germanis eſt lectus, utrumque locus jacendi.

BENNA, apud *Feſtum* vehiculum Gallicum; Combennones in eadem

benna

benna ſedentes, (unde fortè compagnon) Notavit *Pontanus*, *benne*, (binne Angl.) hodie eſſe corbem, & corbis vehiculo imponebatur. Niſi malimus à *banco* dici ſeu ſcamno, cui inſidebant vectores.

BENYW, fœmina, *Ban*, fœmina.

BER, veru. *Ber*, haſta (verutrum) Adde ſupra *Arf*.

BERTH, pulcher, nitidus. *Werthid*, opes.

BIERY, milvius, Germ. Weihe.

BIHERRIGA, veſtis brevis & hiſpide *Sulpitio Severo* in vita *Martini*. Nempe obſervante *Pontano* à pilis; uti Cilicium hodieque Gallis dicitur *haire*.

BIKRE, conflictus. Hinc & Anglis *Bikre*. Add. *bec*.

BIR, cereviſia. Puto eſſe à *brauen* Germ. *berwy* Cambr. quod eſt coquere, bullire. Conſentit Latinum *fervere*; niſi malis eſſe à *brevan* Cambr. molere, ut *brauen* Germ. ſit etiam originariè molere, minutim miſcere; ut *malt*, *malz*, præparatum ad braxandum frumentum (*bracis* veteribus) à molendo dicitur. Sane *brin* eſt comminutum, ut fit molendo, & *bran*, furfur. Etiam Græcis βράσμα, ἀπόβρασμα, furfures.

BIW, vacca.

BLAEN, extremitas.

BLAWD, farina Aremoricis. *Blawd Llif*, ſcobs. *Blawd*, agilis. *Blawen* eſt Germanis ſchlagen, ſtoſſen, einbläuen, abblauen. Itaque farina quaſi contuſa, motu minuta.

BLAWR, canus, glaucus; *blau* Germ. cœruleus.

BLITH, commodum; Germanis lætitia. Hinc Anglis, *i am blide*, ſum lætus, à mon aiſe. *Blide* olim Germ. quoque lætitia. *Blidenſtat* explicatur locus lætitiæ. Conſentit

BLOCH, bucca, mandibula.

BLOESG, blæſus. βλαισός.

BLOWMON, Æthiops. Ita *blow*, pro nigro, cum *bleu* Gallis ſit cœruleum, ut *blau* Germanis.

BLYS, deſiderium.

BOCHAU, fauces.

BOD, manſio; Germanis veteribus *beiten* manere, *bude*, *butel*, manſio.

BODDI, mergere, mergi, in fundum ire; nam Germanis *Boden* eſt fundus, & Græcis πυθμήν. *Bodenk*, Gallis Inſubribus olim fundo carens apud *Plinium* lib. 3. c. 15. qui notat, locum apud Padum dictum *Bodincomagum*, ubi fluvius profundus eſt, & quaſi fundo carens. *Enk*, idem eſt quod *ohn*, *ahn*, ſine.

BOL, *boly*, venter, uterus. Unde & *belly* Anglis venter.

BORD, menſa, tabula. Germ. börd, repoſitorium.

BOST, gloriatio, etiam Anglis *boaſt* idem.

BRACCÆ, pro femoralibus Gallica vox, teſte *Diodoro* & *Heſychio*. Supereſt Saxonibus. *Broek* vel *Bruk* eodem ſenſu. *Pontanus* ait *Breache* etiam Britannis eſſe braccam.

BRA-

Digitized by Google

BRACH, brachium.

BRAD, proditio.

BRAEN, tabidus, rancidus. add. *Brann.*

BRAENAR, novale, terra ſqualida, brack-acker.

BRANCE farris Gallici genus *Plinio*: *Cambdenus* teſtatur, hodieque hac voce apud Britannos far exprimi.

BRANN, furfur. Add. *braen.* Germanis inferioribus cerebrum dicitur *bregen*, Anglis *brain.* Pro furfure reſpondet Gallicum *Bran*, Græcum βράσμα. vid. *Bir*, *Breuan.* Brythum apud *Athenæum* (lib. 10. c. 16.) Potus Thracum ex hordeo. Add. *Cwrw.*

BRAWD, frater, *Bruder.*

BRE, mons, collis *Bryan*, collis, Sax. *brinck.* Add. *Bron.* Alti montes Celtis *Brenner*; ita Alpium Tirolenſium ſummitas appellatur. Idem ergo nomen commune Alpibus & *Pirenæis.* Deiſteri jugum non procul à cœnobio Wennigſen, in Calenbergenſi Principatu, dicitur etiam *Bröen*, ubi ampelitidis genus effoditur. Add. *Brynn.*

BREG, ruptio, *brechen. Briw*, vulnus, fragmentum, [an hinc *brin*, portiuncula?] Conſentiunt Germ. *brechen* & Latinum *frangere.*

BRENHIMAETH, Regnum. *Brenhinllys*, aula regia. Itaque *Bre*, *Bren*, videtur ſignificare elevationem. Add. *Barn* ſupra, & *Prain* infra, & *Bron.*

BREUAN, molendinum. Add. ſupra *Bir*, & *Brann.*

BRI, æſtimatio, dignitas. *Breyr*, Baro, Dinaſtes. *Brig*, ramus, ſummitas, Germ. *preis*, pretium, Anglis *pride*, æſtimatio ſui. Add. *prood* Angl. Sed & Cambris *bryd*, animus.

BRIGER, coma [*bregen*, cerebrum.]

BRITANNIA, *Britones* fortè à *Bright*, quaſi ſplendentes ſive *picti*; ita à Gallis vicinis appellatos crediderim: Etiam Germanorum *Beri* in antiquis terminationibus eſt ſplendidum, & *pretty* Anglis hodie elegans, & nobis *prunk* ornatus, *prangen*, ornatum oſtentare.

BRO, patria, regio, Gallis *broga* Scholiaſtæ *Juvenalis.* Germanis *Broek* regio paluſtris, ut Bructerorum.

BRON, pectus, mamma, fortè à ſimilitudine monticuli ſive elevatione. A *Bron* pectus (Germ. *bruſt*) derivatæ ſunt *brunia*, vox Francis uſitata, & in Capitularibus non ſemel occurrens, de lorica ſeu pectoris tegumento. Ipſis Cambris *bron-door* eſt clypeus *bron-foll*, thorax.

BRU, venter, uterus. Etiam Græcis ἔμβρυον. Add. *braut*, ſponſa, & βρύειν, non tantùm Græco, ſed & Belgico ſenſu.

BRUCHEN, ſcatebra. *Bruck* etiam Germanis locùs paludoſus, ubi ſcatebræ. βρύειν ſcaturire, pullulare.

BRWYN, juncus.

BRYNN, collis. Brinck apud Sax. infer. ut dictum. Add. *Bre* ſupra. A *Bre* & *Brynn* non abludit *Berg* mons etiam Gallica olim vox, ut hodie Ger-

Digitized by Google

Germanica: Nam *Cato* apud *Plinium* notavit, Bergomates, etiam prodente nomine, altiùs quàm fortunatius ſitos.

BUCCLED, clypeus, bouclier. It. *buccel*, puſtula.

BUDD, utilitas, in Sax. *baten*, prodeſſe. *Es bad nichts.*

BUL, folliculi ſeminis lini. Puto eſſe origine generalius, ut Germanis *balg*, Latinis *bulga*, bulla. *Feſtus* ait: *Bulgas Galli ſacculos ſcorteos appellant.* Hinc & *buſtl* Cambris, veſicula, ſpeciatim ſellea, & *bwcl* puſtula, *buckel*, *boucle*. Conſentit græcum πύελος theca. Add. *Pungia.*

BURGYN, *Buria*, morticinum. Hinc Anglis *buried*, ſepultus; an à *bören*, ferendo, quod aufertur. An à *Bwrw*, quod Cambris eſt jacere.

BURRÆ, quiſquiliæ apud *Auſonium*, Gallico, ut apparet, verbo. Hodie Gallis *bourde*, Belgis *Burten*, nugæ, joci.

BWA, arcus. Hoc *Davieſius* ducit à *bw*, terror, quia ante inventum pulverem pyrium terribilis fuit. Sed eſt ex eodem fonte cum *bow*, Anglo, quod eſt à Germanico, ubi *Bogen*, arcus vel res flexa; & *biegen*, flectere. Adde *bwk*, *bouc*, *bok*, caper, à cornibus flexis. Olim arcus ex cornu. Conſentit Græcum βιός, arcus.

BWHMMAN, fluctuare. An *wimmen*, *ſchwimmen*? nam, *es wimmelt voll*, dicimus & Germani. Conſentit & Germanicum *baumeln* vel *bummelen*, de motu oſcillatorio.

BWIAL, ſecuris, *Beyl* Germanis.

BWLA, taurus, *Bu* bos, vacca. Germanis *bulle* eſt taurus.

BWNGLER, imperitus in arte. Conſentit Germanicum *bengel.*

BWRN, onus; ſic & Anglis, à *bören*, Sax. ferre, βάρος Græcis, *Bürde* Germ.

BWYD, cibus, *weide* Germanis. *Bwita*, edere, *biten*, *beiſſen*, mordere. An conſentiunt vita, victus?

BYDA, alvearium. Apis Anglis *bee*, Germ. *biene.*

C.

CABAN, caſa, hodieque *cabane* Gallis.

CADER, *Gadir*, ſeptum. Hinc & *caer* urbs. Conſentit orientalium *Carta*, *Carthago*, *Tigranocerta.*

CAE, ſæpes, clauſum, [Cajüte in navi] haye, Germ. *hagen*, eſt abhakken, cædere, ob arbores cæſas, inciſum.

CÆTRA, brevior clypeus apud Oſcos, Hiſpanos, Celtas, Britannos. Notat *Bochartus* ex *Juvenalis* Scholiaſte, ſcuta Maurorum minora eſſe *citras.* Invenit & conſonas in oriente voces. Dicebantur & cyrtiæ Iberis apud *Heſychium*, an quia curtæ, *kurtz*?

CAFN, trulla, concha, ſcapha. add. *Cau.*

CAILL, teſticulus. An hinc couillons, coglioni? die *geilen*, Germ.

CAIN, Cambris, *Cann* Aremoricis, candidus.

CAINION, clinodia.

Digitized by Google

CALED, durus. Conſentit callus; callum obducere. Conſonat *Calleſter* Cambris ſilex, Gallis *caillou*. Etiam Hebræis *galad* dureſcere, Latinis *gelu*, *gelidum*, Gallis *Galet*, calculus litoralis.

CALY, veretrum, priapus. An à calamus? nam & Germanis *ruthe*.

CAMM, curvus, Gallis *camus*, nez camus. κάμπτω flecto. Conſentit camera, καμάρα fornix.

CAMMAWN, pugna. *Campau*, ludi, quales Olympici. Conſentit Germ. *Kampf*, pugna.

CANNAD, permiſſio, venia, Germ. *genad*, Et *Gan* Aremoricis, *Cennad*; item, nuntius, *Cennadwry* Cambris legatio.

CAP, pileus, item *Cappan*, pileus, *chapeau*. Conſentit *caput*, *cappa*, haupt, *cappe*, καπάνη.

CAR, amicus, *carus* antiquis. *Car* odium. χάρις gratia.

CARDR, fortis, Germ. *hard*. Conſentit καρδία, cor, hertz. κράτος robur.

CARL, ruſticus. Ita & Svedis. Germanis ſimpliciter *Kerl* eſt vir, olim homo robuſtus.

CARN, agger, cumulus lapidum, rupes. An hinc Alpes Carnæ, populi Carni? Add. infra *Craig*, *Gro*.

CARNON, tuba Gallis apud *Heſychium*. Cornu eodem ſenſu Romanis. v. Cern.

CARR, carruca, biga; vox creditur à Gallis ad Latinos veniſſe, Germanis *karre*, karn.

CARTH, ſtupa. Hinc *Carder*, (*Karten* Germ.) fullonum, *carduus*: *carthu* Cambr. purgare. κάθαρμα, purgamentum.

CARW, cervus. Hoc ergo Celticum, Germanis, Gallis, & antiquis Italis commune: nam cervo conſentit *hirſch*, ut capiti *haupt*.

CARWFIL, magnum animal, quales cervi, equi. Sanè & antiqua vox *ors*, Anglis *hors* pro equo, indicat vicinam olim vel communem cervi & equi appellationem fuiſſe.

CAT, Anglis *Cut*, ſectum. Reſpondent *culter*, *couper*, *capo*, κόπτω. *caddeln*, eſt ineptè ſecare, ut pueri ſolent.

CATEJA, telum Gallicum. Soliti torquere *Catejas*, *Virgil*. *Iſidorus* Gallis tribuens deſcribit. Gatti, vel Catti medii ævi ſcriptoribus dicebantur Machinæ ſaxa emittentes, quæ haud ſcio an huc pertineant. In Cambrico vel Aremorico, quantum reperio, non apparet *Cateja*, ſed *Caterva*, (Gallis tributa à *Vegetio*) vox hodieque in Cambrico ſupereſt; *Catyrfa* & *Tyrfa* eſt turba, *catorfod*, prælium.

CATH, Cambris cattus, *Katz* Germ. Adde Cambr. *Cat* fruſtum. *Catti* enim fortaſſe dicti à lacerando.

CAU, cavus, clauſus. add. *Caſn*.

CAWR, gigas.

CEFN, dorſum, pars ſuperior, dorſum montis. Superſunt les *Cevennes* apud Gallos: Gebennici montes.

CEI-

CEINACH, lepus. An conſonat *Caningen* Germ. ſeu cuniculus? eſt enim animal cognatum. v. *Cwning*.

CEISIO, quærere, Germ. *kiſen*, *kören* eſt eligere, exquirere.

CELAIN, cadaver, olim Germanis *ſchelm*.

CELI, nomen Dei, credo à Latino cœlo. Sic *Jumala* Deus Finnis; cùm *himmel* ſit cœlum Germanis.

CELTÆ vel *Keltæ*, *Galatæ*, vox eadem. Nam *Ce* veteres ut *ke* pronuntiabant. *Strabo* notavit ſic dictos διὰ τὴν ἐπιφάνειαν, ob dignitatem. Itaque fuerit *Gelt* valor, & notavit *Scriverius* apud *Pontanum Gelte-baars* apud Belgas eſſe piſcem melioris notæ: & *Gilds-os*, bovem præſtantiorem. Eodem modo Slavicæ gentes nomen ſuum derivant à *Slaba* gloria, ego ἐπίχω.

CEN, corium, Saxonibus & Anglis *skin*.

CENA. Olim Cenæ, virgines Veſtales in litore Britannici maris apud *Melam*. An conſentit *queen*, domina, dame, damoiſelle; abſolutè Regina?

CERN, cornu. *Kernunnos* (*Hornung*) Celtis, Deus cornutus, *Bacchus*, v. Carnon. Germanis *Horn*, cornu. Conſentiunt Græca, Latina, Hebræa. Etiam Aremoricis *corn* eſt cornu. Add. *corn*, *corner* eſſe angulum Anglis, Cambris *cornel* add. *Cyrnig*.

CEST, venter, uterus, corbis. Conſentiunt ceſtus (pro cingulo) & ciſta, Germ. *kaſte*, *kiſte*, v. *Ciſt*.

CETRA, vid. Cætra.

CHWA, aura, flatus. Conſentit Germ. *weben* de motu aëris.

CHWANT, deſiderium. Anglis *want* eſt defectus.

CHWEDL, fabula, *quedan* loqui veteribus Germanis, *köddern* Brunſvicenſibus; inde ruſticorum *kören*, confabulari.

CHWEGR, ſocrus *chwegrwn*, ſocer, Germ. *Swäher*. Conſonat Swager Germ. de affine.

CHWIMWTH, velox, geſchwind.

CHWITHIG, ſiniſter, ſcævus. Conſentit *ſchwude*, quod aurigis ſuperioris Saxoniæ eſt ſiniſtrum, ut *Hotte* dextrum.

CHWYS, ſudor, *ſchweis*, *ſueur*.

CHWYTH, halitus.

CIB, Britannis vas quoddam, teſta, κίβος, capſula, Germanis *kipe*.

CIBIN, fructuum tunica, folliculus.

CIGOG, carnoſus: *Cig*, caro. Videtur conſentire Gallicum *gigot*.

CIL, receſſus. Conſentiunt celare, *höble* Germanis antrum, κοῖλος, cavus.

CIMMWCH, aſtacus piſcis, gammarus, Germ. *Hummer*.

CIS, ictu cædere. κὶς, vermis lignum rodens.

CIST, ciſta, κίςη, κιςίς.

CLAI, lutum, cœnum, Germanis Klay, terra argillacea. add. *gro*.

CLAMP, maſſa, Germanis *klump*.

CLAP, ictus; Germanis eſt ſonus ab ictu, *clappen*, *kleppen*, *klatſchen*, κλαπάζω moror. add. *clwppa*.

CLECC, ſtridor. Conſentit *klock* German. *cloche* Gall. Græc. κλάζειν.

CLEDDYF, gladius; an illud ab hoc? an potiùs contra, ut gladius ſit fodiendi inſtrumentum, quia *cladd* foſſa Cimbris, *Claddio* fodere. Nam eodem modo ex *ſpathe*, fodiendi inſtrumento, prodiit ſpada, l'*épée*.

CLOD, laus. Puto à Latino: Inclytus, qui cluit.

CLOVEN, ramus, proprie fiſſum: hoc ſenſu *cloven* uſurpatur Anglis: Etiam Saxonibus *clefen* eſt findere, ſpalten, & klaffen Germanis eſt hiare, veluti quæ habent fiſſuram. *Klau* Germanis & Anglis eſt ungula fiſſa vel ungues animalium fiſſi. Addatur χήλη, chela cancrorum. Add. *Cyfaill.*

CLUGAR, Aremoricè perdix, an à ſubtili auditu?

CLUN, clunis.

CLUPEA, piſcis genus Celtis. Notat *Bochartus* Alauſam Venetis *chiepam* dici.

CLUST, auris. Conſentiunt Germanorum *luyſtern*, *lauſchen*, Græc. κλῦσαι, auſcultare. Reſpondent ſibi proportione *luyſtern* audire, *lügen* videre. Vid. *Llais.*

CLWPPA, clava. Conſentit Germ. kloppe, *klüppel* quaſi clavula. Add. *Clap.*

CNAIF, tonſura, *knif*, culter Anglo-Saxon. *kneipen* noſtris cognata vox, quam difficulter per aliam reddas. add. *gnif.* Eſt & Cambris *Cnap*, fruſtum, quod & gibbus, tuber. *Cnau*, nux. Huic conſentit nodus, *knote* Germ.

CNOI rodere, Germ. *nagen*, add. κνάω rado.

COCH, rubeus. An hinc coccus, coccineus, cochenille? An & coquere (Germ. Kochen) quia cocta rubeſcunt? *Coeth*, Cambris excoctum.

COCHL, palla, tegmen. Conſentit vetus Germanorum *kogel*, tegmen capitis. Imo conſentit & *cochlea*, quæ pene tota domus ſeu tegmen, *coque*.

COES, crus, tibia, coſcia, cuiſſe.

COET, ſylva, lignum; an à cædendo? *cat*, *cut* (ſuprà.)

COFFR, ciſta, arca, Gallis *coffre*. An à *coſle*, quod Cambris onus, quantum brachiorum amplexu ferri poteſt.

COL, aculeus, item ariſta. An hinc culmus, apex? An hinc & collis à ſummo. Etiam *Colyn* Cambris aculeus.

CONGL, angulus, conſentit Germ. winkel. Tum conus, cuneus, coin, γωνία, κῶνος.

COPPA, vertex, apex, criſta. Conſonat caput, haupt, item *cupola.*

COREFAL, corpus, vel truncus, item *corf.*

COS DOG, moloſſus, Engliſche dogge.

COSI, ſcalpere.

COSI, pruritus. Hinc, ut puto, Gallis cuiſant, à cuire, coquere. Unde douleur cuiſante, dolor coquens.

COST, ſumtus, impenſa, Gallis couſt (Germanis *koſt*, es *koſtet*) item, magnum.

COWAIN, hodieque vehere Britannis. Olim currus armatus. Gallis & Britannis *Covini.*

CRAF,

Digitized by Google

CRAF, fibula. Conſentit & Gallicum *crampon*, & *crampe* apud Germanos, quibus etiam *Crempe* in pileo, & de panno humiditato ſe contrahente *es crempet ſich.*

CRAFEL, radula, ſcalprum, Germ. *Griffel*, graphium, add. *Craf*, *Crap*, *Craggen.*

CRAFU, radere, ſcalpere. Sanè *graben* Germ. eſt fodere, ſculpere. γράφειν, Latinum ſcribere. *Craſange* Cambris ungula avis, Gallis *griffe.* Conſentit Græcorum *gryphes*, aves.

CRAIG, rupes, Angl. *Cragge*, Græcis ῥώξ. Etiam in oriente præcipitia *Crag*, alicubi notante *Bocharto*. *Crac*, *craggen* apud Germanos eſt rupturæ ſpontaneæ, diſſiliendique indicium, quod & ſignificat rupes, & ῥὼξ abruptum aliquid, ut in rupibus apparet. כנך Krach Rabinis eſt operire. Add. *Carn*, *Gro.*

CRANGE, cancer, gangræna.

CRAP, raptio, prehenſio. Conſentit Germ. *greiffe*, *griffe*. Sanè & fibula prehendit.

CREFFT, ars mechanica, hodieque Anglis *handycraft*, Germanis *craft* eſt potentia, Cambris & Anglis ars.

CREGEN, vas figulinum, *krug* Germ.

CREIRIO, adjurare; an à credendo?

CREST, furfures. Conſentit *Cruſca* Italorum.

CRI clamor habent veteres, kreiſchen Germanis eſt, quod Gallis *crier*, Italis *gridar*. Add. Cambricum *grym* lingua, *oriau* (Aremoricis *goriau*) clamor. Hebr. קרא Kará, clamare. Add. *Criwr*. κρίζειν ſtridere.

CRIB, pecten, item criſta. *Cribyn*, raſtrum. Conſentit *Krebs*, à multis pedibus multifidus. Etiam *cribrum* multis modis pervium. Criſta Aremoricis *Cribel.*

CRIMP, faſtigium in longum deductum, *grimper* f. croupion, croupe, groppa. Add. Gallicum *grimper.*

CRIWR, præco Aremor. Græcis κήρυξ, *crieur* Gallis, quaſi gridator.

CROESAN, mimus, hiſtrio, obſcœnus. Puto qui Latinis *criſſans*. Sic *Croeſangerdd* Priapeja.

CROON, corona.

CROPPA, ventriculus avium: *Kropp* Germ.

CROPPIAN, ſerpere, repere, *croupir*, Sax. *krupen.*

CRUPL, claudipes, Germ. *krüppel.*

CRWCCA, curvus, *Krükke.*

CRWMM, curvus, *krumm* Germanis.

CRWNN, rotundus, conſentit *granum*, *Korn*, & quod ſequitur.

CRWYDR, vagatio, krabben, krabbeln, varie moveri, *grabbeln*, mit den händen hie und da greiffen.

CRYCH, criſpus, Germ. *kraus.*

CRYF, fortis, *craft* Germ.

Digitized by Google

CRYNDER, rotunditas. Hinc Anglis *grinden*, tornare.

CRYR, *crebir*, Germanis *reiber*, ardea, an à ſono? v. *gryr*.

CUCULLUS, Gallicum tegmen apud *Martialem*. Supereſt in antiquo Germanico *Kogel*, tegmen capitis.

CUDD, occultatio: conſentit Anglicum *bidden*, occultum, tectum, Germanicum *but*, pileus, tegmen.

CUN, dominus, & *cuniad*, nempe potens, *können*, poſſe, *kuniry*, *kan* Scythis Princeps, *könig* Germanis Rex.

CUNNACH, uter, ampulla, nec abludit *cunnus*.

CUS, *cuſan*, oſculum, Germ. *kuſs*.

CWBL, totus ὅλος, heel Sax.

CWCWALLT, corniger. Conſentit Anglicum *cuckold*, Gall. *cocu*.

CWIN, querela, lamentatio; nobis *weinen*, flere. *He quinet* Sax. inferior. valetudinarius eſt.

CWLIS, cataracta. Reſpondet Gallicum *couliſſe*, & ipſum *couler*, & Italicum *colar*.

CWLM vel *Clwm*, *Cwlwm*, vinculum, nodus. Conſentit *glomus*, Saxonibus *glun* de filiis conglomeratis, quod Germanis ſuperioribus eſt *knaul*, zwirns-knaul. Puto Cambricum eſſe à volvendo, quaſi volumen, cui voci varia Germanica conſentiunt, ut welle, walzen.

CWMMWD provincia, propriè cohabitatio. Hinc *cymmydog* proximus, Aremoricis *chom* eſt ſimul morari. Itaque radix erit particula *Cum*; ſanè *particulæ ſolent eſſe veræ radices.* Hinc & *Commodum*, de re cum aliis bene ſtante. קום kûm Hebræis eſt ſtare, ſubſiſtere. Porrò ſi *Cwmmwd*, provincia, regio cohabitatio eſt, credibile eſt, hinc ipſum eſſe nomen Cumrorum. Nam Cambri ſe *Cumros* vocant; & *populi ſolent ſibi nomina ſumere, quæ origine ſua ſignificant terram, regionem, gentem in genere* in ipſorum lingua vel vicina. Sic *Tudde* gens, (*getudde* vulgo Brunſvicenſium eſt plebs) Gothis Ulfilæ *thudinaſſi* eſt regnum, add. *Teutates* & *Tud.* Hinc *Theotiſci*, & Semla Slavis terra, hinc regio *Sambia*, *Zembla*. Sic *Madur*, *Magyar*, *Mogor* eſt homo apud Septentrionales; unde Hungari ſibi *Maggyares*, Tartari (ſaltem qui ſeculo decimo tertio orbem turbavere) ſibi Mogores, vel Mugales dicti.

CWNING, cuniculus, *conin*, Germanis *Caninge* v. *Ceinach*.

CWPPAN, phiala, calix, cupa, ſcyphus.

CWRRWN, curvatura. Conſentit non tantùm curvum Germanis *brum*, ſed & *quern*, *querl*, mola, inſtrumentum agitatorium; nempe euntia in orbem.

CWRW, *Cwrwf*, cereviſia, quibuſdam apud *Plinium* Ceria. *Cereviſiam* à vi Cereris derivare, hominum eſt neſcientium, Latina plurima à Celtico eſſe petenda, & maximè in rebus, quæ erant apud Celtas. Hinc ridiculæ ſunt plurimæ *Varronis*, *Iſidori* & ſimilium etymologiæ. Apparet *Cwrw* dictum de liquore craſſo, ſpiſſo. Conſentit *Gwyor* & *Grau*, Cambris ſan-

guis

guis *cruor*. Add. infra *Gor*, & ſupra *Bir*. Itaque *Pontanus* non ineptè *Ceriam* derivat à *Gären*, ſeu à Fermentando.

CWSG, ſomnus, fortè à ſono, quo nutrices utuntur, ut infantibus ſomnum concilient; ut murmur aquæ lene fluentis facit. *Onomatopoeiæ*, *ubi ſonus rebus manifeſtè conſentit*, *colligi mererentur*. Talia enim vocabula maximè radicalia ſunt. Add. *Cysgu*, dormire.

CWTT, fruſtum, vid. *Cat*.

CYFAILL, ſocius. Conſentit Germanicum *gaffel*, *gabel* de re duplici, bifurcata, fourchette. Conſentit & *gibel*, domûs faſtigium, culmen, *Gipfel*: eſt enim litera *Pythagoræ* inverſa in illa ſumma contignatione. Add. inf. *Gefail* Cambris forceps, & *Gefell*, didymus, gemellus. Add. & *Cloven* ramus.

CYLION, culex.

CYNNIL, peritus, ſciens, Anglis *cunning*, Germ. *Kundig*. Nempe *Kennen* eſt noſcere.

CYNT, olim, priùs, anteriùs, ſuperiùs. Conſentit Germanicum *Zinne*, Gallicum *cime* de ſummitate.

CYRCH, inſultus, impetus; fortaſſe propriè turbo, ut conſentiat *circus*, *circuitus*, nam & Circium vel Cercium ventum Gallis dictum *Gellius* habet.

CYRNIG, cornutus. Add. *cern*. ubi Kernunnos.

CYRTIA, vid. *Cetra*.

CYWYDD, verſus ſeptem ſyllabarum, Germanis *ſibend* eſt ſeptimum.

D.

D. litera Cambris ſæpe initio eſt inutilis & adjectiva, ut *Dwyrain*, oriens, *danadl* (Germ. neſſel) urtica.

DAD, pater, vid. *Tad*.

DADL, quæſtio, controverſia. Germanis *tadelen* eſt litem movere, reprehendere. *Iaith*, lingua, ſermo. Add. *daidigen* Germ. litigare.

DAER, terra. Conſentit *Erd*.

DAFU, ſtilla, *trauffe* Germ.

DAGER, pugio. *Dege*, gladius nobis, Gallis *Dague*.

DAIGR, lacrymæ δάκρυον.

DAN, vallis Britannis; vel inferius, Anglis *down*, notante *Bochario*, Germanis *dael*. vid. *Dol*.

DANADL, urtica, Germanis *nettel* vel *neſſel*, Græcis κνίδη.

DAR, quercus, δρῦς. *Derw* Cambris, *Deru* Aremoricis; unde & Druides dictos conſtat. v. *Derwyddon*. Omnis arbor Anglis *tree*, ſeu ut pronunciant *tri*.

DART, jaculum Aremoricis. *Darder* Gallis, Latinis jacere, Italis *dardo*. Unde fortè Hungari habuere *Dardia*.

DAS,

DAS, congeries, ſtrues. Gallis *un tas*, entaſſer. *τάσσειν* eſt ſtruere.

DEHAU, *deau*, dexter; item auſter. An quod auſter à dextro eſt ſolem reſpicientibus? *Gogledd*, Boreas.

DELF, ruſticus, barbarus. Reſpondet Germ. *tölpel.*

DELLR, aſſerculus, Germanis orbis in menſa, *teller.*

DERA, diræ, furiæ, phreneſis.

DERWYDDON, Druides, ſapientes, vates. vid. *Dar.* Add. *Eddrybedd*, hiſtoria, quam Druides canebant aut Bardi.

DEUBYD, erit, veniet, futurum eſt; credo à debet, ut Belgis: *he ſoll kommen*, pro wird. Debet venire, id eſt, veniet. Ita etiam Galli, *il doit venir*.

DEWIR, eligere. An hinc *deviſe*? ſymbolum quod quis elegit.

DEWYN, ariolus, à divinando.

DHA, bonus; apud *Giraldum* filius *Hoëli Dha*, id eſt, Hoeli boni. *Dercoma* potus vini Gallis apud *Athenæum* ex *Poſidonio*, puto referri ad *drincken*, quod Germanis bibere eſt.

DICCRA, macer. At Germanis *dik* eſt craſſus.

DIDOLL, ſine telonio, quod Germani etiam vocant *toll.*

DIELL, particula, *theil*, Germ.

DIHORT, expers ignominiæ. *hort*, *hurt* eſt ictus. Hinc *heurter*, urtar.

DINAS, civitas, an à *town*, civitas. Hinc & *denizen* Anglis, civitate gaudens, civitatis particeps.

DIU, Deus Celtis. Vid. Ffynnon. Conſentit Græco & Latino.

DOL, locus humilis, nobis *dal.* vid. *Dan.*

DOR, Aremoricis porta, dör, thür. *Drws*, oſtium.

DRAEN, ſpina. *Drain. Draenog*, erinaceus. *Drygio*, lacerare, v. *rhwyg*, ruptura. It. *adran*, *mordrai*, *trai.*

DREM, aſpectus, an conſentit Germ. *traum*, ſomnium, viſio?

DRIF, v. *tref*, habitare.

DRUD, carus, *traut* Germanis. Idem etiam, quod *dewr*, fortis, ſtrenuus.

DRUIDES vid. *Derwyddon.*

DRUNGUS, globus militum, declinante Romanorum imperio, videtur eſſe Celtica vox. Sanè *Drängen* Germanis eſt comprimere, *Gedränge*, turba conferta, Gallis *preſſe.*

DRWG, malus. Germanis *trug*, fraus. *Dry* Anglofax. malus, incantator.

DRYL, fruſtum, Germanis *drum*, trümmer. Zu trümmern gehen.

DU, niger. Hoc miror!

DUN, collis, veteribus Gallis. Hodie *dünen*, colles arenarum in Batavis. Germanis *dunen* ſunt plumæ elaſticæ, quæ ſe elevant depreſſæ. Conſentit Anglorum *Town*, Civitas, nempe plerumque oppida in loco minus depreſſo collocantur, ne aquis ſint obnoxia. Etiam Græcis θῖνες ſunt cumuli arenarum.

DURYN, roſtrum, vid. *trwyn.*

DWL,

DWL, hebes, Angl. *Dull.* Germanis *toll* eſt inſanus.

DYDD, dies. Conſentit *tit*, *Zeit*, tempus. vid. *Adeg.*

DYN, homo, ὁ θνητός.

E.

EANG, amplus. *Ing*, anguſtus, Germanis *eng.*

EBACH, ſinus. Germ. *wic*, ſinus. Itaque e. eſt ſuperfluum. *wic*, nobis à receſſu, *weichen.*

EBOLL, pullus equinus, *fohlen* Germanis. Ita e. rurſus ſuperfluit.

ECHUR, morbus, ἴχωρ. *ach* und *weh.*

EDAU, filum, faden.

EDDYL, gens, cognatio. Itaque hinc Germanis *Edel* eſt gentilis, Geſchechter, ut Polonis *ſchlachtiz.* Ita tandem videmur nacti derivationem vocis diu quæſitam. Add. *Ach* ſupra.

EDN, avis. vid. *Adder*, *adar.*

EDRYBEDD, v. *Derwyddon.*

EICH, veſter. Conſentit Germanicum *euch*, vobis.

EILUN, imago. Add. *Ailun. Ehna* Lettis umbra, Germanis *ähnlich*, quod ſimilitudinem habet. Add. *ellyl.*

EINGL, pro exteris, peregrinis, inimicis.

EIRIF, numerus, ab ἀριθμὸς, θ in f. mutando.

EIRY, nix. Germ. *Eis*, glacies.

EISOR, ſimilis, par, ab ἴσος.

EITHR, ſed, Gr. ἀτὰρ, Germ. oder, aber.

ELIN, cubitus. Sic Aremorici; Græcis ὠλένη, Germanis *Elle. Penelin* idem Cambris.

ELLMYN, Alemanni, & pro peregrino quovis.

ELLYL, ſpectrum. Videtur potiùs eſſe ab εἴδωλον Græco, quàm conſentire cum *Eilun.*

ELYDR, æs, electrum. Conſentiunt *lead* Angl. pro plumbo, (unde *lot* genus ponderis Germanis) & *loton* pro orichalco.

ENW, nomen. Conſentit ὄνομα, quod notavit jam *Giraldus.*

EOG, ſalmo. Conſentit *Eſox.*

EPPA, ſimia. Vid. *Ab.*

ERYR, aquila. Germ. *Aar.* v. *Adar.*

ESILL, *Hil. Sil.* ſoboles. Conſentit Germanicum *Zielen*, erzielen, generare.

ESSEDA, Gallis olim plauſtra apud *Servium.*

ETHRYB, cauſa, occaſio; Germanis *trieb.*

EU, ſemper. Colligo ex verſu antiquo, quem refert *Boxhorn.* orig. Gall. p. 82. Conſentit *Eu* antiquum Germ. id eſt, ævum.

Digitized by Google

F.

FALL, malum. Add. fehl, felon. *Ffael*, error.

FAM, mater. Conſentit *fœminæ*. Hinc *Ilys fam*, noverca, ubi vide.

FARCH, an porcus. vid. *morfarch*.

FFAB, vid. *Mab*.

FFAGOD, faſciculus. Idem hodie Belgis & Gallis.

FFAIG, vice, Saxonibus *faken*, id eſt, vicibus, ſæpe.

FFERM, prædium. An conſentit Gallicum *ferme*? Semilatinis *Firma*.

PEN-FFESTIN, galea, capitis munimentum. *Feſt* Germ. firmum.

FFENTUR, ſtannum. Conſentit *Spiauter* apud Belgas, Germanis *zink*, vicinum ſtanno, quod Germanis *Zinn*.

FLACCD, lagena, *flaſche* Germ.

FFLADR, loquax, ſtultus, plauderer. *Flattern* Saxonibus eſt unnützer Weiſe reden; plappern. Add. Cambr. *aflafar* mutus.

FFOL, ſtultus, antiquum Celticum, quod manſit in Gallico & Italico.

FFORD, via, iter. Germanis *Furt* eſt vadum.

FFOREST, ſaltus, Germ. *forſt*.

FFORFFED, pœna. Gallis *forfait* eſt crimen.

FFRAETH, eloquens. Conſentit φράζειν, loqui.

FFRAW, pulcher. Conſentit Batavorum *Fray*, de homine grato, jucundo. *Frau*, Germanis, mulier, uxor, à pulchritudine.

FFUGL, ventus. Conſentit *fogel*, avis, apud Germanos. Utrique conſentit volans, volucris.

FFYNNON, fons, antiquis Gallis *vona* olim. Hinc *Auſonius*:

Divona Celtarum lingua fons addite Divis.

Add. *Diu*. Porrò *won* & *wan* Danis eſſe aquam notavit *Pontanus*.

G.

GAD, Aremoricis lepus. Vicinum eſt Germanicum *Haſe*.

GÆSUM, haſtile Gallicum apud antiquos. Hinc quidam derivant Gæſatos. Hodie *Gaſlach* Cambris jaculum. Add. *Gwâs*.

GAIR, verbum. Add. *Jaith* Dialectus.

GALBA, olim Gallis pinguis apud *Sueton*. Supereſt apud Germanos *gail*, pinguis; *gaile Erde*, terra pinguis.

GALLU, *poteſtas*, Germ. *Gewalt*, *walten*. add. valor.

GALLWYN, congius. Hodie *Gallon* Anglis, menſura quædam liquidorum.

GAN, apud Germ. *an*.

GAR, poples. Hinc Gallis hodiernis *jarret*.

GARAN, grus, geranium, Germ. *Kranich*.

GARDD, hortus, Germ. *garte*.

GARM, clamor, vid. *Yſgarm*. *Karmen* Belgis eſt vociferari.

GARM-

Digitized by Google

GARMWYN, milites, equites, credo à cingulo. Nam *amgarn* Cambris eſt annulus, cingulum. *Garm* à gyro.

GARTH, promontorium, mons, Germanis *warthe*. Sic & *Gwarthaf*, vertex Cambris.

GARW, *agarw*, aſper, rapidus. Hinc puto eſſe Germanicum *Wär-Wolf*, & Gallicum *loup garou*. A rapiditate putat *Camdenus* dictam *Garumnam*.

GAUNACUM, Gallica veſtis, villoſa *Varroni*. Eandem vocem *Bochartus* apud Orientales invenit. Addatur Italorum *gonna*, & Latinorum *C..nnus*. Vid. *Gwn*.

GEFAIL, forceps. *Gefell*, gemellus. Vid. ſup. *Cyfail*, ſocius. add. *Gwellaif*, forceps. *ysgewyll*, ramus.

GEIFR, caper. Nam *Eulon geifr* eſt ſtercus caprinum.

GEOL, ergaſtulum. Hinc Gallis puto *Geolier*.

GILDIO, compotationum expenſas ſolvo. *Gildæ* Germanis ſocietates, confraternitates; olim credo compotationes, ut nunc ſæpe. Origo à *gild*, *geld*, pecunia.

GITTEN, hœdus.

GLAIF, falx. Hinc Anglis *gleave*, & Gallis *Glaive*; & fortè ipſe *gladius* ab hoc Celtico.

GLAN, nitidus, Germanis *glat* hoc ſenſu apud Saxones. Hinc credo *glaner* Gallis reſiduas ſpicas colligere, quaſi *nettoyer*, reine arbeit machen.

GLAS, glaucus. vid. *Ballaſarn*.

GLEW, fortis. Etiam Saxonibus *gluw*, candens, calidus, animoſus. *glüen*, candeſcere. *Glo*, etiam Cambris carbo, pruna.

GLWTH, guloſus, edax. Conſentit Gallicum *glouton*, Latin. *glutire*, German. *ſchlucken*.

GNABAT, natus, lingua Gallica, in Gloſſis *Iſidori*. Conſentit noſtrum *Knabe* puer.

GNIF, dolor; *Kneipen* Germanis eſt cute apprehenſa & attracta, dolore afficere. vid. *Cnaif*.

GOGAN, vituperium. *Gogan-gerdd*, verbum Satyricum. Hinc *Goguenard* Gallis eſt irriſor, quam vocem *Menagio* & *Caſanovæ* omiſſam miror. Fortè origo à joco, ut Germanis *gaucler*, quaſi joculator. Reſpondet Gallicum antiquatum *Goguelou*, & *Goguette*, *gogue*, ſarce, joci.

GOLUD, divitiæ, opes. Conſonat *geld*, pecunia.

GOR, pus, ſanies. Fortè conſonat *gur*, fluens maſſa metallariis Germanis, inprimis Matheſio, ubi quidam myſteria quærunt. Add. *Gwer* adeps, *Gwyar*, ſanguis, *gwirod*, potus Cambr. Add. *jas*. Add. *Cwrw*.

GORDD, malleus. *Gorddwy*, oppreſſio. Conſentit *gurdus*, *engourdi*, parum expeditus. Sed & add. *Gortho*, tectum. *Gor*, ſuperius, *Goror*, ora ſuperior. Gorddwr, aqua ſuperior. Convenit ὄρος, mons, *gora* Slavis.

GOT, *Goth*, *Gott*, ſuperbia, adulter, fornicator. Nihil ſimile invenio in hodierno Teutoniſmo, huic vocabulo conſonans.

GRO, ſaburra, glarea, ſabulum. An hinc *Craux* en Languedoc, id eſt, campus ſaxis plenus. Adde *Carn* ſuprà. Etiam Cambris *Grut*, lapis arenoſus, & *Graian*, ſabulum. Add. Latin. Granum, Germ. *Grant*, & Korn. add. Clai, κάχληκες *Heſychio* minuti lapides.

GRYCH, criſpus, *Kraus* (in *pengrych*) *Grim*, vigor, Germanis ira.

GRYR, ardea, *gryw* lingua, vid. *Cri.*

GVARANT, aſſertor, vindex. Anglis *warrant*, Germanis *waren* eſt garder.

GWADN, ſolea, planta pedis. vid. *Baid*, vadum. *Gwadd*, talpa.

GWAETH, pejor, deterior, Saxon. *quat*, malus.

GWAIN, vagina, *guaine*, *déguainer* Gallis. An conſentit *gand*, *guanto*, händſchen Germ. ſi non placet handſchu.

GWALL, murus, wall Germ.

GWARTHAT, vertex, warthe, hohe warthe. vid. *Garth.*

GWÂS, ſervus. *Gweſyn* ſervulus. Conſentiunt Vaſſus, vaſallus, geſell, geſind. Gæſatus, (add. *Gæſum*) an potiùs *Geſſatæ* mercenarii ſecundùm *Polybium*. Eodem modo Barones & mercenarios, & vaſallos, & ſervos, & homines ſignificarunt. v. *Baro.*

GWE, tela, *gewebe.*

GWEDDW, viduus, *witwer.*

GWEFL, labium, Germ. *waffe.* Add. *Gwp*, roſtrum, *Gwep*, vultus.

GWEL-WELL, melior meliorque. *Gwell-well hyd ſarf*, *gwaeth-waeth hyd farw*, melior meliorque uſque ad barbam, pejor pejorque uſque ad mortem. Conſentit *wel*, *wohl*, bonum, & Græcum καλλίων.

GWEN, riſus, *Gwener*, Venus. *Seren Wener*, ſtella Veneris.

GWENYG, *Gwaneg*, fluctus, à motu. Conſentiunt wogen, Waſſerwogen. vannus, wanne, ſchwinge.

GWERTH, pretium, valor, *werth.*

GWESTAI, hoſpes, conviva, *Gaſt* Germ.

GWIDDON, malefica, Anglis *wich.*

GWILL, erro, wallen, *gwillmer*, pirata.

GWLÂD, regio, Germ. *Land*, ut Gwlân, lana.

GWLYB, humidus. An hinc *julep?*

GWN, toga. An hinc *gonna*, de veſtimento villoſo. add. *Gaunacum.*

GWR, vir. *Gwraig*, mulier, fœmina, quaſi virago. Conſentit *Herlot* Cambris puer. *Harlot*, Anglis puella, garce.

GWYDD, ferus, ſylveſter, *wüten* eſt ferocire. add. mox *gwyth* vid *gwylt.*

GWYDD, anſer, ganſs, Armor. *gars* & *goaz*, Sax. Goes, gauss. *Plinius* jam notavit Germanis anſeres dictos *Ganzas*. Anſer etiam Græcis χὴν.

GWYDDEL, Hibernicus. An quia hos pro ferocibus habent Britanni.

GWYL, feſtum. *Guil* & Saxonibus veteribus & ſeptentrionalibus feſtum, a rota (wheel) dictum, ſeu à converſione ſolis, poſt ſolſtitium hybernum redeuntis. Hodie feſtum Nativitatis Domini.

GWY-

GWYLSTL, obſes, pignus, geiſſel.

GWYNT, ventus, *wind* Germ.

GWYR, recurvus. Conſentit gyrus, Germ. wirren, verwirren.

GWYRDD, viridis. *Ir*, idem.

GWYTH, ira, Germ. wuth. v. *Gwydd*.

GYLF, roſtrum, propriè procurrens. Hinc *golfo*, κόλπος, ſinus. *Gylfant*, Cambr. roſtrum. Conſentit *Elephas*.

GYSP, phreneſis. Conſentit *veſpa*, ob ſonum, motum.

H.

HACNAI, equus gradarius, Gallis *Haquenée*.

HAEARN, *haiarn*, ferrum, *iron* Angl. *eiren* Sax. Germanis ſuperioribus *eiſen*.

HAF, æſtas. Conſentit *Haſt* Belgis, inſectum ephemerum æſtivum.

HAFN, portus. vid. *Aber*.

HAGR, deformis, turpis; Gallis *hagard*, cujus aſpectus ferox. Germanis *Hager* eſt macilentus.

HAID, hordeum, Germanis, *haide-Korn*, etſi diverſum.

HAIL, miniſterium menſæ, ab *Hail* ſalute, Germanorum voce & uſu. Hac voce uſa filia *Hengiſti*, Regem Britannorum poculo ſumto ſalutans. Hinc *Heilyn* eſt Cambris pocillator.

HALEN, ſal. Græc. ἅλς, Germanis *Hall*, ſalinæ.

HAMDDEN, pauſa, otium. Conſentit *Hamſter*, Germ. animal dormiens.

HANNER, dimidium. Conſpirat Græcum ἡμι & Latinum *ſemi*. Germanicum *halb*, nonnihil recedit.

HAPPUS, felix, *happy* Anglis.

HAUL, ſol, ἥλιος. Etiam *Huan* ſol.

HEDDYDD, alauda, ut *huddygl*, fuligo. Add. *alauda*.

HELM, galea; ita & Germanis, Gallis *heaume*.

HELP, auxilium, etiam Germanis *Help*, *Hülpe*, *hülff*.

HELYG, ſalix, ſiler, ilex.

HEN, vetus; *hyn*, ſenior.

HERLOD, puer. vid. *Gwyr*.

HEROD, nuntius, Germanis *Herold* eſt, qui Gallis *heraut* fecialis. Itaque non eſt, cur Heraldi etymon amplius quæramus. vid. *Arwydd*.

HESP, infœcunde, id eſt, clauſa. *Hyſp*, ſterilis: conſentit quod ſequitur.

HESPEN, fibula, etiam Germanis.

HESUS, vel *Eſus*, (*Lactantio* Heus) Mars. Germanis Erich. *Erichdag*, dies Martis.

HIDL, collis, *Hill* Anglis, Germanis *Hügel*.

HIL, ſoboles, *ſil*. vid. *Eſill*.

HIN, tempeſtas.

Digitized by Google

HINT, iter. Idem Anglis eſt, quod Germanis *ſpuhr*, Gall. *trace*. Conſentit *Hunting*, Anglis venatio.

HONNI, publicare. An hinc *honor*, *honte*, Germ. *hohn*. Hony ſoit.

HORT, improperium. Gallis *heurter*, offendere, *urtar* Ital.

HOTT, capitium, conſentit quod ſequitur:

HU, pileus (Germ. *Huht.*)

HUD, præſtigiæ, quod eſt tectum. Supra *anhuddo*. Anglis *Hidden*, tectus. *Hudel*, præſtigiator. An hinc Germanis *Hudler* nugator? adde *cudd* ſuprà.

HUFEN, ſchiſtum, cremor lactis; quod ſeparabile, ut *ſchiefer* Germanis, lapis fiſſilis.

HUR, merces, eſt vox antiqua. *Heuren* Germanis mercede conducere.

HWCH, ſus, ὗς. *Hogge* puto Anglis.

HWF, cucullus. Conſentit puto Germanicum *haube*, capitis tegmen.

HWRDD, *Hyrdd*, aries, German. *Wieder*.

HWSMON, agricola, Germ. Hausman. *Hwswi*, mater familias.

HWSTR, auſterus.

HWYAD, anas, ὐάς. v. Adjad.

HWYLUS, proſper, v. *Gwell*, valens.

HY, audax. Hydr, idem.

HYDD, cervus, dama. Conſentit *Hind* Germ. omiſſo n; ut in *adiad* pro anas, ante.

I.

IA, glacies, ἶς, *eis*, Germ.

IAITH, lingua v. *Gair* verbum, *wort* German.

IARL, Comes, *Earl* Anglis. *Iarl* ſeptentrionalibus Germanis, id eſt, ſenior, Alderman. Hi enim olim Comitivam, id eſt, magiſtratum gerebant. Hinc & Semi-Latinis *Senior* pro Domino.

JAS, fervor, ebullitio. Convenit German. *Geſcht*, *Geſt*, *Gare*, nam *gären* eſt fermenteſcere. Add. *Gor.* add. *Cwrw*.

IMP, ſurculus. *Impffen*, Germanis inſerere, à Græco ἐμφυτεύειν.

ING, anguſtus, *enge*.

JOR, Dominus, *Herr*.

IB, viridis. vid. *Gwyrdd*.

L.

LLA, *Llaw*, manus. *llabir*, enſis, qui manu capitur. *lab*, ictus. An conſentit λαβεῖν.

LLAC, luxus, *slacke* Anglis remiſſus, *lache* Gallis. Fortè conſentit *lecher*, *lecken*, *Leckerbiſſen*.

LLAD, menſura, *Anllad*, laſcivus, irregularis. *Llath*, pertica.

LLADD, interficere. *lleas*, cædes. *Llaith*, lethum. *ymllad*, pugnare. Add. *lleidr*, latro.

LÆNA,

LÆNA, veſtis Gallica apud *Strabonem*. *Linna* Gallis ſaga mollia *Iſidoro*. *llen*, linteamen. Sanè *Lin* & *Lein* Germanis & Gallis eſt quod Latinis linum.

LAIS, vox, ſonus; *laut* Germanis, quibus & *lauſchen* eſt auſcultare ex occulto. *Luyſtern* Belgis auſcultare in genere, etiam attendere, appetere. Tunc enim aures erigunt homines. Vid. *Cluſt* auris. Add. *Llef*, vox. *Claffen* Germanis, ſonus moleſtus. *Alauda*, *leurike* Belgis apud *Pontanum*, noſtris *Lerche*, avis cantatrix.

LANCE. Gallicum hodiernum *lancer*, jácere, puto eſſe ab antiquo Celtico ejuſdem ſenſus. Nam lancea jaciebatur apud *Diodorum*. *Varro* Hiſpanis tribuit, *Nonius* Suevis. Conſonat λόγχη.

LATTWN, orichalcum, laiton. *Lead*, plumbum. *Löten* eſt ſouder, ſolidare.

LEFAIN, fermentum, à levando. *Levain* Gall.

LEUCA, *Heſychio* menſura Gallica. Hodie Gallis *lieue*.

LLAFURWR, agricola, laboureur, laborator. Manifeſtè ex Latino ſumtum: talia multa ſunt in Cambrico profecta à Romanis Britanniæ dominantibus, ſed quæ plerumque annotare ſuperſedimus.

LLAI, minor; *Klein* Germanis eſt parvus. *Law*, Anglis humilis. *Litle* parvus, etiam Germanis.

LLAIB, linctus, Bohemis panis. An caſu conſonant?

LLAM, ſaltus. *Llamſa*, ſcala. Conſentit Germ. *Klimmeren*, klempern Sax. infer. aſſurgere per iter difficile.

LLAN, area, templum. *Sempolay*, area templi, cœmeterium. Conſonat Germanicum *Land*, regio, planities.

LLASAR, vid. *Glas*.

LLATHR, politus, Germ. *glat*.

LLE, locus; *llech*, latebra; *llehau*, locare, legen. Germanis *Loch* eſt antrum, *lücke*, foramen.

LLEDR, corium, etiam Germanis *Leder*, eodem ſenſu.

LLETHR, clivus, locus acclivus; Germanis *Leiter* eſt ſcala.

LLIW, color, à luce. *Lugen*, videre, ſupra. vid. *Amlwg*. *llever*, lux, vid. *Llug*.

LLUG, lux, it. *llever*. *Lleuad*, luna, *Lloar*, luna. *Llucbed*, fulgur. *Llun*, effigies, ſed fortè ab *Eilun*. *Llugad* oculus.

LLWY, cochlear, Germanis *Löffel*.

LLWYD, color canitiei, Germ. *wit*, *weis*, album.

LLYCHLYN, Norwegia. Unde? inquirendum.

LLYDAW, Aremorica, hoc eſt, litoralis regio.

LLYS, aula. Hinc *Llysdat*, pater civilis; *Llysfam*, mater civilis, hoc eſt, vitricus, noverca.

LUG, corvus veteribus Gallis apud *Plutarchum* lib. de fluviis. An à viſûs præſtantiâ.

M.

M.

MAER, Præpoſitus, villicus, *Mayer* Germanis, id eſt, major. *Mawr*, magnus Cambris.

MAGL, maille, laqueus, nexus, ut: cotte de maille, *panzer*.

MAGUS, Celtis habitatio, multarum olim urbium terminatio. An conſpirant, manſio, maiſon? Conſentit & hodiernorum Gallorum *magaſin*.

MAL, moneta. Hinc Gallis la *maille* moneta parva.

MALL, ſtolidus. Idem Belgis.

MALUR, terra per talpam ejecta. *Molle*, *molmuys* eſt Belgis talpa, an quòd terram molit ejecitque? *Molm* Saxon. infer. eſt Staub, pulvis.

MAN, tenuis. Reſpondet Gallicum *mince*. Saxon. infer. *man* eſt nur, modò, vulgo apud ſuperiores Saxones *mand*.

MARCH, equus Aremoricis; olim jam Gallis apud *Pauſaniam* & alios. *Märe* Germ. Hinc mareſchalcus.

MARIAN, ſabulum. Cognatum *marl*, marga. *Mer*, medulla, Germ. mark, mergel *Marya Plinio* terra adeps, hoc eſt medulla.

MATARIS, tellum Gallicum. An reſpondet hodie *matar*, occidere, Italicum.

MEDD, Hydromeli, μέθυ vinum, temetum.

MEDDW, ebrius, temulentus, Græcis μεθυσος. Conſentit *medo*, *meth*, qui pro vino ſeptentrionalibus.

MOCCIO, illudere. Hinc Gallis *moquer*. Solent & noſtri irridentes caprarum ſonum imitari, quem vox earum (mekkern) refert.

MOR, mare. *Morfa*, palus, *merydd*, humidum. Conſentiunt Germanic. *Mor*, *moraſt*, & Latin. *mare*, & Slavon. *more*, veteresque *Mórini* & *Aremorici* ſeu maritimi.

MORHWCH, Delphin, German. Meer-Schwein.

MORTAISE (ſupereſt Gallis) gumphus, cavum.

MWG, fumus, Angl. ſmoake, German. ſmauch. Nec abludit Græcum σμύχειν, exurere. *Migla* Lettis nebula.

MWS, putidus, vapidus, mucus; *Miſty* Anglis, & Saxon. infer. eſt nebuloſus. *Miſt*, nebula, & *miſtet*, nebula eſt.

MWYD, humectatio. *Muddy*, Anglis, *mudde* Sax. infer. lutum humidum in via Gallis *moite*. *Muten* Sax. infer. eſt linteo madefacto ex facie infantum ſordes detergere.

MWYTH, mollis, *ſmooth* Anglis. V. *esmwyth*, mollis.

MYG, honoratus. Conſentit Germ. *macht*, μέγα.

MYNNU, velle, *meinen*, belieben. *Minne* Germanis olim, hodie Belgis amor, liebe. Hinc *Mignon*.

MYR, formica, etiam Saxon. *mieren*, vel myäntjen. Adde Myrmidones, μύρμηξ Græc. formica.

N.

N.

NAG, negatio. *Nam* exceptio (*Ausnahm* Germ.)

NAID, refugium. An in neceſſitate, quæ Germanis *noht.*

NAIN, avia, an ut *Nonna* Italis? Itaque non eſt cur Nonna, Nonnus ex Ægyptiaco acceſſantur, cùm Celtica origo adſit.

NANT, vallis, apud Cambdenum ſæpe. *Nantuates*, pays de Vaux. *Giraldo* in itinerario *Nant* eſt rivus aquæ decurrentis, hi autem in vallibus fluunt.

NAR, nanus. נער Hebr. puer. *Narr.* Germ. ſtultus.

NAWN, veſper Anglis. Conſonat *None*, meridies, ab hora nona. An *Nawn*, & nunc, *nun*, conſentiunt?

NEDD, lens, lendis. Saxon. infer. nette, nête, niſſe.

NEF, cœlum, *Heaven*, *Heſe* Anglis & Sax. Add. nebula, νεφέλη, Finnorum *Taiwan.*

NEIDR, anguis. Conſentit natrix, *natter.* add. hydra.

NES, propior, nägſt, Germanis *nahe*, *nähe* eſt prope.

NODD, ſuccus herbarum. *Nat*, Germ. humor. νοτίς.

NODDWYDD, acus. vid. *Danadl. Nyddu*, nere.

O.

OCER, uſura. Ooken, auken, *wuchern*, Germanis, augmentum; uſura.

OCHR, margo, ora, ἄκρον.

OD, excellens. *Odde* eſt Anglis extraordinarium, *ut-nemend. Udd* Cambris Dominus. Fortè inde nomen virile: *Otto*; nam & *Oddonem* ſcribit *Roſwitha*, cum aliis nonnullis veteribus.

OFN, metus. Sed Germanis *hoffen*, ſpes. Etiam apud Latinos aliquando unum pro alio ſumitur: Aremoricus piratam Saxona tractus *ſperabat.*

OLL, omnis, Germ. *all*, Græc. ὅλος. Nam omnis & totus ſæpe confunduntur, ut fit in linguis omnibus ſemi-Latinis; & fortè jam olim à plebe Latina, ut in verſu:

Non bene pro toto libertas venditur auro:

id eſt, pro cuncto.

P.

PALFFRAY, paraſredus, equus.

PAR, haſta, Germ. *barde.* An conſentit *ſpār*?

PASTWN, fuſtis, baſton Gall. an inſtrumentum *battuendi*?

PAWEN, ungula, Germ. *Klauen.*

PEGÛN, axis, an à biegen Germ.

Digitized by Google

PEIDIO, ceſſare; *beiten*, manere, Germanis.

PEN, caput. Hinc Alpes Penninæ, Jupiter Penninus. Ipſe *Jupiter* caput Deorum dictus Deus Penninus. Unde ſuperioribus Germanis *Pfingſt-dag*, dies Jovis. Add. Pinna, βῦνος, vid. *Bann*.

PENNÛN, vexillum, Germ. *panier*, *bandiera* Ital.

PID, fiſtula, canalis. *Pipe*, pfeiffe, Germanis.

PIG, roſtrum, ſtimulus, *bec*; picken eſt roſtro ferire.

PISO, mingere. *Pidyn*, mentula. Conſentit piſſen, piſſer.

PITH, Anglis picea arbor, *Pad* olim Gallis, ut *Plinius* habet ex Metrodoro, hinc Padi nomen derivante. Ipſa vox picis (Germ. *pech*) aſſonat.

PLANGE, aſſer, planca, πλάξ.

PLASTR, Gallis *plâtre*, gypſum. Pflaſter Germ. pavimentum.

PONAR, faba, Germ. *bohne*.

POTTEN, venter. add. Italicum mox.

PRÊS, æs, Anglis *braſs*.

PRÊS, acceleratio, feſtinatio, credo à præſto.

PRIOD, conjux. *braut* Germanis eſt ſponſa vel conjux nova.

PUNGIA, notanda *Pontano* apud *Mauritium* in Tacticis, thecæ ubi ſagittæ conduntur. Gloſſis crumena. Hodie Danis notante eodem *pung* idem quod bulga. Add. *Bul.*

PUTTANI, meretrix, pudendum muliebre, Græcis βυτὸς. Ita *Boxhorn.* Add. *potta* Ital.

PWL, obtuſus φαυλός.

PWLL, foſſa, Belgis *Polder*.

PWRS, crumena, βύρσα, Gallis bourſe, Belgis börſe.

R.

RHAFF, funis, an quo trahimus, rapimus, ita conſentiret *raffen* Germ. v. *Rhaib*, ſed fortè rectiùs à ῥαβδὸς, virga, ῥὼψ virgultum, inde enim funes olim; & *rope* Anglis funis.

RHAGDDANT, dens anterior. Germanis *ragen*, herfür ragen, eſt prominere.

RHAIB, rapacitas, rapere, Germ. raffen. v. *Rhaff.*

RHAPH, Gallis lynx apud *Plinium*, credo à rapacitate.

RHATI, mus major *Giraldo*, German. *Ratte.*

RHAWD, caterva. Convenit cum Germanico *Rotte.*

RHAWN, ſetæ. Germanis *rauh* eſt aſper, ſetoſus.

RHEDEG, fluere, currere, ῥέω Hinc *rheda*, rota, Germ. *reiten*, quod Belgis & aliis quibuſdam non tantùm eſt equitare, ſed etiam vehi. v. *Rhyd.*

RHES, ſeries, Germ. *reihe.*

RHEW, gelu, pruina; etiam Saxones *Rowryf.* *Rau* Germanis eſt rude, item villoſum.

Digitized by Google

RHI, *Rhen*, Dominus, regens. Germanis *rich* fortis, dives. *Rhyn*, excelſum, mons; *Rhwy*, Rex.

RHIN, arcanum. Conſentit Germ. *Rhaunen*, Runæ.

RHINC, coturnix. Habemus columbas, quas vocamus *Ringel-tauben*.

RHODL, remus, Germ. *Ruder*.

RHOST, aſſum, Gallis rôti, Germ. *röſten*. Hinc *Roſte* Sax. inſtrumentum ferreum, rebus torrendis inſerviens. Fuit nomen antiqui Regis Armoricani, *Daniel Dremroſt*, ab uſtis oculis ſeu uſto vultu.

RHUCHEN, tunica, Germ. *Rock*. Italis *roccetto*.

RHUDD, rubrum, Germ. *roth*. ἐρυθρός.

RHULL, promtus, *Rhuthr*, impetus. Conſentit Gall. *rouler*, *rüer*, *rut*.

RHWD, rubigo, ferrugo, ſitus, German. Roſt.

RHWYG, ruptura, German. *Riſs*, ῥαγμός. v. *Dragio*.

RHY, nimis. An ut ῥὰ, valde, Græcis.

RHYCH, ſulcus, foſſatum. Puto, ut *reibe*, *riga*, Saxonibus *rige*. *Rhigol* Cambris foſſula. Gallis ſupereſt *rigole*.

RHYD, vadum, apud *Giraldum*, id eſt, via, v. *Rhedeg*.

RHYN, mons promotorum. ῥίον, quaſi ῥὶν, naſus ſeu procurrens.

RHYSWR, Heros, pugil; an, qui Germanis *Riſe*.

S.

SAIM, adeps, ſevum. Germanis *honigſaym* de melle. Itaque eſt humor craſſus.

SAIS, Saxo, *Bro-ſais*, Anglia ſeu Saxonum regio.

SALW, vilis, Gallis *ſale*, quod non eſt nitidum vel purgatum.

SAPO, Gallica vox Medicis veteribus. *Plinius* Gallorum inventum facit. Sed *Martialis* Teutonicis populis rem tribuit, & *pilas Mattiacas* vocat. Nempe ſæpe ſub Gallorum appellatione Germani comprehendebantur. Add. *Soppen*.

SELU, ſpeculari, Germ. *Zielen*.

SEREN, Armor. *ſteren*, aſtrum. German. *ſtern*. Græc. ἀςὴρ, Lat. ſtella.

SICER, certus, Germanis *Sicher*. Conſonat ſecurus.

SOEGEN, madidus. Germ. *Seugen* eſt ſugere.

SOPPEN, bolus, offa. Conſentit *ſouppe* & *ſuppe*. Add. *Sapo*, qui Gallis hodie *ſavon*, Germanis *ſeiffe*, Anglis *ſope*.

SORB, ſiccitas. An conſonat ſorbere, quod ſiccorum eſt humida abſorbentium?

SORR, indignatio; *ſorry* Anglis, German. *Sorge*, cura; *zorn* ira.

SPARUM, telum Gallicum, hodie Cambris *yſper*, haſta, Germ. ſpär.

SQUEUT, Aremoricum, *Yſgod* Cambricum, larva, terriculamentum. *Yſgodogaw*, conſternari, de equis perterritis. Reſpondet Germanicum *ſcheu*, quod etiam uſurpatur de equis; *ſchauder*, frigus, præſertim ex timore.

Q 2 STA-

Digitized by Google

STAFFWY, haſta. Conſentit Germ. *Stab.*

SWYF, ſpuma. Germanis *ſweiſ* eſt extremum.

T.

TABAR, tunica longa. Saxon. inf. dicunt *ein groot Dabbert.*

TABWRDD, tympanum, eſt quaſi *Klangbret. Bord* enim eſt aſſer, & *taf*, *tafod*, ſonus, lingua. A *Tabwrdd* oritur *Tabouret*, parvum ſedile, cui velut tympano inſidetur. Sic *Tawlbwrdd* eſt abacus, quaſi *tal-bred.*

TACCL, ſagitta. *Taflu*, jacio.

TACELAU, ornamenta. Huc *tegan*, monile, jocale. Hinc credo, cùm navis exarmatur, dicitur *af-takeln*: nam armamenta detrahuntur.

TAD, pater. Hoc non tam Germanicum, quàm Scythicum. Habent tamen Friſones *Aita*, & vulgo Brunſvicenſes dicunt *Taite.* Varii populi habent *Atta* vel ſimile.

TAID, avus, *Tötgen*, Germanis ſuperioribus eſt ſuſceptor ex baptiſmo, quaſi paterculus, avulus.

TAL, altus, Sax. longus.

TAL, ſolutio; Germ. habent reſpondens *Talen*, *Zahlen*, ſolvere.

TARAN, tonitru. Hinc *Taramis*, Deus Gallorum, idem, qui *Thor* Germanorum, nempe *Jupiter.* Hinc *Thorsday*, dies *Jovis* apud Anglos alioſque Germanicæ originis populos.

TARIAN, clypeus. Puto hinc targue. Θυρεὺς dictos veterum Gallorum clypeos, à Græcis notatum eſt, fortè à ſimilitudine portæ, quæ Græcis & Germanis θύρα, *thür.*

TARW, taurus, Germ. Stier. Taurus trigaranus in monumento Pariſino.

TAW, tacere, ſilentium.

TAWDD, liqueſactio, liquamen. *Thauen* Germani dicunt *es tauet*, id eſt, nix & glacies funditur.

TAXEA, veteribus Gallis pro larido apud *Iſidorum.* An ergo *taxus*, *dachs*, animal pingue hinc nomen habet.

TELYN, lyra, cithara. Hinc *Camdenus* derivabat nomen urbis *Toulon*, ut eſt apud *Gaſſendum* in vita *Peireſcii.* Nam & promontorium illic à cithara apud Græcos veteres nomen habuit. Urbs olim dicta Telo Martius.

TERRIG, rigidus, Germ. ſtorrig. *Targen* Saxonibus infer. eſt irritare, ad iram provocare; Superioribus eſt *Zergen*, quod tamen poſſit eſſe à *Zerren.*

TET, Græc. τίτθη, uber, mamma, Germ. *titte* vel *zitze.* Et *tetter* Gallis eſt ſugere mammam.

TEUTATES, Deus quidam apud Celtas, teſte *Lucano.* Videtur eſſe idem cum Tuiſcone vel Theodone, à quo dicti Theotiſci, Tudeſci. *Theodo*, vir, heros, Princeps, Rex apud Germanos. *Tud* terra apud Cambros ſeu regio. Hinc fortè, quod fabulabantur, Tuiſconem terra editum. *Tud*, gens,

Digitized by Google

gens, homines, apud veteres Germanos: & hodie vox eſt Saxonum plebeja *tüdde*, vulgus, *getüdde*, turba. vid. *Cwmwd.*

TIR, terra, prædium.

TOPP, ſummitas, Anglis *top.*

TOQ, *tocc*, pileus. An hinc Gallis *une tocque.*

TORF, turba, Germ. dorf, village.

TOST, ſeverus, acer; Italis toſto, Gallis tôt, ſignificat promtum.

TRAFAEL, labor, travaglio, travail. *Trafod*, idem.

TRAFODI, certare. Add. *Tres*, Cambris labor. Hoc in Germanico non invenio, niſi huc referas *triſtich*, *trefflich*, grave, magni momenti.

TRAIN, cunctatio; Gallis *trainer*, cunctari, trahere.

TRANGCELL, hauſtus, trunck. Nam trincken eſt bibere.

TRAWD, curſus pedeſtris. Hinc puto *trotter.* Conſonat Germ. *treten*, Gall. *le trot*, de equo, cane. *Troed* Cambris pes.

TRAY, decrementum. *Mordray*, maris refluxus.

TREF, oppidum, *tref*, habitare. *Didryf*, eremus, ubi non habitatur. *Pentref*, caput urbis. Reſpondet Germanicum *dorf.*

TRIPPA, exta, Gallis *trippes.*

TRO, verſio, *trul*, cylinder. τρόχος, Germ. *treben*, convertere.

TROED, pes. *Trits* Germanis eſt, cùm pedem figimus.

TRUAN, miſer. Apud Germanos reſpondet *trübe*, *betrüben*, *trübſabl.*

TRWYN, naſus. Conſentit *trogne* & *truye*, ſus, animal valde naſutum; & talis vox etiam naſum ſignificat in lingua Albanica vel Epirotica. Adde ſupra *Durin* roſtrum, promuſcis. *Turs*, roſtrum. Nam & ῥὶν naſus. Concurrunt hic literæ, naſalis *n*, & ſeminaſalis *r*. Add. *twrch*, porcus.

TUD, terra, vid. *Alltud.* v. *Teutates.* v. *Cwmmwd.*

TWYLL, dolus, fortè à duplicitate. Saxonibus inferioribus alicubi *twyll* eſt genus furcæ bidentis. Videndum, an *Duellio*, *Hohentwiel* in Suevia ſit mons biceps, inſtar Parnaſſi. Sic *Dindyme* mons Phrygiæ quaſi δίδυμος dictus creditur, ob duplicem ſummitatem. Convenit quod ſequitur:

TWYSG, portio. Reſpondet Germ. *twig*, ramus, *zwei*, duo.

TYNO, area, Germ. *tenne.*

TYWARCH, gleba, ceſpes. Convenit *turfa*, *tourbe*, ceſpes uſtilis.

U.

VARGI, latrones Arvernis apud *Sidonium.* Idem olim apud Germanos. Piratæ Normanni etiam Ruſſis dicti ſunt Waregi. In Lege Salica *Wargus* eſt extorris, ejectus, qui hodie bannitus. *Veriad* Cambris etiam eſt latro apud Cambdenum.

UDD, Dominus. Vid. Odd.

UFEL, *Vuel*, ignis. An à *fowel*, foco. An à favilla? Eſt enim propriè ſcintilla.

Digitized by Google

VOLEMA, grandia Gallis apud *Servium*. Reſpondet *wohl*, bonum Germ.

WYTHNOS, ſeptimana, id eſt octo noctes.

Y.

YFED, bibere; conſentiunt *ſauffen*, ebrius, yvrogne.
YLLTYR, talpa; ein *Ilck*, iltis, viverra.
YSGAI, ſpuma; *ſchaum* Germ.
YSGAR, portio, *ſchar*.
YSPER, haſta, *ſpear* Anglis: idem & *par*. *Spehr* Germanis.
YSPODOL, ſpatha, ſpada. Cognatum Germ. *ſpathen*.
YSTANG, pertica, Germ. *ſtange*.
YSTOF, ſtamen.
YSTOL, ſella, Germ. *ſtuhl*.
YSTOR, reſina, quaſi ſtiria, ſtorax.
YSTORM, tempeſtas, *Sturm*, ſtürmicht.
YSTRAD, ſtrata, *ſtraſſe*. Convenit &
YSTRYD, via, platea.
YW, taxus, Germ. *eiben*, Gall. *if*.

Hæc ante multos jam annos ad Margines Dictionarioli Cambrici, à *Boxhornio* ex *Davieſio* excerpti & originibus Gallicis adjecti, alleveram; quæ perfici multùm promoverique haud dubiè poſſent, ſi conferrentur tum indices Celticorum Vocabulorum Pezroniani, tum verò noviſſimum de antiqua lingua Britannica opus in Anglia editum. Et huic quidem lectionem attentam, ubi primum licuerit, deſtinavi, *Pezronius* viſus mihi eſt rem tractaſſe paulo laxiùs, & ſuperficietenus inſpexiſſe. Quoties ad vocabula Celtica provocat, non indicat fontes ſuos, nec docet, Aremoricoſne an Cambros, & dictionariáne edita, an vulgi ſermonem ſequatur: neque uſpiam indicat, notam ſibi eſſe linguam Aremoricam ſeu Britanniæ minoris. Cæterum ex his, quæ dedi, apparebit, opinor, linguam veterum Gallorum & Britannorum fuiſſe ſemi-Germanicam, quemadmodum & *Livius* alicubi Alpinas gentes ſemi-Germanicas appellavit. Nec dubium eſt, veterem linguam Teutonicam multo adhuc Gallicæ antiquæ propiorem fuiſſe, quam hodierna, ut etiam ex multis verbis obſoletis apparet, quorum veſtigia in libris, aut dialectis Teutoniſmi reperiuntur: præter plurima, quorum nec vola, nec veſtigium ſupereſt. Et nunc quoque inter Germanicam hodiernam, & reliquias veteris linguæ Gallicæ non videtur majus eſſe diſcrimen ad ſummum, quàm inter Græcam & Latinam. Itaque medium teneo inter *Cluverium*, *Pontanum*que, qui linguam Germanorum & Gallorum pro eadem habuere, & *Pezronium* aut ſimiles, qui conſanguinitatem non ſatis agnoſcunt. Cùm linguam Cantabricam meliùs noſcemus, rectiùs judicabimus, an multum ſit in Gallico antiquo cognatum Cantabrico;

&

Digitized by Google

& an credibile ſit, Celtas, cùm ex Germania venientes Rheno tranſmiſſo ſe in Galliam effudêre, habitatores anteriores in ea inveniſſe, lingua utentes Cantabricæ cognata; in regionibus præſertim trans Ligerim ſitis. Itaque cùm *Cæſar* Gallos in Belgas, Celtas & Aquitanos diſtinguat; veriſimile eſt, Celtas illos ſtrictè dictos fuiſſe antiquam emiſſionem Germanicorum populorum, Belgas recentiorem; at Aquitanos, incolas anteriores, plus ex Vaſconico traxiſſe. Et ſanè in ulteriori illa Gallia, nempe in provincia Narbonenſi, Septimania & Aquitania multa nomina locorum propria Nominibus propriis locorum Hiſpanicis conſpirant; quod non exiguum eſt indicium, etiam antiquos habitatores cognatos fuiſſe.

Pezronius, Abbas *de la Charmoye*, opus de originibus Nationum meditatus (cujus ſcopum ex Epiſtola ipſius ad Cl. *Nicaſium* dedi) partem inde decerptam vivus edidit Anno 1703. quæ ad Origines Gallicas ſpectat. Optem & reliqua prodire ex ſchedis, ubi affecta jacere putem. Vir enim doctus & ingenioſus haud dubiè multa elegantia & acuta daturus erat, vel vera, vel certè ad veritatem magis magiſque detegendam profutura. In antiquitatibus generis humani perveſtigandis non ſpernendam operam poſuiſſe, oſtendit Opus Antiquitatis temporum reſtitutæ. Quædam etiam Prophetarum loca illuſtravit, oſtendens, in illis agi de irruptionibus Scytharum, quanquam majore mihi ſucceſſu explicuiſſe loca videtur de irruptionibus præteritis quàm de futuris. *Iſaaci Voſſii*, & aliorum Virorum doctorum ſententiam, quæ chronologiam 70. Interpretum Hebraicæ præfert, non malè videtur reſuſcitaſſe. Etſi Scripturam à Judæis ſtudio corruptam, non facilè ipſi concedendum putem. Sed cùm in Opere Originum Celticarum ex Hiſtoria veterum Mythica veram elicere conatus eſt; arbitror laudabiliore ſtudio quàm ſucceſſu ſcripſiſſe. Et ſanè uſque adeo inter ſe pugnant veteres Mythologi, tam varia, perplexa, incohærentia afferunt, ut parum ſufficiat excerpſiſſe aliquid concinni, quod noſtræ hypotheſi conveniat; ſi cætera contraria diſſimulentur. Comaritas, Cimmerios, Cimbros eſſe eoſdem, meo judicio eſt μέγα λίαν αἴτημα, etſi *Poſſidonius* & alii Cimbros & Cimmerios confundant; nam & *Joſephi* Celtas à *Gomaro* deducentis, non ſpernenda quidem, non tamen valde tuta eſt autoritas. Sacas ad noſtros Celtas pertinere, non magis mihi veriſimile videtur, quàm Saxonibus eos nomen dediſſe, & Dahas Dacis Daniſve cognatos fuiſſe. Res fieret veriſimilior, ſi verè deprehenderetur, in Perſico multum Germanici vel Celtici extare quæ mihi occurrêre, pleraque etiam Græcis communia ſunt, non propria noſtris. Unde alia poteſt eſſe convenientiæ cauſa nempe Imperium Græcorum in Aſia. Sacas, vel vicinos illis Scythas aliquando in Cappadociam irrupiſſe, non negaverim, ſed *Acmonem* patrem *Urani*, avum *Saturni*, fuiſſe eorum ducem, nemo dicit. Et licet reperiatur Acmonia urbs Cappadociæ, & *Acmon* filius *Maneos* aliam Acmoniam urbem Phrygiæ fundaſſe ſcribatur, non tamen inde conſtat, utramque Acmoniam ab eodem fundatam, & fundatorem Scytham fuiſſe. Fortaſſe nomen *Acmonis*, cui

Digitized by Google

cui reſpondet ἀκμὴ, ſublimitas, fecit, ut apud poſteriores fabulatores ὕψιστος appellaretur, & Pater Cœlo, τῷ οὐρανῷ aſſignaretur, nec *Sanchoniathonis* teſtimonium, quale habet *Euſebius* in Præpar. Evang. qui *Elion* patrem *Urani* facit, (id eſt Deum eſſe autorem cœli) rem conficit. Sed etſi *Acmonem* & *Uranum* veros homines, & quidem Titanes fuiſſe, & ex Scythia veniſſe concedamus, an ideo Celtas eſſe neceſſe eſt? Quis enim ſine probatione concedat, Scythas in Cappadociam irrumpentes fuiſſe Celtas. Quodſi *Acmon*, *Uranus*, *Saturnus*, *Jupiter*, aliique Titanes ex Celtis fuêre, dicendum potiùs fuerit, eos à Danubio, & ab occidente veniſſe, quàm ex Aſia ſuperiore. Nominum alluſiones parum probant, &, niſi ſeveri ſimus in re etymologica, facile quidvis ex quovis faciunt. Dicit Doctiſſimus *Pezronius*, *Sadorn* apud Celtas eſſe bellicoſum. An reſpexit ad Cambricum *Sawrd* prælium, *Sawrdiwr* miles? *Bochartus* huc etiam revocat *Soldatum*. Sed hunc à *ſold*, *ſolda*, id eſt ſtipendio, nomen habere puto. Eundem *Saturnum* putat *Pezronius* Cronum dictum, à corona, vocabulo, ut ipſe ait, Phrygio, *Rheam*, ejus conjugem, ſignificare dominam, nam *Rhi* (in Lexico Cambrico) eſt dominus. Sed hoc modo nulla eſt lingua, cui non nomina Deorum accommodes, ut fecit *Rudbeckius* in Suedica, & *Otroskius* in Hungarica. *Jovis*, *Saturno* nati, verum nomen fuiſſe *Jaou*, (quod potiùs nomen veri Dei Hebræum Syrumve eſt) ex eo vix probes, quod in Britannia minore dies *Jovis* dicitur *dir-jou*. Quis enim non videt, *jou* ex *Jovis* vocabulo eſſe contractum, ut in *jeudi*. *Jovis* fuiſſe nominativum apud Latinos, conſtat, & confirmat inſcriptio Pariſina nuper reperta. An ad Regem Aſiæ vel Græciæ, an ad nomen veri Dei ex Syria propagatum Latini reſpexerint, difficile dictu eſt: diverſa nomina in ζεῦς, Δίος, *Jovis*, mixta apparet. *Jovem* ab Euphrate ad Cades uſque regnaſſe, bellum cum Titanis (patrui) filiis in Hiſpania geſſiſſe, aliaque id genus mythologorum teſtimoniis parum tutò creduntur. Si *Iſaaco* vivente regnavit, ut putat *Pezronius*, mirum eſt tanti Imperii nullum apud *Moſem* aliosque Scriptores Hebræos veſtigium reperiri. Scilicet Græci res ſuorum exiguis finibus contentas in majus attollebant. Germanos à Dahis & Phrygiis derivatos, & per Phrygios ab *Aſcenaſe*, *Gomeris* filio, (quod habet Vir Cl. p. 196. p. 101.) nullo argumento confirmatum video. Pene omnem Europam multo ante bellum Trojanum haud dubiè implebat Gens, quæ poſtea Græcis ſub Celtarum nomine innotuit, & in Germanos Gallosque diviſa fuit. Eam remotiſſimis temporibus ex Scythia veniſſe, credibile eſt, paulatimque progreſſam verſus meridiem & occidentem. Quomodo autem Sacarum irruptiones in Aſiam, aut *Jovis* aliorumque Titanum Imperium, ſi quod fuit, quicquam faciat ad origines migrationemque Celtarum in Galliam, non apparet, neque ab ipſo *Pezronio* explicatur; ut adeo maxima pars operis parum ad rem facere videatur. Germanorum nomen cum *Strabone* putat à Romanis datum, ſed à me alibi oſtenſum eſt, partem Germanorum antiquitus dictam Herminones vel Hermanders (Hermunduros) reliquis nomen dediſſe,

dediſſe, ut Allemannorum nomen, olim ſolis Suevis & Helvetiis conveniens, hodie omnibus Germanis tribuitur. Herminonum autem nomen ab ipſis veteribus ductum fuiſſe ab *Irmino* vel *Hermanno* heroë, & Hermannum ſignificare militem, etiam notavi. Cæterum antiquiſſimos Gallos à Germanis ex veterum locis diſtinguere, difficile eſt, nec ſatis conſtat, unde populi venerint, qui in Græciam & Aſiam ſub Galatarum, vel Keltarum nomine irrupêre. *Hieronymus* teſtatur, Galatarum Aſiæ linguam ei ſimilem fuiſſe, qua Treviri loquebantur, id eſt Belgicæ, quæ Germanicæ vicina erat. Itaque veriſimilius eſt, ex Germania, quàm ex remotiore Gallia Galatas illos fuiſſe profectos. Saltem multos Germanos Gallis migrantibus acceſſiſſe, ipſe locorum ſitus confirmat. Poſtremò ad perficiendam vel certè valde promovendam *Literaturam Celticam*, diligentius *linguæ Hibernicæ* ſtudium adjungendum cenſeo, ut *Lloydius* egregiè facere cœpit. Nam, uti alibi jam admonui, quemadmodum Angli fuere colonia Saxonum, & Britanni emiſſio veterum Celtarum, Gallorum, Cimbrorum; ita Hiberni ſunt propago antiquiorum Britannicæ habitatorum, Colonis Celticis Cimbricisque nonnullis, & ut ſic dicam mediis, anteriorum. Itaque ut ex Anglicis linguæ veterum Saxonum & ex Cambricis veterum Gallorum; ita ex Hibernicis vetuſtiorum, adhuc Celtarum Germanorumve & ut generaliter dicam accolarum Oceani Britannici ciſmarinorum antiquitates illuſtrantur. Et, ſi ultra Hiberniam eſſet aliqua inſula Celtici ſermonis, ejus filo in multo adhuc antiquiora duceremur.

Digitized by Google

EXCERPTA MISCELLANEA AD REM ETYMOLOGICAM FACIENTIA.

ARGUMENTUM.

Hujuſce commercii epiſtolici occaſio fuit, Andreæ Acoluthi *inſtitutum* linguas orientales illuſtrandi, *& hoc medio religionem in oriente propagandi*, *item* Lexicon Armenicum *conficiendi. Putabat vir eruditus* linguam Armenam *eſſe eamdem cum veteri Ægyptiorum* : *Sed ill.* Leibnitius, *re curatiùs conſideratâ*, *ſententiam hanc infirmis admodum fundamentis niti obſervavit.*

N°. I.

EXCERPTA EX LITERIS D. ANDREÆ ACOLUTHI (*a*) AD D. ABBATEM MOLANUM.

Datis Wratiſlaviæ 30. *April.* 1694.

Mille preſſum animi ægrimoniis, & laboribus literæ tuæ die 31. Mart. N. St. ab Illuſtriſſ. Dn. *Haunoldo* tranſmiſſæ, inſigniter reficiebant, quibus hoc, quidquid eſt, debui reſponſi. Ab Alcorani verſione jam per integrum ferè annum labor officii nimius me abſtraxit, adeo, ut de ejus editione, ſaltim feſtinâ, ferè dubitare incipiam, niſi Deus quietam magis conceſſerit vitam; quam quidem millenis exopto votis. Quo tempore Alcorani editionem in catalogo librorum promittebam, alii non tam laborioſo officio præeram, quod illius interpretationem citius ad finem deduci conceſſiſſet; Quamvis & hæc moroſa procraſtinatio non ſine uſu & fructu ſit futura. Multa enim interea temporis perſcrutatus ſum, & adhuc perquiro, quæ ad Alcorani intellectum quàm maximè ſunt neceſſaria, & ſine quibus olim fruſtra exiſtimavi, hunc exquiſitæ elegantiæ, ſed perditæ malitiæ profundæque ſtultitiæ librum, intelligi, & in aliam converti linguam poſſe: qua ipſa perſuaſione deceptum ſe quoque ſentiet olim Dn. *Hinkelmannus*, cujus Alcorani ſpecimen, ſed ſine omni verſione jam dudum vidi,

(*a*) Fuit *Andreas Acoluthus* apud Wratiſlavienſes Archidiaconus & ſenior ad D. Bernhard. nec non linguarum orientalium in Gymnaſio Eliſabetano Profeſſor, defunctus eſt anno 1714.

Digitized by Google

vidi, ſummoperè optans, etiam particulæ verſionis ejus compos fieri; ſed negata mihi eadem eſt huc uſque. Alias enim per epiſtolam publicè Lectores monuiſſem, ne crederent, illum in omnibus Alcorani ſenſum eſſe aſſecutum. Ajo ego, qui in Arabiſmo diſcipulum adhuc me profiteor, Alcoranum eſſe librum difficillimum, cujus abſtruſos ſenſus nemo perceperit, niſi qui in Muhammedanorum ſcriptis Theologicis probè ſit verſatus. Tranſtuli autorem Muhammedanum, à Dn. Præſide *Haunoldo* donatum, nomine *Ferâti*, qui Linguâ Turcicâ quadraginta quæſtiones Legis Muhammedicæ enodavit. Vix oculis meis fidem habui, tam delira dogmata, & verè inſanientem ſapientiam, à Chriſtianis nondum cognitam deprehendens. Ingemiſco, quoties cogito, tantum populum per ſeſquipedalia ſtolidiſſimi Alcorani verba dementatum, inferno mancipandum eſſe. Utinam Magiſtratus Chriſtiani viros alerent, qui miſeri populi ſalutem per ſcripta ſaltem irent promotum! Sanè vel nunc Deus viam ad illius converſionem aperuit vel nunquam. Utinam *Ravius* aliquis vel *Waſmuthus* Litteras circulares pro inſtituendo Collegio Orientali iterum emitteret! Sed homines hujus ſæculi vix ſuam, imò ne ſuam quidem ſalutem operantur; quomodo curarent alienam? Bibunt ex phialis vinum, & oleis præſtantibus ſe inungunt, nec afficiuntur dolore ſuper contritione *Joſephi*, *Amos* VI, 6. Rogatus jam ſum aliquoties à Viris doctis in Ungariâ, ut ex Alcorano Breviculum aliquod Anti-Muhammedicum Latino vel Germanico idiomate conſcriberem; transfundendum poſtea in Turcicum, & vicinis ſuis communicandum. Sed laborioſiſſimum officium Eccleſiaſticum tempus omne mihi ſurripit. Inter cætera, quæ mihi accidunt adverſa, illud omnium impatientiſſimè fero, quòd ſtudio Orientali ſoli, uni, & ſemper, non poſſim incumbere, ad quod tamen naturâ feror; non gloriolæ cujuſdam aucupandæ gratiâ, ſed quod videam, multa inibi ineſſe, Eccleſiæ Dei profutura. Ad homileticum ſtudium nunquam prolubium ullum ſenſi, ſed neceſſitas durum fuit telum, quæ huc me pertraxit. In ſinu mihi gauderem, ſi vel in totum, vel maximam ſaltem partem hoc onere levari poſſem; id quod autem Uratiſlaviæ ſperari nequit, nec forſan alibi. Ante ſexennium circiter via mihi ad Canonicatum Mindenſem in Electoratu Brandenburgico ſternebatur: ſed quia tunc temporis B. parens meus adhuc in vivis erat, aliaque plura obſtabant, non aſſecutus ſum, quod quidem maximè optabam, & nunc adhuc haberem in votis, ſicubi daretur mihi occaſio adipiſcendi. Sed careo patronis. Septem circiter effluxerunt anni, cùm ad profeſſionem Linguarum Orientalium in Academia Gryphiswaldenſi invitabar: biennium verò eſt, cùm ad eamdem profeſſionem in Academia Lipſienſi obeundam vocabar. Sed utramque vocationem recuſare me coëgit exiguitas ſalarii & accidentium, quæ vocant, ex quibus cum familia vivere non potuiſſem. Laudem merentur Angli, qui virorum, in ſtudio certo excellentium conatus, curâ inſigni eunt promotum. Sed Germani hoc floccipendunt, aut, ſi virtus laudetur, tamen alget. Malè me

 habet,

Digitized by Google

habet, quoties *Bocharti*, *Pocokii*, *Seldeni*ve ſcripta evolvo, quòd ex noſtris nemo ſit, qui præſtet paria, cùm & majora præſtari poſſent ab eo, qui non tantùm Arabiſmi, ſed & Turciſmi & Perſiſmi gnarus eſt. Sunt mihi Autores Turcici & Arabici aliquot, in iiſque *Kutboddini*, Vir magni nominis apud Muhammedanos; quos Latina veſte induere ſatago, modò mihi Deus otia faceret! Alo in ædibus meis fœminam Turcicam, Sacerdotis Belgradenſis primario proximi uxorem, & eruditam, per quam mihi aditus ad Linguam ejus vernaculam difficulter quidem & ſumtuosè, ſed tamen feliciter aperitur. Nec enim à fœmina quoque diſcere me pudet, quo regnum Dei propagari poſſit. Atque ut Alcorani adhuc ſemel faciam mentionem, vix patiar me ab ejus verſione totum abſtrahi, niſi Hinckelmannianam expertus fuero limatiſſimam, de quo valdè dubito. Gratâ mente agnoſco tuorum, Vir Reverendiſſime, exemplarium Alcorani factam mihi copiam; tranſmittendi eadem vix melior dabitur occaſio, quàm per Mercatores, qui Haunoldinas reculas permutant. Teſtamentum Novum Turcicum jam diu eſt, quod deſideraverim, ſed nondum eo ſum potitus. Litteraturæ Ruſſicæ ſum ignarus; nec enim quicquam ad ſcrutinium Veteris vel Novi Teſtamenti facit. Inſcriptionem itaque annuli Moſcovitici ignoro. Interim pro communicatione ejuſdem grates decentes exſolvo. Alterius verò annuli Turcici, quando repertus fuerit, typum avidè expeto. De Ægyptiacis, quæ jam ſcribo, nemini adhuc Eruditorum tàm apertè communicavi; idque propterea, ne ſi vel tardè vel nunquam prodirent, moram videlicet injicientibus laboribus Eccleſiaſticis, odium hominum incurrerem. Tibi verò, Patrone maxime, ea denegare nolo; quia non tantùm de amore tuo ſecurus, ſed firma etiam ſpe erigor, per eum, quem Deus in eminentiâ maximâ, de qua animitùs gratulor, conſtituit, conſilio ſaltem, niſi & reapſe, in hiſce ſtudiis me poſſe adjuvari. *Kircherus*, ſublatus in altum, ut lapſu graviore ruat, Linguam Copticam ſtatuit veterem eſſe Ægyptiacam, atque huic fundamento omnia ſua ſuperſtruit. Sed quàm infeliciter, ex meis patebit lucubrationibus tàm firmis, ut non videam, quid ipſis ruinam afferre poſſit. Statuo autem, Linguam Armenicam, quæ hodie vocatur, eamdem eſſe veterem Ægyptiacam, tempore *Pharaonum* & *Moſis*, nec non antecedentibus & ſequentibus ſeculis uſurpatam. Idque probo (1.) ex ſcriptura Veteris Teſt. Hebraica. In hac voces Ægyptiacas reperiri, uno ore aſſerunt Philologi & rectè quidem. Sed originem illarum genuinam ne unus quidem potuit indicare. *Kircherus*, ejuſque vel in totum, vel ex parte ἀκόλουθοι, quos inter etiam meus in linguâ Armenicâ Præceptor D. *Pfeifferus* numerandus venit, è Linguâ Copticâ illas deducens, horrendum in modum excarnificat. Ego verò ſine omni crucifragio eaſdem e Lingua Armenica, ut vera Ægyptiaca, reſtituo. Ex gr. אברך Geneſ. 41. 43. quod communiter reddunt: Flectite genua, *Lutherus* autem *der iſt des Landes Vater*, hic eſt pater populi. (Vid. *Pfeiffer.* Dub. vexat. in hunc locum) eſt ipſum Armenicum ſeu Ægyptiacum *Abrech*, vivite ſalvi & incolumes ma-

Digitized by Google

manete, à verbo *Abrel*, vivere & eſſe incolumem. Si jam inſpiciatur textus, omnia ſuaviſſimè fluent. *Pharao* inſidere juſſit *Joſephum* currui ſuo ſecundo, & exclamaverunt coram ipſo (vel ipſis) *abrech*, id eſt vivite, ſcilicet tu *Pharao* & *Joſephe*. Quid poſſit dici commodius? Sic פוטיפר Gen. 37, 36. c. 39, 1. (de quâ voce *Pfeiffer*. dub. Vex. p. 200. 205.) compoſita vox eſt ex *phut*, citò, & *phar*, gloria, quaſi citò gloriam conſecuturus; ut adeoque ſit nomen boni ominis; vel cui beneficio ſplendidorum natalium ab ipſa nativitate vel infantia, adeoque ſatis citò gloria adeſt. Ex eodem fonte manat *Pharao*, *Mizrajim* &c. (2.) Ex verſione LXX. Hanc in Ægypto eſſe natam, omnes norunt eruditi. Voces autem Ægyptiacas in ea nemo unquam quæſivit, nemo reperit. Sed ecce Eſa. 19, 18. dicitur, unam urbium, ad Meſſiam convertendarum, vocatum iri עיר ההרס, LXX. πόλις ἀσεδὲκ, Vulg. civitas ſolis. Ad hunc locum *Hieronymus*: pro civitate ſolis, neſcio quid volentes LXX. interpretati ſunt ἀσεδὲκ; quam quidam noſtrorum urbem Juſtitiæ (הצדק) interpretatus. Malè. Ἀσεδὲκ eſt vox Ægyptiaca vel Armenica *Aſdus*, ſidus, ſtella in Genitivo *Aſdeg* vel *Aſedeg* (nam littera E. quamvis non ſcripturâ, tamen ſono in concurſu duarum, trium, quatuor, imò quinque conſonantium exprimitur) unde πόλις ἀσεδὲκ, civitas ſideris, id eſt, ſolis. Sidus enim pro ſole etiam apud Latinos ſcriptores uſurpatur. (3.) Ex nominibus propriis Regum Ægypti, de quorum ſignificatu nihil omnino hactenus fuit cognitum, ex. gr. *Amenemes*. *Marsham* in Can. Chron. p. 463. hoc derivat ex *Ammone* & *Mene*: ſed perperam. Eſt vox Armenica ſive Ægyptiaca ex *Amen*, omnis, & *Mez*, magnus. Unde in compoſitione *Amenemez* omnium maximus; quod eſt nomen regiæ dignitatis. Et ſic in aliis pluribus, quæ partim inveni, partim indago. (4.) Ex nominibus Deorum Gentilium. Mirum quantum me delectavit, quod jam inventis meis novum robur addidit inſignis locus *Herodoti in Euterpe*: omnia ferè Deorum nomina ex Ægypto in Græciam commigrarunt. Hinc arguo: Si in Græciam, quidni & in Latium? Romani enim multa ſua à Græcis, ſed forſan plura ab Ægyptiis habent. Et, ſi Græci Philoſophi Ægyptum, tanquam totius mundi templum & Academiam, ſalutarunt, quis neget hoc de Philoſophis Latinis. *Saturni* nomen à variis variè derivatur. Sed nulla certior veriorque derivatio quàm ab Armenico ſive Ægyptiaco *ſator* cum *n*. ſuffixo, quod Articuli locum ſubit *ſatorn*, magnus culter. Inde etiam eſt Perſicum & Turcicum *ſatur*, culter laniorum magnus ſecuri-formis, quo carnes diſſecant. Jam verò *Saturno* falx meſſoria appingi ſolet, quia pro inventore hujus inſtrumenti habetur, adeoque nomen ex re inventa ſortitus eſt. Porrò de *Saturno* dixerunt gentiles, quòd Cœlo genitalia ſua exſciderit. Quid ſunt genitalia Cœli, niſi gramina, herbæ, flores, ſegetes, cœli beneficio progenita, quæ falce meſſoriâ, ſatis magno cultro, demetuntur. Quid *Mars*? unde Littera T in caſu ſecundo, *Martis*? Ex *Mart*, bellum, pugna; quia *Mars* Deus belli habetur. Quid *Bacchus*? Multiplex datur hujus vocis derivatio: vera autem

R 3 &

& genuina hæc eſt *Bach*, ligo, ſive bipalium; adeoque etiam hujus inſtrumenti inventio autori nomen dedit. Miratur *Kircherus* in prodrom. cap. 1. p. 151. nullum apud Copticas ex Deorum gentilium (Ægyptiorum videlicet, quòd exempla ab ipſo adducta volunt; nam de Romanorum Deaſtrorum nominibus ex Ægypto deducendis ille ne cogitavit quidem) nominibus reperiri, qualia ſunt *Oſiris*, *Iſis*, *Horus*, *Ichyon*, *Emeph*. Sed reperiſſet, ſi lingua ejus Coptica foret vetus Ægyptiaca. Quo de prolixiùs agam *in ipſo meo opere*, ſeu, *Lingua Ægyptiaca reſtituta*, cujus uſus in omnem rem litterariam, ſacram & profanam, Græcam & Romanam ſe effundit. (5.) Ex nominibus aliis. *Manerota* nuncupabant Ægyptii calvariam in conviviis circumferri ſolitam, teſte *Plutarcho*. Dicitur nomen illud ſignificare caput commonefaciens. Sed falſo. Potius eſt ab Armenico ſeu Ægyptiaco *Manrel* configere, comminuere, & *os*, id eſt, pes. Unde in compoſitione demtâ terminatione Infinitivi eſt *Manrot* vel *Manerot*, res, quæ pedibus comminuitur & conteritur: id quod evenire ſolet oſſibus humanis ſepultis iterumque effoſſis. Mortis itaque memoriam Ægyptii refricare voluerunt convivantibus inter media gaudia, iſtius calvariæ aſpectu, quaſi dicerent: memento, te olim aliquando pedibus conculcatum & contutum iri &c. Poſſem horum omnium adhuc plura afferre teſtimonia, niſi epiſtolæ limites tranſgrederer, & tempus me deſtitueret. In litteraturam Hieroglyphicam nondum quidem operæ multum impendi; clavem tamen ad ejus intellectum me inveniſſe puto. Solent Armeni, exemplum ſuorum patrum Ægyptiorum imitati, litteras majuſculas figuris hominum animaliumve quorumvis, vel aliis exprimere. Atque talismodi litteris obeliſcos integros, quos meis contueri oculis optarem, inſcriptos animadverto; quanquam temporis injuria & forſan etiam ab ipſo *Kirchero*, valde mutilatis; quibus non myſteria Philoſophico-Theologica, ſed nomina Regum, tempus regiminis, & forſan triumphos ab hoſtibus reportatos, pro ſimplicitate veteris mundi, expreſſos ſtatuo. Quòd autem *Kircherus* iſtos characteres dicat certa eſſe rerum Symbola, in eo valde errat. Memini, me aliquando in ejus operibus, quæ jam non poſſideo, legiſſe, quod figura hominis ſtantis, & faſciis, quantum recordor, involuti (ut ſcil. eò accuratiùs lineam rectam repræſentaret, ne divaricatis pedibus alia fortè littera intelligeretur) brachiumque ſiniſtrum rectâ protendentis, ita ut digiti apertæ manus deorſum vergant; notare debeat Divinam munificentiam, largâ manu beneficia ſua hominibus diſtribuentem. Malè. Non Deum nec hominem, cujus imago cernitur, ſed litteram U. figurâ indicat. Idem judicium eſto de aliis. Poſſet utique obeliſcus formari è tali charactere, ſed alio prorſus modo, nec tanto fortè labore, ut Jeſuita fecit, cujus *Athanaſii* fama vereor, ut ἀθανασίαν habeat, adeò multa profert indigeſta & parum firma: & ſanè plerique hodie agnoſcunt, plus ei lectionis quàm judicii fuiſſe. Sævos jam ſenſit ictus à *Rittangelio* aliisque, ſed Coptica ejus everti majoris eſt momenti. Scio erroris originem. Putavit *Kircherus*, Ægyptio-

rum

Digitized by Google

rum ſcribendi rationem ei, quâ Chinenſes utuntur, conformem fuiſſe. Hi enim per unicum characterem, non tumultuariè, uti quidem videri poſſet, verùm magna ingenii ſagacitate formatum, rem ipſam ex. gr. amorem, odium &c. denotare conſueverunt; perſonas & numeros in verbis per addita pronomina perſonalia ad Infinitivum, tempora autem modosque per adjectam lineolam, quamvis non ſemper, diſtinguunt; unde ſenſus magna ſæpe difficultate laborat. Non autem ſic Ægyptii, qui per voces aliquot characteribus conſtantes, aliarum linguarum ritu mentis cogitata exprimunt, ſuorumque nominum & verborum certas flexiones habent. Toto itaque cœlo Chinenſium & Ægyptiorum litteratura à ſe invicem diſtat. Cæterum de charactere Chinenſi rectè ſtatuunt, qui ejus non ſunt ignari, accommodatum eum eſſe ad characterem univerſalem, qui per totum mundum intelligeretur ſcriptus, licèt hic populus eundem aliter ac ille legeret; ſi nimirum omnium in orbe hominum conſenſus in deſignatione rei per characterem impetrari poſſet. Ex. gr. poſſet character Chinenſis, quem *tá* legunt, ab omnibus populis agnoſci pro indicio magnitudinis, licèt diverſa in omnibus populis ejus foret lectio. Chinenſis enim legeret *tá*, Græcus *μέγας*, Romanus *magnus*, Germanus *groſs*, &c. Num hiſce conformia vel difformia habeat *Becherus*, ignoro, quia ipſum autorem, nominetenus tantùm cognitum, non habeo. Ars verè longa, maximè hæc, qua Dryadum ſylvas ſaltusque intactos aperit; vita mea, annorum numerum quadragenarium jam transſcendens, brevis: labores officii Eccleſiaſtici maximi maximam injiciunt moram. Num Aſiam pro convertendis Muhammedanis, an verò Africam petere debeo, pro eruendâ inde ſcientiâ Ægyptiacâ, non per aliquot ſecula, ſed millenarios annorum ſepulta? Supplici quotidie adoro poplite ſummum Numen:

Tu rege conſiliis actus, pater optime, noſtros;
Noſtrum opus ut laudi ſerviat omne tuæ.

N°. 2.

EX ALIA EJUSDEM AD EUMDEM EPISTOLA,

Data 5. Martii 1695.

Doleo præmatura doctiſſimi *Hinkelmanni* fata, idque eo magis, quòd certiorem me de ejus vix ſperato, ſanè nunquam, deſiderato, at non levi favore litteræ tuæ faciunt, annuncianies, Beatum Virum omnia ſua Mss. Arabica mecum communicare conſtituiſſe. Infelicem me judico, quòd ferrum candens non cuderim: ſed quis novit mentem Domini, vitæ mortiſque noſtræ arbitri? Animum interea non abjicio, tuo, candide patrone, favore ſuccollatus. Huncce jam maximopere expeto, teque mihi benevolum exoro proxenetam, ut nimirum, quantocius fieri poſſit, quia in morâ vereor eſſe periculum, litteris commendatitiis vel ad Viduam *Hinkel-*

kelmannianam (ad quam ego ipſe ante triduum ſcripſi) vel ad alium quempiam *Mecænatem* Hamburgenſem datis, efficere coneris, ne libri iſti orientales alium præter me, emtorem & poſſeſſorem ſortiantur, pro hoc beneficio & tibi, & manibus *Hinkelmannianis* nunquam non gratum futurum. Utinam verò etiam cum iſtis libris, quibus meam bibliothecam auctum iri, certò ſpero, otium à laboribus Eccleſiaſticis, omnes meas viriculas atterentibus, parari poſſet! Per ſeptem jam hebdomades affectus catarrhalis, arthritidi vagæ ſcorbuticæ, malo peſtilentiſſimo junctus, me intra muſci triſtes cancellos detinuit: nunc autem aliquantulum inde prorepere ſinit. Cujus certè morbi non alia exiſtit cauſa, quàm laborum gravitas. Quo magis ſcrutor, eo magis in ſententiâ meâ, Domino *Tentzelio* etiam communicatâ, de Ægyptiaca Lingua confirmor; cujus etiam in Colloquiis menſis Decembris proximè elapſi mentionem injecit. Quæ de P. *Marraccio* nunciaſti, jam ante plures annos ex *Wagenſeilii telis igneis Satanæ* didici. Sub anni proximi finem Romam ad ipſum litteras dedi, de Alcorani editione expiſcatorias, ſimulque ſpeciminis cujuſdam expetitorias. Reſpondit ſenex ille grandævus, octogeſimum tertium ætatis annum jam agens quàm humaniſſimè, primumque duernionem operis illius, ſub prælo in urbe Patavina adhuc ſudantis, tranſmiſit. Legit omninò in Alcoranum Commentatores Muhammedanos, quos hic loci non habemus: num verò ipſos unà cum Alcorano ſemper intellexerit, dubito. In Alcorani certè verſione errores obſervo, inde procul dubio enatos, quòd Philologiæ orientalis non habeat fundamentalem ſcientiam; unde ſæpius oculis cæcutit apertis. Annotationibus ad Caput primum ſubjungit aliquam refutationem, ſed admodum ejunam: Muhammedanus enim vel tribus verbis eamdem deſtruere poſſet. Unde colligere datur *Marraccium* Theologiæ Muhammedanæ ſolidiorem cognitionem non habere. In mea ad ipſius litteras reſponſione duos ſatis graves errores in verſione commiſſos, ipſi modeſtè aperui; nolui enim plurium oſtenſione bonum ſenem nimiùm confundere. Quomodo eoſdem ſit excuſaturus, præſtolor.

N°. 3.

EX EPISTOLA ANDREÆ ACOLUTHI AD G. G. LEIBNITIUM.

Datâ d. 27. Auguſt. 1695.

Utinam aliquid effici poſſet, quod litteraturæ meæ Orientali foret proficuum! Inventum meum de verâ linguâ Ægyptiacâ, tot ſeculis ignoratâ, ſalivam tibi movere gaudeo. Sed enim exiguum adhuc eſt, quod ad Dn. Abbatem, nunqusm mihi ſine honoris præfamine nominandum, de hac materiâ perſcripſi: & ex quo ſolo nunc temporis veſtra fides dependet. Plura longè ſunt, quæ ſententiam meam firmiter ſuffulciunt, publicam cum Deo & die aſpectura lucem: modò plus temporis huic,

huic, & difficillimo quidem ſtudio, lumen tamen omni litteraturæ affundenti, remque idololatricam Gentilium mirificè illuſtranti per nimios labores Eccleſiaſticos, præſertim homileticos, impendere poſſem. Oblectamenti ergo geminum ſpecimen exhibeo. *Jehova* in linguâ Hebræâ ab Eſſendo nomen habet, quia eſt Eſſentia eſſentialiſſima. Gentilium κακοζηλία hanc arripuit occaſionem fingendi Deum ſuum *Linum*, ejus etymon quid notet, *Herodotus* fatetur ſe ignorare. Eſt verò ab Armenico vel Ægyptiaco *Linel*, Eſſe. Abjectâ enim terminatione Infinitivi *el*, & additâ terminatione Græca *os* vel Latina *us*, emergit λῖνος, Linus. Filium Dei vocari λόγον, notum eſt. Ipſe *Plato* de hoc aliquid audivit. Gentiles hinc formaunt Deum ſuum *Pan*. *Pan* λόγον, verbum, notat. Quæ de generatione, naturis, officio paſtorali & morte (Magnus *Pan* mortuus eſt) hujus *Pan*, gentiles afferunt, ope linguæ Armenicæ elegantiſſimè & prorſus non coactè, ad Salvatorem noſtrum applicari queunt: id quod etiam alios auctores agere obſervo, ſed ſine ſufficienti fundamento. Haſce leves ſtricturas non ingratas fore credo. Nexus Linguæ Armenicæ cum Arabicâ, Perſicâ, Turcicâ, nullus eſt; niſi quòd hi tres populi ab Armenis non paucas mutuentur voces, quarum catalogos conficio. *Bochartus*, cujus quàm plurimos, in derivatione ingenioſa magis quàm ſolidâ Ægyptiacarum vocum, errores deprehendo, ſcribit, ex Arabiſmo vocabula Armenica abſurdè peti: ſed judicat, ut cæcus de coloribus. Ego enim ultra triginta voces jam obſervatas numero, quas Arabes ab Armenis mutuati ſunt. Sic enim ſtatuo, Arabes alioſque populos, multas voces, ab Armenis ſeu Ægyptiis mutuò accepiſſe, non autem hos ab illis. Quanquam nec audeam negare, Armenos recentiores ab unâ alterave gente aliquid ſibi ſumſiſſe uſurpandum; quodnam verò illud ipſum ſit, difficile erit determinare. Lingua noſtra Germanica plurimas ex iſtâ voces habet deſumtas; cujus rei cauſam ex parte novi, ſolidiorem tamen adhuc inquiro. Linguam Georgianam non calleo. Num eadem ſit cum Colchicâ, dubito. *Herodotus* lib. 2. c. 105. aſſerit, Colchorum & Ægyptiorum linguam eſſe ſibi ſimilem, id eſt, meo quidem ſenſu, eamdem. Idque ego faciliùs crediderim. Certitudinem rei experiri poſſem, ſi catalogus mihi oſtenderetur vocum Colchicarum. Armenos autem & Ægyptios unum eumdemque populum eſſe ſtatuo, quanquam nomen ſit diverſum. Populorum enim & regionum nomina variè mutata eſſe conſtat. Hinc ſive quis Colchos ex Ægyptiis, ſive ex Armenis ortos dixerit, perinde eſt. Quo de argumento legi poteſt *Herodotus* l. c. cap. 104.

Digitized by Google

N°. 4.

G. G. LEIBNITII EPISTOLA AD ANDREAM ACOLUTHUM.

Hanoverâ 10. Octobr. 1695.

GRatias ago, quòd communicatam tibi à Reverendiſſimo Domino Abbate Luccenſi notationem meam, de cognito jam veteribus conſenſu linguæ Ægyptiæ cum Colchica, nationis Armenis vicinæ literis humanitatis & doctrinæ plenis remunerari voluiſti. Adjungi poteſt, quod & Paphlagones quidam Ægyptiis connectunt. Præclarum conſilium tuum illuſtrandi linguas orientis, ut fidei Chriſtianæ propagatio in illas oras facilior noſtris reddatur, maximi facio, & publicè juvandum cenſeo.

Sententia tua de conſenſu linguæ Ægyptiæ veteris cum Armena, ſi ſtabiliri ſatis poteſt, pro egregio invento habenda eſt. Quæ de Lino & Pane eruditè notas confirmant potiùs aliunde probata quàm probant. Scis enim, quàm proclive ſit quidvis ex quavis lingua exſculpere, ſi genio indulgeamus *Goropii* & *Rudbeckii*, & ejus exemplo, qui nuper de origine Hungarorum ſcripſit. Primus in Belgica, alter in Suecica, tertius in Hungarica, vetera Deorum vocabula nullo negotio invenit. Sunt tamen quædam in linguis harmoniæ tam manifeſtæ, ut reſiſti non poſſit, nec liceat caſum ſuſpicari; uti in Germanico *dochter*, & Græco θυγάτηρ, cui, ni fallor, & Perſicum conſentit.* Quòd ſi talia occurrunt multa, pronuntiare de linguarum conſenſu licet, & fides fit reliquis etiam minùs obviis. Nam negari non poteſt, virum linguarum peritum videre ſolere multas originationes vel conſenſiones, quæ aliis non patent. Itaque non dubito, quin multa habeas argumenta, quæ alii ſtatim capere non poſſint, donec collecta in unum,

Defendat numerus junctæque umbone Phalanges.

Dubito & ego, an Colchica vetus eadem ſit cum Georgiana hodierna. Eſt mihi ad manus dictionarium linguæ Georgianæ, typis Congregationis propagandæ fidei Romæ 1629. editum, in quo agnoſco multa conſentire cum lingua Græca, ut *aniri*, homo, *argani*, baculus, fortè quaſi ὄργανον; *Kliti*, clavis, ἀκλεῖς; *áera* aer; quædam etiam à Latinis vel Italicis, ut *bache* bucca, *bruti* ſpurcus, *ſella* ſedes, *ſeri* veſper, *ſeroba* cæna. Quædam cæteris orientalibus credo conſentiunt: ut *Arabi* pro vagante, *boſtani* pro horto. Sed quoniam tamen multa etiam ſunt peculiaria, aſcribam hic vocabula primæ paginæ.

abano abaroga abáchi abreſciam i agh·bà, aghmozenebeti agmoſauleti
balneum ſed quid abinde ſericum compunctio, blaſphemare oriens
advilid adibebà aêra artili aicadari.
facilitas inundatio aër tegere ægrotum fieri.

Addam

Digitized by Google

Addam aliqua excerpta per Satyram: *Anthári* ſimia, *Aınauri* eques, *Aſſuli* filia, *Agame* nox, *Bákak* rana, *Bezkali* argentum, *Bi* felis, *Chelili* unda, *Gili* bos, *Cheli* lupus, *Ghrmelli* gladius, *Dáſo* ſylva, *Datui* urſus, *Dros* tempus, *Erbo* butyrum, *Echáti* ſpina, *Varskulavi* ſtella, *Varthi* roſa, *Vaskli* pomum, *Zézili* ignis, *Hêri* plebs, *Thávi* caput, *Thâſti* mel, *Iſari* ſagitta, *Kapilári* hoſpes, *Karavi* tentorium, *Katami* gallina, *Katſi* homo, *Kêdan* videre, *Kizchi* Aſinus, *Kuêri* barba, *Lagabi* frenum, *Lekui* canis, *Leſmari* clavus, *Mama* pater, *Márili* ſal, *Matkeli* lana, *Mâſe* rete, *Miza* terra, *Mkèzi* ſerpens, *Mogdélri* presbyter, *Mona* ſervus, (Slave) *Mta* mons, *Mze* ſol, (olim *Mithra* Perſis), *Nacutáli* piſcis, *Nathebi* lux, *Naſari* carbo, *Nêmſi* ager, *Orbis* aquila (credo cognatum cum ὄρνις), *Opti* ſudor, *Omi* bellum, *Parſciamachi* pavo, *Peopli* cinis, *Pethi* color, *Pêchi* pes, *Pze* ſtramen, *Pirueli* ſomnus, *Popne* lectus, *Prpeni* plumbum, *Puri* panis, *Rze* lac, *Rváli* cuprum, *Rchina* ferrum, *Sákili* fama, *Sákuri* ſervus, *Sárche* ſpeculum, *Safeli* nomen, *Sachieri* domus, *Seſe* lignum, *Sizche* calidus, *Siſchi* ſanguis, *Skale* aqua, *Smáli* acetum, *Sicli* anima, *Taglame* rapa, *Tka* capra, *Töuli* nix, *Uremi* currus, *Uzko* peregrinus, *Fanali* Cantema (ab Italico fanale), *Finici* palma (à Græco), *Fiùrca*, furca, patibulum (à Latino vel Italico), *Fte* penna, *Cheli* gula, *Gamzale* durus, *Gaval* exire, *Gmérti* Deus, *Gvéli* ſerpens, *Sciobeli* mater, *Cià* vermis, *Ceri* pollex, *Zami* hora, *Zaghi* canis, *Za* cœlum, *Zea* mare, *Zuáli* os oſſis, *Zinzali* flamma, *Ziza* nutrix, *Zcheni* eques, *Chari* porta, *Chermádi* gladius, *Chirtili* frumentum, *Chidi* pons, *Gingili* catena, *Giulabi* medicina (juleb).

Erti, *ori*, *ſami*, *octhi*, *chuti*, *echſi*, *ſciviti*, *Ruà*, *zibarà*, *athi*.

Unum, duo, tria, quatuor, quinque, ſex, ſeptem, octo, novem, decem.

Ex his agnoſces, opinor, an conſenſus aliquis inſignis ſit inter linguam Armenam & Georgianam.

Miror, nec tamen ſine cauſa à te aſſeri puto, quòd Arabes potiùs ab Armenis vel Ægyptiis aliqua mutuati videantur quàm contra; licet Arabica Armenæ antiquitate cedere non poſſit, quippe vix aliter quàm dialecto differens ab Hebræa.

Non dubito, quin de cauſa connexionis Ægyptiæ & Armenæ cogitaveris. Credibilius putem, ex Armenica terra ampla in Ægyptum coloniam ductam quàm contra. Sed tu rectiùs ſtatues.

Specimen conſenſus vocum Armenarum cum Germanis plurimis, gratiſſimum erit, ubi tibi vacaverit; tum etiam, quid de cauſa conjicias. Equidem Germanicos populos olim ad Pontum Euxinum latè habitaſſe certum eſt. Perſicam multum cum noſtra commune habere ajunt: mihi tamen conſenſus opinione minor viſus eſt.

Non dubito, quin magno ſtudio Ægyptia vocabula ex antiquis collegeris. Memini notare me olim, Βαιὴθ Ægyptiis accipitrem fuiſſe, & χρὺβ aurum. Videbis, an tale quiddam invenias in Armeno. In *jergins*, Armeno, id eſt, in cœlis, conſenſus quidam apparet cum Græco

Digitized by Google

ὀυρανὸς ; ut & in arcchajuthiun regnum , quæ in oratione dominica noto.

Cum inter alios uſus cognitionis linguarum, ille non ſit infimus, ut judicari poſſit de populorum originibus & migrationibus; inprimis noſſe velim, quid ea de re ſtatuas. Mihi fateor valde probabile videtur, etiam noſtros ex Scythia veniſſe. Mirum interim eſt, quòd linguæ populorum vicinorum ſæpè adeo diſcrepant; ut noſtra à Slavonica, Armena ab Arabica. Suſpicor, gentes intermedias fuiſſe extritas.

Fuere apud nos nuper duo Armeni, unus ſenex, qui ſe dicebat Archiepiſcopum *Coctanenſem*, alter ejus comes ætate vegeta, qui te vidiſſe ante complures annos ajebat: quod & credo. De cætero narrationes hujus mihi non videbantur ſinceræ. Variabat enim, & diverſa diverſis narrabat. Senem illum ajebat libros in Batavis excudi curaſſe: mox dictitabat typographum cum omni apparatu in Armeniam ducere conſtituiſſe. Monſtrabat & librum impreſſum Lingua Hiſpanica, in quo Archiepiſcopus ad Reges Armenos genus referebat. Ipſe ſenex ex noſtris linguis nullam callebat; unde muta cum ipſo converſatio erat.

[Dn. *Acoluthus* obiit, antequàm ſuam diſſertationem de conſenſu linguæ Armenæ & veteris Ægyptiacæ ederet. Et re diligentiùs excuſſa, cùm Berolini collocuti eſſemus, nihil admodum firmum ab eo afferri apparuit, quod in vocibus ſimplicioribus elucere debuiſſet. Linguam Copticam (quicquid ipſe contra *Kircherum* dicat) ex vetere Ægyptia & Græca (admiſtis nonnullis Arabicis) conflatam, non eſt dubitandum. Interim *Kircherum* non magnum operæ pretium feciſſe in Ægyptiacis, docti agnoſcunt. Plura & meliora daturus erat *Theodorus Petrejus*, cujus Manuſcripta Coptica in Bibliothecam Regiam Berolinenſem ſunt delata. Armenæ literaturæ magno nunc ſtudio incumbit *Lacroſius*, hodie Berolini degens, vir magnæ multæque doctrinæ, inter Regios Bibliothecarios cooptatus : & jam Lexicon concinnavit, daturus huic linguæ beneficium, quod Æthiopicæ *Jobus Ludolfus*, de republica literaria meritiſſimus. Copticam ex monumentis Vaticanis illuſtraturus erat *Guilielmus Agathemerus* (Bonjour) ex ordine Eremitarum S. Auguſtini; Sed eum nunc in longinquo itinere verſari ajunt.]

LEIBNI-

Digitized by Google

LEIBNITIANA
EXPOSITIO JURAMENTORUM
LUDOVICI GERMANICI ET CAROLI CALVI REGUM POPULIQUE,

Linguâ provinciali, ſive Gallicâ recentiore, & Theotiſcâ concepta.

Per vetus monumentum ad Alemannicæ & Gallicæ linguæ antiquitates ſpectans.

Ex Annalibus G. G. Leibnitii ad ann. Dom. 842.

» FRatres apud Argentarias congrediuntur; hodie Strasburgum vocant.
» Et quia amici verebantur, ne diſſidia inter eos *Lotharius* ſereret,
» placuit ſacramentis publicis firmari fœdus. Convocato omni populo,
» *Ludovicus* prior ad ſuos concionem habet, pauciſque Teutonico ſer-
» mone: Noſtis, inquit, internecinis fratris *Lotharii* odiis nos peti, cujus
» ambitionem neque ſanguinis vinculum, neque Francicæ gentis ſalus, ne-
» que Chriſtianæ Reipublicæ neceſſitates morantur. Coacti rem ad judi-
» cium Dei detulimus, quo & victores extitimus; ille victus cum ſuis,
» quo voluit, receſſit: nos Chriſtiano ſanguini parcentes, à perſequendo
» deſtitimus. At ille iterum in nos hoſtiliter inſurgit, fideles noſtros ſub-
» ditos rapinis, incendiis, cædibus vaſtat. Nunc ſibi blanditur, aliis ſpem
» metumve injicit, poſſe nos disjungi. Nos ergo obviam ituri falſæ per-
» ſuaſioni, in conſpectu veſtro perpetui fœderis ſacramenta invicem da-
» bimus, non privatæ utilitatis noſtræ, ſed publici boni communibus viri-
» bus tuendi cauſa. Quod ſi fidem feſellerimus, ego vobis hominibus
» meis, *Carolus* ſuis, poteſtatem damus, ut juramentis abſoluti ab eo, qui
» fœdus violaverit, diſcedatis. In eundem ſenſum *Carolus* ad ſuos Romana
» lingua peroravit.

» Inde jurarunt *Ludovicus* Romanè, *Carolus* Teutonicè, ut quiſque à
» fraternis ſubditis intelligeretur. Utramque formulam eodem ſignificatu,
» conceptis verbis ex *Nithardo* exhibebimus interlineariter colligatam, quia
» ſibi verbotenus reſpondent, & ipſo paralleliſmo illuſtrantur.«

JURAMENTUM REGUM.

PRO DEO AMVR ET PRO CHRISTIAN POBLO
IN GODES MINNA IND THES CHRISTIANES FOLCHES

ET NOSTRO COMMVN SALVAMENT, DIST
IND VNSER BEDHERO GEALTNISI FON
[utriuſque, beider] [gehaltnis, conſervatio] [ab

DI EN AVANT, IN QVANT DEVS
THESEMO DAGE FRAMMORDES SO FRAM SO MIR GOT
iſto] in antea, ferner fort ſo fern als

SAVIR ET PODIR ME DVNAT; SI SALVA REIO
GEWIZZEI INDIMADH FVRGIBIT SO HALT IH
ſcire & poſſe, macht donat, dat ſic ſervo, ſervabo

CIST MEON FRADRE KARLO ET IN ADIVDHA
*THESAN MINAN BRVODHER * * * **
hunc & in auxilio

ET IN CADHVNA COSA SI CVM OM PER DREIT
** * * * SO SO MAN MIT REHTV*
& in qualibet cauſa ſic quomodo homo mit recht, jure
ſo als, comme

SON FRADRE SALVAR DIST IN O QVID IL MI
SINAN BRVODHER SCAL IN THIN THAZ ER MIG
debet in eo quod ille mihi
quantum

ALTRE SI FARET ET AB LVDHER
SO SO MA DVO INDI MIT LVDHEREN
als-so, viciſſim in faciet & à Lothario
eben ſo contingit facere cum

NVL PLAID NOTHEINNI NVNQVAM
IN NOTHEINVI THING NEGE
in nothin placitum
nullum (Anglis nothing) tractatum

PRENDRAI QVI MEON VOL CIST MEON
GANGO ZHE GEGANGO MINAN WILLAN IMO [ipſi]
ſumam quod mea voluntate huic meo
inibo

FRADRE KARLE IN DAMNO SIT.
** * CE SCADEN WERHEN.*
fratri Carolo zu ſchaden wäre.

» Porrò populus ſua quiſque lingua ita juravit: Ludoviciani Teutonicè,
» Carolini Romanè.

JURA-

JURAMENTUM POPULI.

OBA KARL THEN EID THEN ER
SI LODHWIGS SAGRAMENT, QVE
si Karolus [Ludovicus] juramentum quod

SINENO BRVODHER LUDHVWIGE GESVOR GELEI-
SUN FRADRE KARLO JVRAT, CON-
ſuo fratri Ludovico [Carolo] juravit

STIT IND LVDHVWIG MIN HERRO THEN
SERVAT ET KARLVS MEVS SENORA DE
ſervat & Ludovicus [Carolus] meus Dominus quod [à

ER IMO GESVOR, FORBRIHCHIT: OB IH INA NES IOV,
SVO PART NON LOSTANIT SI IO
ipſe ei juravit violat ubi ego eum avertere
ſua parte non tenet]

[AR]WENDEN NE-MAG; NOH IH NOH THERO
RETVRNAR NONLINT POIS NE IO NE NEVLS
[détourner] inde non poſſum neque ego neque illi

THEIN IH ES IRRWENDEN MAG IMO CE FOL-
CVI IO RETVRNAR INT POIS IN NVLLA
quos ego avertere inde poſſum ad ullum zu Folleiſ-

LVSTI WIDAR KARLE NE WIRDHIT.
ADIVDHA CONTRA LODHVWIG NON LI IVER.
auxilium non erunt [ibunt.]
tung, hulſe

» Antiquiſſimum hoc eſt linguæ Gallicæ monumentum, & ejus ſeculi unicum. Germani vetuſtiora non tantum *Moeſo-Gothica*, ſed & *Francica* & *Allemannica*, etſi horum non multa, habent. Primus hæc juramenta *Bodinus* edidit; ſed neque ipſe neque alii, ad *Freberum* uſque, rectè interpretati ſunt. Hic ipſe in nonnullis utriuſque linguæ hæſit, quæ tandem videor expediſſe. Teotiſcæ formulæ ad ſuperioris Germaniæ Dialectos propius accedunt. Errant enim, qui hic aliquid Friſio proximum ſtatuunt. Francos, Bajoarios, Suevos, hîc agnoſcas, ſed non diſcernas. Cæterum haud ſcio, an non alicubi in montium angulis extent, quorum ſermo retinuerit quemdam tantæ vetuſtatis colorem. Antiqua Gallorum Romanè loquentium lingua, quam nobis *Nithardus* ſervavit, in Provinciales magis ipſosque Italos vergit: unde quotidie magis magiſque diſceſſit, ut Itali à Latino libenter aberrant. Memorabile

» bile eſt, populum à Domino, ſi fidem falleret, juramento abſolutum;
» nempe, hactenus tantùm: nam hanc reſtrictionem continent ipſa popu-
» lorum ſacramenta. Et diu adhuc, cum pene ad ſummum perveniſſet
» Principis autoritas, in Gallia Reges non rarò ea lege pepigêre, ut bella
» contra datam fidem moventibus vaſalli auxilia impunè negare poſſent.
» Annales addunt, tranſeundi ad læſum hîc ſubditis factam poteſtatem.

Digitized by Google

EXCERPTA
EX ALIQUOT EPISTOLIS
Cum V. Cl. GERARDO MEIERO apud Bremenſes Theologo communicatis.

Ex Epiſtola *Meieri* (*a*) ad D. *Leibnitium* ann. 1696.

Ex Otio Hanoverano Felleri.

SIkius Bremenſis *Alcoranum* vertendum ex Manuſcriptis, quæ multa poſſidet, recepit meis hortatibus. Opus conſtabit duobus voluminibus, quorum prius ipſam verſionem proferet; alterum quod ſequetur cum tempore, commentaiios Arabum in *Coranum*. Prior pars ſex intra ſeptimanas perfecta typographo extradetur.

Reſponſum G. G. LEIBNITII *ad litteras* MEIERI.

DOmini *Sikii* veſtri laudabile eſt vertendi *Corani* inſtitutum, cui parem eſſe non dubito, te præſertim probante; quanquam conſultum ſit etiam doctiſſimos alios conſulere in re, quæ meritò habetur magnæ difficultatis. Itaque valde velim cum *Acolutho*, egregio apud Uratislavienſes viro in his litteris, communicare poſſit, cum quo ſubindè D. Abbas *Molanus* literas commutat. Nam ille ipſe diù hæc agitavit, & omninò conjungi operas intereſt ad operis peiſectionem. Quod Romanum opus attinet. P. *Maraccius* ſenex diù jam verſionem, & notas in Alcoranum molitus eſt, & notæ dicuntur illuſtrare textum ex Arabum commentariis. *Innocentio XI.* diſplicuerat inſtitutum, verenti, credo, ne de Turcis mollius ſentiremus. Poſtea Cardinalis *Barbarigus* Patavinorum Præſul perdoctus, editionem procurare in ſe recepit, quæ etiam ſic ſatis proceſſit. An abſoluta ſit nondum intellexi, nec quicquam de nova prohibitione audivi.

 Fieri

(*a*) Venerat fortè *Mejerus* Hanoveram ad inviſendum D. *Molanum* Abbatem Luccenſem, ibi notitiam cum D. *Leibnitio* contraxit, ab eoque ad Philologiæ Germanicæ ſtudium incitatus eſt: Domum itaque reverſus, animum ad illud applicuit; ſucceſſu verò temporis ad *Grammaticam Germanicam*, & *Gloſſarium Saxonicum* componendum, ſelectarum rerum copiam undique conquiſivit, atque ex inſigni apparatu exactius quid daturus fuiſſet, niſi inopina mors laudabiliter cœpta interrupiſſet: *Eccardus in præf.*

Fieri tamen poteſt, ut a Cenſoribus præfatio in indicem expurgatorium ſit relata, zelo quodam præpoſtero interdum in congregationibus prævalente, ubi numero ſuffragiorum res deciditur, ſæpeque pars maxima meliorem vincit.

Magnum OPUS TUUM non poſſe tam ſubitò procedere, quàm optaremus, non miror. Tempore opus eſt optimis quibuſque fructibus, ut matureſcant. Vide, quæſo, quantum ſtudii contulerit *Menagius* ut magnum Etymologicon fundaret. Videris mihi animo tanto majora complexus, quanto longiùs Teutonica diffunduntur, altiuſque aſſurgunt in antiquitatem.

In adverſariis meis reperio Bibliothecam Sereniſſimi Haſſiæ Landgravii Caſſellis habere *vitam S. Marchionis Wilhelmi* ante 300. aut 400. annos rhytmis Germanicis ſcriptam. Is non eſt alius meo judicio, quàm *S. Guilielmus Dux Aquitaniæ*, [cujus vitam nuper quidam Jeſuita edidit] tametſi narratio poetæ mihi fabuloſa viſa ſit: ſed de eo non agitur.

Saxones nondum fuiſſe in ciſmarinis tempore *Taciti*, fortaſſe ex ejus ſilentio concludat aliquis, neſcio tamen, an ſatis tutò cùm meminerit *Ptolemæus*: quanquam nec tu id dicas, & videaris potiùs ex ipſo *Tacito* affirmativum admigrationis indicium eruiſſe. *Cluverius Foſos Taciti* pro Saxonibus habet, non ſatis probabiliter meâ ſententiâ. Quantum judicari poteſt, *Saxonicum nomen latiùs ſub Romanis poſterioribus accipiebatur*, eoſque comprehendebat, qui poſtea *Normanni* ſunt dicti, atque adeo & *Danos*.

Ex G.G. LEIBNITII *Epiſtola ad* G. MEIERUM. 1696.

TIllingii diſſertatio de corporum *cohærentiâ* grata erit. Ego multum de hoc argumento ſum meditatus: nam intima naturæ corpora attingit. Adoleſcens olim credideram non poſſe explicari, niſi ex peculiari voluntate divinâ, & diſſertationem ea de re meam (*b*) a *Spenero* acceptam *Spizelius* inſeruit ſuæ cuidam ad *Reiſerum* epiſtolæ editæ contra Atheiſmum. Nunc tamen potiùs eo inclino, ut putem ex naturæ legibus poſſe explicari, quanquam hæ ipſo a Deo proficiſcantur, nec ex ſolis principiis mathematicis naſcantur.

Tecum ſentio proximos Oceano fuiſſe *Ingævones*, *Herminones* verò [ſive Germanos, ut ego arbitror,] fuiſſe mediterraneos, Romanis notiores ſcilicet, qui versùs Rhenum, unde ab his Galli & Romani omnibus ejuſdem linguæ populis nomen dedere. Sed eo inclino, ut *Iſtævones* potiùs ſint Orientales, quàm Occidentales, & potiùs deriventur ab Eſt, quàm Weſt, ut Iſtria, *Oſterreich*, Auſtraſia, *Oſterland.* Nam etiam demtis *Ingævonibus* & *Herminonibus* reliqui Germaniæ populi ſpectant Orientem. Hiſpania antiquis ut hodiernis *Spania*, ut τὸ *His* tantùm a pronunciandi ratione

(*b*) Vid. Confeſſionem Naturæ, contra Atheiſtas in Tom. I.

tione natum videatur: ut *ſtör* dat *eſtourgeon* [*ſtör* idem quod magnum] *pfluctlen*, *eſplucher*, *ſpalla*, *eſpaule*.

De *demonſtrationibus Carteſianis exiſtentiæ Dei* aliquoties expoſui ſententiam, in Actis Lipſienſibus, videri mihi aliquid deeſſe ad abſolutam ἀπό-δειξιν. Primus *Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus in libro contra inſipientem*, ſeu contra atheum hoc argumentum protulit, a priori, ſeu ideâ ſive definitione ſumtum, quod renovavit *Carteſius*, & ante ipſum *Thomas de Aquino*, & alii ſcholaſtici examinarunt, quanquam mihi *Thomas* de eo non ſatis accuratè judicare videatur. Vis ejus huc redit, quòd exiſtentia ſit de eſſentia perfectiſſimi ſive maximi, & ex ejus definitione ſequatur, cùm plus contineat exiſtere, & exiſtentia ſit perfectionis genus, ideo exiſtentiam enti perfectiſſimo eſſe tribuendam. Atque hæc quidem conſequentia mihi videtur veriſſima, modo concedatur antecedens, nempe eſſe quamdam poſſibilem eſſentiam Entis perfectiſſimi ſeu maximi. Itaque Deus hanc habet prærogativam, ut ex ſolâ ejus poſſibilitate ſequatur, & ejus exiſtentia, quod de aliis rebus dici non poteſt. Ut ergò ad abſolutam demonſtrationem res perducatur, *demonſtrandum eſt*, *hoc Ens eſſe poſſibile*. Interim cùm unumquodque poſſibile præſumatur, donec probetur contrarium, hæc ipſa demonſtratio magnam ad perſuadendum vim habet.

Neſcio, an videris *diſſertationem de linguâ Danicâ ab Ottone Sperlingio Hiſtoriographo regio editam.* Videtur mihi non malè *Verelio* & aliis ſe opponere, qui ex Suecicâ linguâ nobis Gothicam vel Scythicam effingunt. Malim ego *ſcapham* ſcapham nominari, ſalvâ interim libertate conjiciendi.

Thius antiquam vocem Germanicam, ſignificare populum optimè notas. Smalandiam in Scandinaviâ, olim κατ᾽ ἐξοχὴν dictam *Thiutland*, ſi probari poteſt, memorabile fuerit Scriptores ipſi Scandinavii ſolent nimium velificari honori ſuæ gentis, unde meritò ab ipſis probationes exiguntur. Ego, etſi probabile putem Scandinaviæ Germanos à cis Balticis ortum ducere, puto tamen eos rurſus poſterioribus temporibus colonias in Germaniam noſtram miſiſſe, & ut hodiè Jutas, ita olim quoque Saxones cognatos cum Danis & Suecis populis fuiſſe, etiam linguâ rem confirmante.

Ex Epiſtola MEIERI *ad* LEIBNITIUM 5. *Feb.* 1698.

Ex Leibnitii Collectan. Etymologic.

Nota. Obſervationes ad calcem paragraphorum *Mejeri*, Italico caractere deſignatæ, ipsâ *Leibnitii* manu exaratæ fuerunt.

NOlo diſſimulare cauſam taciturnitatis fuiſſe novos quoſdam impetus proficiendi in opere meo Etymologico. Dici enim nequit, quàm mare ingredientium ritu, magis magiſque dilatetur hic Oceanus.

 Rectè

Rectè feciſti, quòd meas ad Ampliſſimum *Ludolfi* tranſmiſiſti. Fructum tuæ benevolentiæ, uti noſti, jam recepi. Vides enim eum promtum eſſe facilemque ad communicanda nonnulla ex ſcriniis ſuis. Quod dubitas, an non fortè labor meus nimiùm arctos intra limites conſiſtat, ut Thuringicorum vocabulorum minor mihi uſus ſit, reſpondeo, ita ſub manibus creviſſe opus meum, ut jam non Gloſſarium Linguæ veteris Saſſonicæ, ſed integrum Lexicon Etymologicum parare videar. Proderunt itaque ſingula, quæ ab amicis collecta & obſervata unquam ſunt. Scripſi ad Ampliſſimum Dominum *Eibenium* Cellas, qui & reſpondit, & operam ſuam obtulit. Nec minùs favet ſtudiis meis Ampliſſimus Dominus *Schraderus*, miſſo ſtatutorum quorumdam ſeculi XIII. fine, exemplari ab *Ottone* Duce Cellenſibus præſcripto, quod cum gloſſa explicatoria remitto. Sequentur, (ita enim pollicetur vir Cl.) documenta alia. Ad Dominum *Bartholomæum Meierum* etiam ſcribo. Quæ Ampliſſimus *Ludolfus* in chartam conjecit, ea indicant, non proletarium hiſce ſtudiis tempus olim impendiſſe. Plura detegent vocabula Thuringiaca tranſmittenda. Qua occaſione dum Thuringorum mentio fit, miror Cl. *Winkelmannum* noſtrum alioſque Viros doctos ſe adeo laceraſſe torſiſſeque etymo vocis *Diringer*, *Deringer*, & uti in Chron. vet. Saſſonico ſemper exprimitur, *Dörringer*, planeque à neſcio quibus Doriis ex Græcia originem petiiſſe. Sanè etymologiæ analogia latet viros hoſce. Reſolvenda erat vox compoſita in ſua principia, quæ ſunt *durre*, *dorre*, ſiccus, ſiccior, & *ingen*, prata; & ex ipſa natura terræ primitùs cultæ, Thuringiacæ ratio denominationis patuiſſet. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ [*Dubito.*]

Nihil in lingua noſtra Saſſonica temerè, nihil confuſaneè poſitum eſt, ut verè ex noſtra lingua pateat, nihil confuſionis ei ex Babele adhærere. Habet inſtar ſolidarum ſcientiarum aliarum principia ſua prima, ex quibus, ordine methodoque γνησίως analytica, concluſiones, id eſt, denominationes rebus & earum intimis affectionibus conformiter deducit. Nihil hîc monſtroſum, nihil vi contortum, qualia in Latinis, Græcis &c. occurrunt. [*Ego fateor multum rationis in Germanicis vocibus tralucere, ſed perpetua rationalitas à nulla lingua à rudibus populis informata expectari debet.*]

Utinam conſpiciendi facultas daretur *Erici*, Germani Iſenacenſis, Ανθρωπογλωττογονίαν. Errat autor, ſi ex ſolis vocalibus voces formatas dicit [*hoc ille revera non dicit. Liber tunc nondum aderat.*] Revera in *t. k.* conſonis, *l. m. n.* liquidis & *r.* ſita eſt vocum pluri marum originatio; addo *ſt* quod ita eſt, ut dicis. Licet Becaniſet vel Rudbekiſet, vel etiam Skrikium ſequatur, debet nobis oſtendere tamen auctor aliqua non contemnenda, tum alia etiam quædam, quæ cogitationibus non uſitatis, nec formatis hactenus, occaſionem ſuppeditant.

Quòd ſi præterea *Ericus* ex Græcis fontibus aquas ſuas derivat, quàm neceſſe eſt, ut laterem lavet. In eo planè a partibus ſum, ut noſti, Cl. *Ludolfi*, ut ne ex conſobrinis matrumque filiarumque dependentias faciam.

ciam. Nec vero putem, dicendum eſſe, noſtra ex fonte Scytho-Celtico emanare. Eſt enim ipſa hæc noſtra lingua *Scytho-Celtica* (vel cùm idem ſint in fundamento hæ duæ dialecti.) Unde rectè *Tacitus indigetes* vocat populos *noſtros*, ex oriente, communi gentium vagina, cum aliis Scytho-Celticis populis oriundos; niſi quod Islandi & Norwagi &c. in frigido ſeptentrione ſubque torpido cœlo ſiti; ab invaſionibus permixtionibuſque cum aliis extraneis gentibus fuerint conſervati, quæ permixtio in noſtras haſce terras aliquid turbatum videtur invexiſſe; quod tamen tanti putandum non eſt, ut ideo imperfectionis arguatur lingua ipſa. Radices ſaltem in ſeptentrionalibus à nobis perditæ, revindicari poſſunt. [*Si ponamus, habitatores Europæ ex Oriente veniſſe, & primas migrationes terræ fuiſſe factas, credibile eſt primos Græciæ & Germaniæ habitatores ex Scythia veniſſe, & Gallos eſſe propaginem Germanorum. Quæ Germanis, Aremoricis & Latinis communia ſunt Celtica voco, quæ etiam Græcis, vel etiam Sarmatis, interdum etiam Fennis & Turcis voco Scytho-Celtica.*]

Quæris, ubi *Giſebertus* mecum ὁμόφρονος ſit ratione Saxonum. Reſpondeo, in periculo ſtatutorum pag. 12. ubi ita inquit, & rectè: De Saxonum, vel Sachſonum, vel potiùs Saſſonum & Satorum genuino populo vix dubito, ſecundùm dicta E. 38. 39. (vide & F. nu. 41. 42.) nomen accepiſſe à verbo Teutonico *Satz*, unde *Landſatz*, *holtſatz*, *inſatz*, *wurdſatz*, quod intermedii Teutones *Saſſen*, ut Landſaſs &c. dicunt, antiquiſſimo Teutonum uſu. Rectè doctèque: imò hæc mea de Saſſonum ſeu Satorum gentis vocabuli originatione adeo fundata eſt ſententia, ut, qui in contraria abeunt, prima inficientur principia Etymologica, inter quæ hoc eſt: Nempe, *vocis alicujus gentilis derivationem non ab extraneis* (quoniam hi ſemper voces peregrinas ad ſuam dialectum inclinant) *ſed à populo ipſo, qualis ab ipſomet vocitetur & exprimatur, eſſe petendam.* Sic dicimus *Saſs*, *Satz*, *boldſaſſen*, *wurdſaſſen*, (*wurdſati*, *wurſſers*) *morſaſs*, *morſatz*, uno ab urbe lapide. Cogita præterea, quid ſit vocari *Oſtſaſs*, *Weſtſaſs &c.*

Gaudeo, quòd Domino *Sparwenfeldio* commendaſti atque laudaſti *Sikium* noſtrum. Parat is Alcoranum, id eſt, verſionem cum textu, & Commentariorum vaſtum corpus. Monui, *Acoluthum* exiſtimare impoſſibile eſſe factu, ut pauxillo annorum tempore myſteria libri intelligantur. *Sikius* è contra exiſtimat, non eſſe tantæ molis hoc conamen, putatque, ſe orbi erudito facturum ſatis. Gaudeo, etiam *Acoluthum* vivere, & valere.

Nunc pergo ad diſſertationem tuam Germanicam de lingua Germanica, [*adjicitur huic collectioni*] qua conſultas inque media inquiris, quibus ritu aliarum gentium doctarum, etiam noſter ſermo patrius ad ἀκμὴν ſuam perveniat. Sanè quicquid hîc inſtituis, quicquid in medium adfers, illud non ad proletarias pertinet cauſas. Quæ enim lingua elegans vaſtaque magis eſt, quàm hæc noſtra? Verùm enim, quod *Plinius* de ſuis, idem nos de noſtris meritò temporibus querimur; nempe, *aliarum rerum*

T 3 *curio-*

curioſos, negligentius proprias divitias habere. Neque tamen deſpondendus eſt animus, ſperandumque locum inventura apud doctos luce exorta, quæ eleganter ſanè diſſeris. Egregia ſunt, quæ in veſtibulo de lingua noſtra affers, v. g. §. 5. quomodo voces non tantùm idearum noſtrarum, ſed & rerum ipſarum ſint imagines; quo videlicet reſpexerunt majores noſtri. Sed Aborigenes, primique mortalium, dum in lingua noſtra ad res ipſas abiverunt, & ab ipſis mutuati naturales ſonos, quibus animalia v. g. vel homini, vel ſe ipſa inter ſua propoſita adaperiunt, eoſdemque retinuerunt; quod in vocibus animalium, avium, inanimatarum, imò rerum ſono imitato, v. g. vento, tonitru, fulgure, *blits* &c. patet. Sanè non occurrit alius ſermo exterus, qui id in omnibus adeo accuratè, quemadmodum noſtrum idioma, obſervaverit. Loquutus ſum eo fine cum piſcatore quodam, viro non obtuſi ingenii; & colloquendo in nomina piſcium & etymologias nominum inquiſivimus. Nec verò ullum occurrit nobis, quod non ex piſcis hujus vel illius natura & adfectione erat depromtum. Nunc progrediar ad varias navium ſpecies; inde ad mechanicorum organa.

Pergis, & cum ratione argumentaris, facile eruditis fore, cogitata ſua artiumque & ſcientiarum terminos vernaculis vocibus exprimere. Quod enim opificibus, ratione artis terminorum, adeo feliciter ſucceſſit, quid ni & doctis; inprimis cùm lingua noſtra hoc habeat cum Græca commune, ut componere ſimplicia variis modis liceat, & in componendo omne, quod aſperum eſt, lævigare.

Quam gaudeo, te mihi ὁμόψηφον eſſe ratione vocabulorum in claſſes, conformiter rerum differentiis, diſtinguendorum. Sic enim licuit mihi cauſas vocum oſtendere & principia; quæ omnia & ſingula ad claſſem aliquam pertinent, & recondità quadam ſapientia vel à qualitate, vel à quantitate, ſitu, figura accerſita ſunt; quo & pertinet origo variorum nominum, eidem rei ob plures ſcilicet proprietates accidentiaque, impoſitorum.

Quæ adfers §. 14. de Fanaticis, vel myſticæ, qualem vocant, Theologiæ cultoribus, & vocibus quibuſdam ab ipſis inventis, ea placent equidem; ſed illud culpo, quod vice vocum, à Spiritu Sancto ipſo in Codice ſacro expreſſarum, & divina induſtria à *Luthero* in Germanicum converſarum, quas non oportebat rejectas, phraſes vocabulaque Myſticorum prævaluerint; & verò ſpirent aliquid ſignificentque perfectius, quàm quod in mortales nos cadat, cumque imperfectionibus componi noſtris queat. Interim fateor, v. g. vocabulum *gelaſſenheit* elegans eſſe.

§. 15. Præcipuum linguæ defectum adducis ratione vocum, ſcilicet, quæ exprimant vitæ civilis inſtituta, animorumque παθήματα. Verum hoc eſt: ſed aliter fieri non potuit, quia aurea fuerunt ſæcula, quibus linguæ noſtræ jacta ſunt & compoſita fundamenta. Simplici in ſocietate vivebant: paternæ erant præfecturæ. *Nimrodi* & Tyranni dominatoreſque, increſcentibus vitiis,

Digitized by Google

vitiis, primùm exorti ſunt. Ut adeo neceſſum ſit, præprimis, quoniam & noſtri majores in ſimplicitate primæva moribuſque caſtis vixerunt, mutata rerum facie, de accommodatis nominibus cogitare. Soleo ego mirari, quomodo in univerſa lingua noſtra nullum exſtet reperiaturque vocabulum, quod in ſe & in ſua natura vitium vel defectum aliquem moralem notet; quod ipſum argumento eſt, linguam noſtram cum ipſis primis mortalibus eſſe inſtitutam, eſſeque vetuſtiſſimam dialectum, qua primi mortales ſint loquuti.

§. 32. Egregio occurris conſilio, qua ratione vocum omnium collectio univerſalis ſit inſtituenda. Quo in conſilio tuo meritò acquieſco; niſi quod hoc velim in partem venire, annon ex variis dialectis, v. g. *Hochteutſch*, *Holländiſch*, *Altsächſiſch*, una ſit præeligenda, ſecundùm quam exprimatur vera vocis orthographia congruè pronunciationi. Ita enim adverto, aliam præ alia dialectum Germanicam, matris ſibi jus meritò tribuere. Neque enim lingua Germanica ſuperior ad hoc adhiberi poteſt, utpote ex Saxonica noſtra veteri progenita: cujus veritatis hoc argumentum eſt confirmatorium, quod radices vocum Germaniæ ſuperioris ex lingua Saxonica peti debent, inque hac ſola reperiuntur. Quo itidem fit, quod mirè hallucinentur, qui in ipſa dialecto ſuperioris Germanicæ linguæ quæritant radices: v. g. *porta* Germanis ſcribitur *ein thor.* Malè! Scribendum erat & pronunciandum, quod nos facimus *eine dör*, à *dor*, [durch] per. [*Sed* d *&* th *facilè permutantur*, *nam & Græcis* θύρα eſt *thüre*, janua, porta.] Talia occurrunt paſſim: ita v. g. *Spat. Lex.* 681. rubrica *Bargegeld*, pretium pro bonis naufragorum, addit: meliùs diceretur *borgegelt*, à *borgen*, conſervare, cuſtodire. Reſpondeo: hoc fit, quia *Spate* radicem vult ad dialectum ſuam referre, quæ exſtat in noſtro Saſſonico. Nos enim dicimus *bargegelt*, nempe à *bargen* defendere, *verbargen* tueri [*Res ad idem redit.*] Debebat ergo in lingua Saxonica veteri & hodierna inferiori, primum Lexicon ſeu Dictionarium univerſale ſcribi.

Vero conſona ſunt, quæ porrò ſcribis, §. 43. debere videlicet Latinam linguam Germanicæ non parùm; idque clarè patet ex mille vocabulis, quorum rationes nullas comminiſci unquam poterit Latinus, quæ apud nos in aprico ſunt. Quo fine velim ingrediatur Vir doctus in Lexicon aliquod Latinum, v. g. Fabro-Buchnerianum, & meditetur origines vocum juxta Alphabetum collocatarum; & mirâ jucunditate perfundetur, cùm ex noſtra lingua, (quanquam mira quadam confuſione, ut erat plebs promiſcua, quæ in Italia condidit populos & regna) voces videbit Latinas exortas. Verùm enim res hæc à nemine penetrari poteſt, niſi qui juxta principia mea indagaverit: juxta quæ *abacus*, *amygdalum*, *adamas &c.* facilè ad noſtra vocabula reducuntur. [*Ego hic nonnihil hæreo.*]

§. 44. Pergis ad Græcos, & cum doctis ſentis, eaſdem eſſe Græcorum, quæ Latinorum origines, nempe Danubianas. Unum addo, quod meditanti occurrit, nempe non vocabula tantùm ex noſtra lingua eſſe petita,

ſed

Digitized by Google

ſed & eamdem apud Græcos dialectorum varietatem, quæ apud nos eſſe, v. g. *au*, *o* &c. *a*. *e*. *ei* &c. Sed & ignorat Græcia origines ſuas: filia enim eſt Scytharum & majorum noſtrorum. A nobis hæreditates, à nobis ſupellectilia omnia peti debent.

Mirè porrò placent, quæ ſequuntur, §. 45. quòd etiam ſeptentrionales & *die Nord-Teutſchen* ad nos pertinere exiſtimari debeant. Sanè enim magis magiſque abeo à ſententia, qua credidi, ex ſeptentrione nos veniſſe in terras noſtras. Aborigines enim ſumus, (ita enim vox *Aborigines* capi debet, ut denotet populum, qui alii originem fecit, quod confirmat locus *Plinii* l. 42. quando Tyrios vocat aborigines Gadium, quia Tyrii ortum præbuêre Gadibus: Gades enim condidere. Aborigines, id eſt, indigetes, ſed certarum aliarum gentium parentes. Confirmor in hac mea opinatione, quia noſtri majores, & qui ex Romanis apud ipſos, ut *Tacitus*, *Plinius* &c. commorati ſunt, nihil, quid trans Codanum ſinum tranſque mare Germanicum, vel continentis, vel inſularum, vel marium, vel populorum eſſet, compertum habuerunt: quod fieri non potuiſſet, ſi ex ſeptentrione emigraſſemus; cùm è contra Septentrio noſtros Deos, noſtra ſacra, modos colendi, leges conſuetudinarias, imò noſtras, obſervet. [*Mihi* Aborigines *ſunt, non qui originibus carent, ſed quos aliunde veniſſe, nulla memoria eſt.*]

§. 48. Id dicis, quod ad veritates antiquitatum noſtrarum pertinet; ſcilicet apud Germanos origines rerum Europæarum potiſſimarum eſſe quærendas, *bey uns iſt der Urſprung und brunnquelle des Europaiſchen Weſens groſſen theils zu ſuchen.* Ex noſtris patet, quid ſit *Marchio*, *Comes*, *Dux*, *Nobilis*, *Eques* &c.

Adducis præterea eadem & ſequenti paragraphis, quàm inveſtigationes vocabulorum multis iiſque doctis contemplationibus anſam præbeant. Sanè & hoc verum eſt. Ex quo enim tempore huic me ſtudio, *tuis perſuaſionibus potiſſimum*, addixi, dicere poſſum, nunquam me jucundiùs, (ut in talibus nempe) horas ſæpe tranſegiſſe. Adeo voluptuoſa eſt & deliciarum plena conſideratio & inveſtigatio intimior vocum. Quod verò exemplum à te adductum attinet, nempe vocis *Weld*, *Werelt*, in eo veniam dabis, quòd non adſentiar. Ingenioſa equidem ſunt, quæ adducis. Sed quæ mea deſuper ſententia ſit, audi paucis.

Soleo igitur in voce aliqua, cujus origo eruderanda eſt, conſiſtere ita, ut primùm omnium ex variis dialectis vocis pronunciationes ſive orthographiæ variæ, & deinde ex collatione verior pateſcat. Idem factitandum eſt cum voce *Weld.* Verum eſt, quod ais, majores noſtros ſcripſiſſe & pronunciaſſe *Werelt*, ſed cum accentu ſupra primam ſyllabam acuto, ut ſit *Wäreld*, vel, uti ego ſcribo, *Werelt.* Sed & ſcripſerunt *Wer-old*: ſcilicet ita exſtat apud Otfridum *Worold*; & *Werold* eſt Belgis ſæculum, à *Weorulde* ſæculum ſcil. veteribus, mundi ſenectus. In Pontani Gloſſario habemus *Werolti* in ſæcula. In Paraphraſi Bibliorum de æterno *Werend*, *Wernde*, ubi agit de pœna Lucifero dicta:

Got

Got ſi in die helle ſlis ,
Und ſeine volgere :
In jener Wernde ſwère
Iſt ingnade theurre
In dem heiſſen hellen veurre.

Hoc opere peracto , ſequitur , ut quàm maximè & commodiſſimè fieri poteſt , origo vocis accerſatur , non longè petita ea , ſed quam ipſa vocis ſcriptio & permutatio oſtendunt , exſerto velut digito. Reſolvo conſequenter hanc vocem *Wèrold* , & eſt *Wèren* durare , & *old* , id eſt , diu durare. Hinc in Paraphraſi eleganter *Welt* dicitur *in jener Werend* , id eſt , in futuro mundo damnatorum æternùm duraturo.

Hæc cùm pateant , tum in aperta luce poſitam ſententiam gentilium de mundo exprimunt. Sc. credebant , mundum ab antiquo , id eſt , æterno exiſtere & durare , & duraturum in ſæcula ; unde *Werold ſæculum* , & nos dicimus , *ſo lange de Welt ſteit* , expreſſuri durationem longiſſimam.

Adducis conſonam w , inque ea vim etymorum ponis , nempe notare poſſe motum aliquem & ſpirationem lenem. Reſpondeo : conſona w propriè non pertinet ad eſſentiam vocum ; hinc ab aliis populis omittitur , ab aliis præponitur ; [*Etiam radicales literæ ſæpe ab iis omittuntur , qui eas commodè pronuntiare non poſſunt.*] Quando verò præfigitur , notat aliquam vehementiam , ut in *Wetern* , *Werold* ; & in eô diſtinguitur à *Vau* , quod w notet , quid aſperius. Huc pertinet *Wráke* , *Wrangen* , wringen. Item vox irati & actio ejus , pro *ráke* vindicta , reken , Wrake , Wreken. [*Vehementia hic eſt ab adjecta litera canina.*] Patet idem in vocibus *Werre* , *gewerrel* , *gewél* , tumultus , *verwarren* turbare , *Warvelwind* ventus impetuoſior. [*Hic litera* w *non vehementiam indicat , ſed flexum , involutionem , motum circularem.*]

Quæritur porrò , an de rotundiori circumvolutione , mundo univerſo quicquam applicari ; an mundus univerſus , quatenus compages eſt , & ſyſtema univerſitatis creatæ , id eſt , cœli & terræ , dici poſſit rotundè globi in modum circumgyrari , & an hoc veteribus creditum ſit ? [Welt , *non ſolet nobis ſemper accipi de univerſo , ſed ſæpe de globo terrarum. Cæterum fateor mihi ſententiam Meierianam* , Welt , Wereld , *propriè eſſe ſæculum , & dici à durando* , wören , *non diſplicere.*] Sed finiendum eſt , plura proximè. Te nunc rogo , ut ſcripturam æqui bonique conſulas , nec faſtidium in legendo prolixam epiſtolam tibi obrepere patiare. *Bremis die 5. Febr. A.* 1698.

P. S. Quæſitum eſt olim inter nos , quod genus armorum eſſet *glavie* , *glevie*. Invenio vocem extare in Belgico & Miſnico , & eſt lancea , haſta , Gallis gladius ; a *glanz* ſplendor. *Gleave* , *glève* , & gladius idem ſunt. Pertinent ad Hergewède in ſtatutis Brunſvicenſibus aliiſque.

Ex reſponſione G. G. Leibnitii.

Neſcio, an ſatis tuta reſolutio vocum gentis *Duringer* in Dürn & *ingen* prata; cùm Ing ſæpe ſit terminatio tantùm ut in *Fläming*, *Bünting*. Thuringi non ſemper in regione illa habitarunt, quam hodie Thuringiam appellamus. Mirum foret, ſi nihil eſſet in lingua noſtra confuſaneè poſitum. Scis, quæ ſit vis in linguis uſus plebeii. *Ericus*, dum noſtra ex Græcis ducit, hactenus ſaltem prodeſt, ut conſenſum oſtendat utriuſque linguæ: nam utra altera prior, alia quæſtio eſt. Cùm de Scytho-Celticorum appellatione à me diſſentire videaris, dicam, quis mihi hîc ſenſus. Ego ſub Celtarum nomine comprehendo Germanos Galloſque veteres, atque adeo etiam, quod hodie eſt in Cambrica vel Aremorica. Quod ergo commune Germanico, Latino vel Cambrico, id Celticum mihi: Latino, inquam, quâ Græco differt. Nam Italiæ populi, qui non à Græcis vel aliis transmarinis, certè à Celtis venere. At Scythicum mihi potiùs, quod diffuſum per ſeptentriones, ſeu quod in pluribus ſeptentrionalibus, aut quod ſimul in ſeptentrionali lingua & Græca. Ut enim Latini à Celtis, ita Græci à vicinis Scythis. Quod ſi quid commune Germanis, Cambris, Sarmatis, Græcis; vel Germanis Latinis, Sarmatis, id mihi Scytho Celticum. Idem, ſi pro Sarmatis nobis Eſtones, Finnones, Hungari, Turcæ conſentiant.

Scandinaviæ Aborigines puto fuiſſe Lappo-Finnones, à Germanis deinde, maritima occupantibus, in loca remotiora pulſos. Nec dubito adeò, Scandinaviis, atque horum Colonis Iſlandis, quædam Fenno-Lapponica adhæſiſſe; neque illos adeò ſinceros arbitror, quàm ſibi videntur. *Aborigines* voco, quos ultra nullum eſt indicium aliorum habitatorum, quaſi origine carentes.

Probabilitate tua de Saſſonibus non carent; certi quid in tali quæſtione vix habetur. Axioma tutum non eſt, originem appellationis cujuſque gentis ab ipſa petendam. Imò ſæpe ab aliis nomina Nationibus imponuntur. Scis, Ungaros ſibi & Turcis eſſe *Magiares*, Tartaros & Sinenſes ea, quibus nobis noſcuntur, nomina non agnoſcere, præterea Saxones non tantùm vicinis, Romanis, Gallis, Francis, Wallis, Hibernis, ſed & ſibi ipſis non Saſſones, ſed Saxones dicti ſunt, ſuperantque in Anglia Middel-Sex, Eſt-Sex vel Eſſex.

Diſſertatiunculam meam extemporaneam *de linguæ Germanicæ cura* gaudeo tibi non diſplicere. Vellem aliquis, cui otium, hæc ampliaret illuſtraretve magis.

Quod de piſcium Etymis, collatione cum piſcatoribus habita, notaſti, egregium erit; & velim deduci per exempla. Mechanicorum organis & laboribus egregia nomina impoſuiſſe Germanos, oſtendunt res metallicæ. Et in hoc genere, & in univerſum in his, quæ ſenſibus ſubjiciuntur, regnant noſtri. At in abſtractis (qualia moralia & civilia) indigent adhuc cul-

culturâ & ſupplemento; in quo vellem nonnihil ab iis elaborari, ad quas ea res pertinet. Cauſa neglectus, quod, ex quo cultus genti acceſſit, civilia & abſtracta ferè tractavimus, tractamusque alienis linguis.

Malim ſine diſcrimine Dialectorum corrogari Germanicas voces. Puto, quaſdam origines ex ſuperioribus Dialectis melius apparituras; ut ex *Ulfilæ* Ponto-gothicis, *Otfridi* Francicis. De voce Werelt diſpiciemus amplius: nam Werolt & Werelt fortè ſola Dialecto differunt, ut Anholt & Anhalt. Non ita amplector meam conjecturam, ut non putem, & tuam habere probabilitatem; &, ſi à durando deſcendit, & ſæculum potius ſignificat, malim *Werend* & *Wereld* idem eſſe, omiſſo ſupervacuo illo *Old*.

Mihi videtur w minùs aſperum eſſe, quàm V vel F. Et ſanè cùm pronuntiatur *w*, labia minùs ſibi appropinquant, adeoque minore vi exprimitur ſpiritus. In *Wraeke* & ſimilibus violentia ab addito eſt, ut in Werre, ab *r* ſcilicet, ut in Windt à *dt*. Alioqui winden, wenden, wehlen, wühlen (verſare, movere), wollen, weiſen, weiſs, wiſſen, weſen, waſchen, wage, wegen, wimmeln, &c. nihil habent per ſe violenti, ſed plurimum motûs.

Ex Epiſtola MEIERI *ad* LEIBNITIUM, *Bremis* 12. *Octob.* 1698.

GLoſſariorum Magdeburgo accipiendorum ſpes mihi facta eſt per cognatum Dominum *Meierum* Pro-Cancellarium.

Subjungis, Dominum *Ericum*, cujus Anthropogloſſogoniam videre deſiderem, tibi dixiſſe Venetiis, Saſſoniæ inferioris dialectum ſibi videri antiquiorem Germanica ſuperiore lingua. Dico, id in univerſum verum eſſe: conferenti patet. Scilicet noſtra dialectus quàm proximè accedit veris vocum radicibus, eaſque retinet paſſim; demonſtraturque fruſtra eas quærentibus Saſſonibus ſeu Germanis ſuperioribus in ſuis Vocabulis, prout ea exprimunt; quod ſignum eſt deflexionis & corruptionis. Rectum verò antiquius eſt corrupto. Nec dubitare licet; cùm *Tacito* indicante, & comprobante omni hiſtoria, navibus in littora Germaniæ appulerint (*c*) ſaltem poſt diluvium, terrarum noſtrarum incolæ; quin Saxonum Friſonumque terræ priùs & antiquiùs fuerint habitatæ mediterraneis: confeſſumque eſt, noſtros Amiſim & Albim mareque intra concluſos Saſſones, in finitimas terras immigraſſe. Unum nunc exemplum cito vocis *Saxonum*: Saxen enim pronunciant Germani; nos verò non Saxen, ſed *Saſſen*, *Satz*, *ſitten*, *beſitters* regionis alicujus. Sed de eo latiùs agam mox edenda diſſertatione prima de origine vocis Saxonum (erroneè) rectiùs Saſſen, rectiſſimè *Saten*. Sed

V 2 &

(*c*) Imò potiùs dicendum antiquiſſimos incolas terrâ veniſſe, quia priùs homines ambulare, quàm navigare ſciverunt. Et difficillimum eſt magnum hominum numerum navibus transferre. *Nota Leibnitii.*

Digitized by Google

& confirmat ſententiam meam, quod omnium judiciis (*d*) Helvetica dialectus præ cæteris intemerata remanſit, quæ nobiſcum in mul is ratione enunciationis convenit, ut dín, mín, wiv, uxor &c. Sed & obſervandum eſt, quemadmodum & dialectum in aliis Saſſonicam, in aliis verò pronunciationem Germanis ſuperioribus uſitatam ſequitur Codex argenteus: ita & olim & hodie eaſdem gentes, inter ſe promiſcuè habitantes, diverſimodè enunciaſſe. Ita Saſſonica noſtra lingua dicimus *ók*, etiam; ſed & vicini noſtri dicunt *auk*. Ita nos dicimus *vlote* pagum ad Veſarim; ſed Weſtfali & pagani *vlaute*, *dón* facere ; *daun*. Unde pedetentim exſurrexit lingua ſuperior Germanica, quæ plena eſt diphthongorum, *auch* etiam, *buk* venter, *bauch*; *dón*, *daún*, *thún* &c.

Hevde, *caput*, eſſe ab elevando, patet inde, quia, ſi omnes, quæ centenæ ſunt, denominationes compoſitionesque inde ortas, percurras, omnes illæ indicant, quid ſupremum ſupra alia elatum; unde & nobis & Anglo-Saxonicum *Heven* cœlum. Quo pertinent *overhévd*, ſupremum omnium principium. *Hevd* an dem Waterſtrom (agger eminens, quo fluminum vis coërcetur) de hóvden, de hévden. artificialis portus ex aggeſtis molibus; *hevdlos hér*, exercitus capite deſtitutus ſeu rebellis. Statut. Friſ. It. capo *di latte*, coloſtrum, flos lactis. Hévdman, Hevdling Friſonibus veteribus Dux Belli, qui unus tantùm erat, ſolusque Hevdling vocabatur, teſte *Mullero* MS. Friſ. Indice. Eſſe verò duplicem τῦ (*e*) *Hévd* & *Kopp* radicem, oſtendit etiam lingua Græca. Ad Hévd pertinet τὸ ὕπατον, ὑπὲρ; ad Kopp, caput, κεφαλή, vox dicta à figura, ſe ovaliter efferente. Quod vocem adtinet *Hérde*, notum eſt, eſſe gregem; hérder eſt cuſtos, ſed non (*f*) *hirte*, ſed Hirter. Ita Anglo Saxonibus eſt *herden* paſcere pecus; &, qualis reverâ eſt, Belgis hérder, vervex ſectarius, vir gregis, aliàs *hérman*.

Nomen pertinet ad *hérd* focum, ὁμοκάπνους, uti in Holſatia. V. App. *Hartm. de Jure aggerum*, p. 9. Notat diſtrictum in communitate viventium. Hinc phraſis vunv-hardslide. Hinc & hérde grex. Vel ergo hérder eſt paſtor, vel ſubintelligenda eſt vox *héder*, hérde-héder.

Quod *éber* ſit ab *én bèr*, verres, multa confirmant exempla indubitata. *a lauda* vocab. Gallicum ſecundum *Sueton.* in Cæſ. en *lude vogel.* Αἰγὶς, ene *geite*, (geiſſ) capra. Abacus, ene bank, (richtebank.) Acerbus, v. g. cibus, ene herbe ſpiſe. Apud *Otfrid.* *Arunte* nuncius, quaſi *én-rennende.* Ἀγαθὸς bonus, ex privativo α & γηθῶ, Doricè γαθῶ gaudeo, conſentientibus omnibus Græcis. Lingua Weſtgothica *aringo*, quod jejunè *Ferrarius* deducit ab arena: eſt enim *en ring.* *Ahorn* arbor, a cornua duritie, *én horn.* Ἄρυρα rura, ὄνομα nomen, ἀςὴρ ſtern.

Per-

(*d*) Dubito: veteres Helvetii alia longè gens: hodierni ex Burgundionibus & Alamannis. *Nota Leibnitii.*

(*e*) Res problematica. *L. N.*

(*f*) Parum intereſt, *L. N.*

Digitized by Google

Pergis ad vocem *Sinke*, buccinam (malè *Zinke*, non enim habemus z) putasque huc pertinere Gall. *ſanglier* & Ital. Cinghiale, & exiſtimas notare falcem vel curvedinem. Ingenioſa hæc ſunt; ſed malim pertinere ad vocem generaliſſimam, cujuslibet cantûs indicatricem, *ſingen*, canere; habere vero *n* in medio liquidam, ſoni cujuslibet propriam. Sing enim peculiares ſibi adtribuit liquidas, inprimis *m* & *n*. Eſt inde & Latinis *concha*, Jun. ad Willeram. *Sink*, *concha*; à κόγχη, concha buccina. Ergo radix pertinet ad ſonum. Venio nunc ad voces, ab Ampliſſimo *Ludolfi* in medium poſitas. Feci examinandarum initium. Sed nimium temporis cenſura requireret, initium ſaltem feci; quod cum literis tranſmitto.

Probo tuas additiones, & paucula ad ſequentes noto. Ad *Anger* pratum. Rectè addis, quia & Sueci habent, non ideo ſequi, noſtrum eſſe ex Suecico. Omnis enim etymologia debet habere principium ex Philoſophia & rationem fundatam. Malè inde *Junius* & alii cum ipſo, hanc v. g. vocem eſſe ex Græco, cùm idem per idem probetur; penes nos eſt vocis *Anger* etymologia, aliàs *enger*, Angerers, Angrivarii, *Taciti* Ingævones. *Ing* enim eſt pratum; quo pertinent *Taciti* Ingævones. [*dubito.*] Idem eſt enge: prata enim ſunt ad marium fluviorumque littora & ripas, & ibidem veluti in *anguſtum* (eadem eſt vox) coguntur. Sed & notandum eſt, *Ang*, *eng*, *ing*, per liquidam & ſonum gratum, notare terras elegantiores & amœniores.

Quérn, *quernitze*, (*g*) quæ notat Ampliſſimus *Ludolfi*, nota ſunt. Nomen eſt à comminuente vi, qualis eſt molæ. Exſtat in Suedica & noſtrà lingua radix verwêren, comminuere. Unde & *ekborn* nobis corruptè, meliùs Angl. Sax. *ac wera* ſciurus, quia *verwèret* comminuit de *ekkern* glandes. [*Nolim nos nimis fugere latinas græcasque origines, cùm ſunt manifeſtæ.* SCIURUS *haud dubiè dictus, quia ſibi cauda umbram facit.* A SCIURIOLO, *diminutivo, factum eſt Gallicum* écureuil, *unde corruptum eſt noſtrum* EICHHORN.]

Gverre. Non puto, indigere vocem elucidatione, eſt enim indicatrix naturalis bellorum progreſſus. Latrones erant, (quo pertinent *Riſii* & *Rekkii*) qui invadebant cives; & vim vi, naturali jure, depellentes, qui ſe defendebant, de ſik Wèreden. Notum præterea eſt, Latinis noſtrum w vel in *gv.* vel *v.* converti.

Quelle, fons. Rectè omnia. Pertinet vox ad *wallen*, bullire. Sed litera q (ex literis enim prima etymologiæ principia ſunt haurienda) vel potius k (non enim habemus q) dicit vim aliquam naturaliter inſitam ſe fortiter movendi. Ita vivarium piſcium dicunt Longobardi *qualam*. Unde rectè notas, huc pertinere *quek*, *quik*. Scilicet k in primis cum r. Kreuz, item cum *W.* multa cum oris vi enunciatur.

(*g*) Querl, quern, wirren, à motu. *L. N.*

Digitized by Google

Arkebuſſe, non tam eſt ab *báke*, quàm ab *arke*, *arcus*. Unde *Arkener*. Scil. uti *Ferrarius* rectè ex *Polyd. Vergilio*, ſucceſſit in locum arcuum, der bógen. *Büſſe* verò eſt nomen generaliſſimum, notans quodlibet vaſculum, quamlibet pyxidem, quia formantur ex buskbómholt. [Italis *arco bugio.*]

Ad vocem Mareſchalki egregiè obſervas, non tantùm notare *ſcalc* ſervum, ſed & quemlibet curatorem, adminiſtratorem, id eſt, miniſtrum principem. Varia exſtant exempla: Godskalk, miniſter Dei. Suedis Adelskalkar Regis miniſtri. Notandum enim, ſolitos fuiſſe Reges vel Principes miniſtris ſuis bene de ſe meritis prædia concedere. Hoc notat vox *Adel*, *odal* poſſeſſio. Quo pertinet vox allodii. *Druthines Skalche*, Domini Apoſtoli Sued.

Invenio aliam adhuc inter meas chartam, in qua itidem de vocibus quibuſdam agitur. Noto paucis, nullam eſſe vocem in Teutonico, quæ abuſum vel vitium notet. Adeo ſignum eſt, in ſtatu integritatis primævæ linguam noſtram fuiſſe in uſu. Ita *Bold* non notat audacem, audacia enim vitium eſt: ſed notat generoſum, vivacem, qui ex arena & promtè novit, quomodo conſilium ſit capiendum. Hinc *bolde*, citò. *Verbolgen minſch* eſt audax, qui & nimis & minùs juſtè eſt temerarius. *Boldemans* Septentrionalibus cives & ſubditi, promti ad auxilium. Talis fuit denominatio Balthorum familiæ. Ad Bold pertinet *pollentia*, pollens Latinorum; *Leopoldus*, promtus uti leo. Rectè ideo Ampliſſimus *Ludolfi*, malè ſcribi per p. Sed tales errores in orthographia ſunt infiniti.

Hèven cœlum, vox nobis, uti rectè obſervat Cl. *Ludolfi* & Anglo-Saxonibus uſitatiſſima. Sed potiſſimum dicitur *hèven* cœlum metaphoricè non tam ob altitudinem, quàm excellentiam. Hinc ſcil. hæſur eſt, excellens. *Mikil hæſur* magnificus. Addis, intelligi ſolum ſpectabile cœlum. Reſpondeo: aliud non noverant gentiles, quos apud vox hæc locum habebat. [Plebs noſtra *heven* non niſi de ſpectabili cœlo accipit, Angli & de cœlo beatorum.]

Vox *ánden*, and, ond, malè facere, malum, ex particula and, quæ idem eſt, quod *ἀντὶ*, oritur, contra, contrario. Videtur nobis hæc particula iſthoc in ſenſu eſſe deperdita; verùm exſtat adhuc in lingua Run. and-ſælis contra ſolem andſpilli reſponſum, & nobis *andwort*, reſponſio, *andlitt* facies. At verò ex contrario malum oritur.

Sequitur yox *reiſ*, ſurculus. Vides, ex hac voce rurſus, quam Germanica ſuperior lingua non noverit radices. *Ris* eſt vera pronunciatio, unde *riſen*; & riſen propriè réſen gigantes, in magnam molem ſuccreſcentes homines. [*Vocales variant, etiam Angli Riſe pronuntiant, ut* Reiſe.]

Nap, ait *Ludolfus*, eſt in Thuringia urceus roſtratus. Rectè putas ſæpe S. eſſe *προθετικὸν*. Belgis eſt *nap holder* pocillator. Sed addo, *τὸ* S. omnino ad eſſentiam vocis pertinere, maleque omitti *Snappen* refert roſtratum, v. g. avis, motum ad quid arripiendum, quod idem & nos homines facimus. Quo pertinent *ſnappen*, *ſnibbe*, ſneppen, & in Thuringia Sneppkanne.

Quæ

Digitized by Google

Quæ ad vocem *ſchere* forfex, & *ſchèren* notas, egregia ſunt; quo & pertinet *ſchèren* abradere. Notat ſc. in genere vox *ſcheren* quamlibet motionem, atque à motione exortam ſeparationem. Quo pertinet & vox ſcurra, ſcurriliter agere, Wandſcherer.

Sed noto, hanc radicem pertinere ad ſonum naturalem, qui editur, quando partes anni ab invicem vi ſeparantur. Hinc pergo, non pertinere ad hanc radicem *en ſchur*, neque ad ſecurum; (ſomniant enim, qui voces noſtras a Latino vel Græco derivant) ſed ad lucem & tenebras, id eſt, ſenſum viſus. Scripſi enim alias *a. e. i.* vocales, ſymbola eſſe lucis, & per metaphoram, ejus, quod gratum amœnumque eſt; *o* & *u* verò eſſe ſymbola tenebrarum. Ratio patet in naturali oris compoſitione, aliâ cùm illæ, aliâ verò cùm hæ pronunciantur vocales. A, e, i aperto, o & u concluſo ore formantur. Ita in hac voce *skur* tectum, utrumque obſervo. *Skir* eſt quod klár, skír *Water*, *skúr*, obſcurum Latinorum, à natura itidem τοῦ u. Hinc, quando aër ob exſurgentem tempeſtatem collectasque immaniter nubes penitus obſcuratur, dicimus: *dar kumt ên digte skur. SK.* notat celerem & impetuoſum delapſum.

Pergo ad vocem *Wied*, Svec. Wedh, lignum. Quo fine allegat Ampliſſ. *Ludolfi Erd*, *Wid*, *vid. Nagel-veſt*, quo ſignificantur res, quæ pro immobilibus habentur. Reſpondeo, propriè non notare quodlibet lignum, ſed propriè *Wid* (vimen idem cum noſtra voce) ſalix, reſtis, funis, *Wêke*, ſtrikke, darmit man binden un vlechten kan; Lingua Septentrionali *Widh* lignum, Widakaſt ſtrues ligni. Sed NB. in eadem lingua radix explicatur. *Widund* eſt inflexum, incurvatum. *Widiu* inflexa vincula ex vimine vel alia materia. [Weit, Wid, *ſunt ampla*, *flexa*, *capacia.*] Et habemus nos inter ſpecies agrorum én *wid*, dar *widen* up *waſſet*, dar man mit vlechtet. Radix eſt ab *amplo.* Solent enim in amplum excreſcere & dilatare ſe in infinitum ſaliceta. Hebræi habent nobiſcum פתה aperuit, & Latini *Pateo. Rabani Gloſſar.* paſſim *uuito.* Jam dicam, unde inter immobilia cenſeantur, quæ viminibus ſunt adnexa & alligata. Primis temporibus viſcera terræ non ſcrutabantur mortales. Hinc nulla ferri notitia, nullus uſus. Hinc ut nunc ferreis clavis, ita tunc figebatur, & fixum cenſebatur atque immobile, quod vimine erat adligatum. Funes reſteſque poſtmodum temporis arte contortæ idem fuere, quod vimina, & ad eoſdem uſus fuere adhibitæ. Acceſſere clavi lignei, quibus notum eſt compaginari adhuc hodie ruſticorum ædiculas. Et quam omnia hæc vimine, vel fune, vel clavo ligneo potuerint peragi, pateſcit, ſi ſimplicitatem Architectonices majorum noſtrorum conſideramus. Non habebant eorum domus contignationes ſibi impoſitas, & ab ſe invicem ſeparatas, da waren keine boden inn. Sub tecto habitabant, ſub tecto dormiebant. Scis, unde hoc probem? Reſpondeo, quia adhuc hodie in ſumma contignatione prope tectum poſita trabs vocatur *de Hanebalke*, in quam evolabant galli cum gallinis adventante veſpera. Ergo non fuit ulla interpoſita contignatio.

Se-

Sequitur vox *quer*, *quérenmèle*, (obſervabis, ut hoc obiter addam, me duplici accentu notare τὸ e vocalem literam é & è; illud acutum notat, ut *mèle* mola, hoc obtuſius, ut in *quéren.*) Quid igitur ſit *quér*, patet ex dialecto noſtra, dat *dwér herdèr geit.* Idem eſt verſus, transverſus. Ita apud nos platea quædam dicitur de quérnſtrate de quér dèr twe ſtraten geit & duas alias plateas veluti diſſecat. Radix allegata ſuperiùs jam eſt, &, ſi ad prima Philoſophiæ noſtræ Etymologicæ principia lubet progredi, *qu.* pronunciatione quadam contorti oris formatur, quemadmodum & *dv. dw. dwars*, *verd wars.* Notamus verò ex antiquitatibus, & ſeptentrionalibus & noſtris, majorum noſtrorum quemlibet domi ſuæ talem habuiſſe manualem molam.

Progredior nunc ad pronunciationem τοῦ C & K. & reſpondeo, primùm: (non novimus Saſſones, nec habemus.) Secundò, ex hoc C. & K. v. g. in voce Cæſar, patet, linguam noſtram eſſe Latinæ matricem. (*h*) *Kaiſer* enim eſt vera & radici proxima vox, à *Keſen* eligere. Egregiè *Lund.* notis ad LL. Weſtrogoth. p. 130. Antiquam eſſe vocem Latinam, τὸν κυρεῦντα ſignificantem, *Salmaſius* evincit in Plinianis exercitat. *Kæſa* eſt eligere; unde Kiäſari, Cæſar, in confirmatione LL. Uplandicarum Regis *Birgeri.* Ad Deum hanc vocem applicarunt veteres Poëtæ *Her Rudolſ vom Rotenburg* c. 1. §. 6. Der *Himmel Keiſer.* [*Hæc minùs rectè.*] Nos verò non habere literam C. patet ex enumeratione vocabulorum. Mollities fecit, ut Italis K. robuſtum & virile in C. effœminatum mutaretur. Quod quidem de majoribus noſtris dicere non licet; exploratum tamen eſt, quod nos ſcribimus per C. & ch. id veteres per K. SK. item Sg. ſcripſiſſe. Ita *in Hovleden* non *Burchart* ſed *Burkard*, von Hohenfelſs. Ita *Skár*, non ſchár, turma. Unde Itali ſcribunt quidem Scaramucciare, levi prælio congredi; c. tamen revera eſt K. Skaramucciare. Pro *welcher* Speculum Saſſon. habet *welker.*

Addit *Ludolfus* quædam de V. Latinorum, referente noſtrum w. Et veriſſima hæc ſunt: W. ſcil. & V eadem ſunt litera. Diverſitas inde eſt orta, quod alia gens aliâ aſperiùs pronunciet. Inde *Junius* Alph. Goth. ad literam Q. reſpondet, ait Anglo-Saxonibus vel *vau* duplici, vel exprimit etiam aliquando Græcorum ὑψιλὸν. Cæterum generaliter, quod Latini per v. ſcribunt, nos per w. efferimus, compreſſis veluti labiis, ut *vinum win*, *ventus*, *wind*, *vela*, *wellen*, velitari, walten, bullire & bulliendo præliari, waden vadare. Addis, non tantùm wegen, *wogen*, wage, ſed & wallen, wellen, wenden, winden, à motu. Rectè. Ratio verò eſt in litera V. quæ dicit motum à loco ad alium; quod pronunciatio τοῦ V. oſtendit. Hinc *av*, *ab*, & tot centena vocabula, *avgán.* Illud obſervatum ſolum velim, nempe nos rectiùs per *av*, quàm Latinos per b. ſcribere τὸ *ab.* Sed & rectius Latini per v. quam nos per w. ut *ventus*, wind.

Quod

(*h*) Hæc nolim dici. *Cæſar* haud dubiè initio adoptatione in familiam *Jul. Cæſaris*, qui ipſe non utique ab eligendo. *L. N.*

Digitized by Google

Quod ad vocem *órt*, rectè Cl. *Ludolfi* refert eò *ordnunge*. Rectè item, notare terminum, addis: Ita ſpeculum Saſſon. órt eſt rand, ort-iſern, an ener twert ſchéde. Sc. in collocatione vel unius vel plurium, ubi quis ordinatur, ut ſit, (am órt und ende) ibi terminatur motus & ſiſtitur.

Atque hæc ſunt, quæ in Ampliſſ. *Ludolfi* tuisque chartis, conjecta atque adnotata ſunt; quæ ut æqui bonique conſulatis, quæſo. Id enim in hoc ſtudio maximè actum oportet, ut ad certa principia, eaque prima & ſimpliciſſima, omnia reducantur. Unde, ſi quàquam in lingua, certè in Saſſonica vel Satonica noſtra (hæc enim ultima vera eſt & gentis noſtræ & linguæ pronunciatio) Philoſophia vera datur Grammatica.

De voce *Bèren-héder* (juxta noſtram pronunciationem) ſileo. Alias Berenhüter lingua Germanica ſuperiori; & poſtea, quia hi omnes ferè voces diphthongicè pronunciant, Bêrenheuter. Notiſſimum enim ex ſpeculo Saſſonico, Statutis Brem. Hamburgg. Brunſvicc. aliis, *Bèrn* eſſe *ſwin*, & quidem verres (vox eſt *verres* eadem cum bèr.) Latini b. cum v. commutarunt.

Placuit notatio tua ingenioſa àd vocem *Hánreh*. Quæro, qua quæſo dialecto *reh* vel *réde* eſt caſtratus? Habet enim *Spaten* in Lexico quidem ſuo Rè laſſus, ſed non in notatione caſtrati: Sed nec inelegans eſt ejus ſuſpicio in *reiern* prurire, Venereum æſtum pati, ut *bánrei* vel *hanreier* ſit tolerans ſubſeſſorem uxoris ſuæ. Nihil addo, niſi ſuffixum *rei* notare qualitatem alicujus rei vel perſonæ. Ita veteri lingua Anglica *Englecerie* dicitur vetus jus Anglicum juxta *Skinnerum*. Unde Galli etiam *cocu* vocant.

Biderman, eſt vox compoſita ex *bider & man*, & contracta: propriè enim, uti rectè notas, eſt biderveman (ita ſcribitur apud Poëtas veteres Germanos) uti eleganter & verè explicas, vir probus. Radix eſt *darven*, *derven* non tam audere, audacem eſſe; ita enim jam ad abuſus protracta erat vox; quam à virtute ipſa, id eſt, probitate, fortitudine, integritate. Hinc fortes viri ſunt viri virtuoſi, v. g. Suevis, es iſt ein tapferer mann. Notare verò *Bidermann* virum probum, qui opponitur infami & ſcelerato, patet ex egregio loco in Landr. l. 1. art. 98. Die ſache bleibet burglich, und der beklagte bleibet *bider*, das iſt, *baur und burger*, id eſt, in numero honeſtorum porro cenſeri debet. Poſt dicitur: wird unrugtig und *unbider*, das iſt, bleibet weder baur noch burger, hoc eſt, fit infamis & habetur inhoneſtus.

Artz, medicus refert Ampl. *Ludolfi* ad artiſta. Dico vel ſentio, antiquiùs longè eſſe vocabulum Germanicum barbaro Latino. Confero ſcriptionem & pronunciationem antiquam, quæ eſt in vet. Saxon. *Arſt*. *Artſe* etiam vetus Belgicum Kiliano mederi. *Arſtedie* medicina, apud Otfrid. III. 14. 22. *Arzat* medicus apud Willeramum. *Arzat - Wurze* mandragora. Hæc omnia conveniunt cum *árt*, *árd*, ár, *erde* terra; & in genere terræ fructibus, qui ex ea proveniunt, in ſpecie verò ſpicâ, ariſtâ. (Unde *jár*

annus;

annus; *Aran*, *monat* veter. Theotiſcis menſis Auguſtus.) Inde vox à naturali (uti omnia vocabula talia) ad animum tranſlata, notat, *ård* indolem hominis, & fructus ex indole progerminantes. Item *ardig* frugifer, qui fructus fert ingenii, laborioſus; *unardig*, homo perverſæ indolis, id eſt, ſterilis, qui ſine fructu eſt. Huc refero vocem antiquam Saſſonicam *Arſt*; quia, uti notum eſt, veterum medicina domeſtica, quod & de Danis demonſtravit *Bartholinus*, in adhibitione herbarum congrua conſiſtebat. Idem eſt Latinis *Aromatarius*, qui herbis curat. Præfigitur *W.* & fit wurts; unde Herbipolis, Wurtzburg. Neque enim majores noſtri ante retectas Indias, aromata alia noverant, quàm terrarum noſtrarum indigetes fructus. [*Ego malim cum Ludolfo* Arzt *eſſe ab* Artiſta.]

Verdammen, *döma*, *dammen*, judicare. Ita eſt. Hæc enim cum τῷ damnare Latinorum idem ſunt. Condemnare enim eſt in genere, judicando partes obligare. Quo pertinent formulæ ſolennes Romanorum: *Hæres meus damnas eſto*. Pertinent huc infinita, quæ in antiquitatibus & noſtris & Saſſonicis Friſicisque occurrunt. Ita in inſula Bornholm *Landsdömere* ſunt judices inſulæ. *Demſters*, teſte *Skinnero*, judices in Mannia inſula. *Heſychio*, δημιοῦν, ὁ τὸν δῆμον διοικῶν. Et certum eſt, vocem à poteſtate oriri vel juriſdictione qualibet, (unde & Domini vox Latinis) habereque conformitatem, ſeu eſſe eandem cum *damm* aggere, *temmen*, *tèmen* domare, coërcere, radicem. Hinc in Scandieo apud Venelium *Kongdomur* eſt poteſtas Regia; & A. Saxonibus *dam* idem eſt, quod dome judicium.

Ex Literis G. G. LEIBNITII.

ROgo, ut ſilentium meum non quidem magnis, ſed tamen multis diſtractionibus meis imputes. Nihil inde affectui decedit. Vota annua ex animo reddo, & in multos annos, omni ex parte felices.

Dn. *Erici* Gloſſogoniam nondum vidi, ſed alia olim præludia, cùm Venetiis mecum loqueretur.

Neſcio, an ſuadere audeam, ut pro diſſert. aliqua præliminari in ſpecimen, aliquid eligas minùs controverſum, quàm eſt Etymon Saxonum vel Saſſonum. Etſi enim tua ſententia mihi valde plauſibilis videatur, non auſim tamen contemnere alteram de brevi gladio. Sic & derivatio τῦ *haupt* ambigua, utrum à *heben*, an potiùs conſentiant *caput* haupt, ut *cornu*, horn, *cervus* hirſch, *canis* hund, κόρη (puella) huhr. *Arquebuſe*, an Italorum arco bugio? arcus (id eſt, eminus feriens) ſeu cavus. Perplacet *Anger* ab Eng. Quern, querl, *Korn*, niſi à granum, wirren, wellen, omnia à motu. *Schubr*, *Scheure*, locus ſejunctus à ſchehren, dividere, ſeparare. Sed *Schur* pro pluvia ſubita Saxonibus inferioribus, puto magis à *Schier*, id eſt, promtè. Fortè tamen ipſum *Schier* promtè à Scher; nam pura & minuta promtè tranſeunt moventurque. Weit, wid, weide, vimen, ut ampla & flexa ſunt capacia. Reh vel rede caſtratus eſt noſtris ple-

Digitized by Google

plebeiis; nec dubito id noſſe & veſtros equiſones. Nempe diſtinguunt *Hengſt*, *Reh*, *Stutte*. Hertha jam *Tacito Erde*, terra. Unde dubito, an Herd focus à grege, Herde, ſeu congregatione ad focum.

Dubito etiam, an non habeamus Z. vel ts. Jam apud Scriptores Carolinos eſt witsan. Tutè citas Arzat. *Zinke*, ut *Zancke*, *cinghiale*, *Sanglier*, *Zacke*, *Sica*, *Sichel*, *Sachs* pro gladiolo, ſecare; probabilius puto, quàm zincke à ſingen. Eſt enim zincke peculiare inſtrumentum muſicæ, à figura dictum. K. generaliter curvedinem videtur ſignare, ut *Hake*, uncus. Nam ipſo ſono obſtaculum denotat, ut hamis & uncis res ſiſtuntur.

Quædam malim concedere nos ex Græco habere, cum notitia rerum, ut *Engel*. Verendum enim tibi, ne talibus negatis excedere videare. Idem dixero de Cæſar, Kaiſer.

Angrivarii fortè Engerbauern, ut Amſivarii, Embsbauren, ad Amaſum. End, And pro malo, ἀντὶ, ante, ahnden, ahnde thun; antlitz, andwort, &c. conſentire & ipſe putem. Neſcio an *Ris* veſtrum melius, quàm *reis* ſuperiorum; nam & Angli *riſen* pronuntiant *Reiſen*. Ne putas, *Arzt* pro medico videri antiquius barbaro Artiſta; ſed ſuſpicio eſt, id jam declinante Romanorum lingua fuiſſe receptum, ut multa, quæ poſtea barbari uſurpavere. *Hanebalcken* ingenioſe notaſti.

Metallariis noſtris hodieque *Orth* eſt terminus. *Vor dem Orth arbeiten*, ſignificat in loco, ubi cavitas in terræ viſcera acta definit. Hæc ad longam & doctam Epiſtolam tuam dicere nunc vacavit.

Ex Litteris MEIERI *ad* G. G. LEIBNITIUM.

PUtas, vocem Saxonum eſſe controverſam. Quod equidem nos, qui in *terra antiqua Saſſonum* habitamus, id eſt, patria Saxonum, qualis *Wolltero* aliiſque Hiſtoricis vocatur, non ita judicamus. Saltem id principium eſt naturale equidem, ut non à peregrinis exoticiſque, quorum proprium eſt ad ſuas Dialectos inflectere, immo detorquere adſumtas auditasque voces, eas mutuemur, ſed à domeſticis originariam & immutatam vocis alicujus pronunciationem. Quodſi verò eam gentem, quæ Saxonum hodie dicitur, animis noſtris ſiſtamus, id apud omnes in confeſſo eſt, tripliciter eandem dictionem à variis, imò & ab eodem populo eſſe enunciatam: (1.) *Sate*, quod exſtat in Holtſatze, Hollſatia, Allſatia, (2.) *Saſſen*, *Alſatia*, *Allſat*, *Ellſaſſers*, & noſtrum *Saſſen-Chronige*, *Saſſendimg*, *Saſſenhagen*. (3.) *Saxones*, quales poſterioribus primùm ætatibus pronunciati ſunt iidem Saſſones; quod nemo mortalium negabit, cum Satorum, id eſt, Marſatorum quidem mentio fiat apud *Tacitum* aliosque, nulla verò Saxonum; qui tamen iidem cum *Satis*, *Setis Satonibuſ*que ſunt. Scilicet Monachatu prævalente, & in lingua quadam, neſcio qua Latina, gloriam eruditionis ſuæ aucupante, id itidem continuatum eſt, quod alias antea obtinuerat, ut noſtrum S. in KS. mutaretur, duriuſque & virilius pronun-

 ciare-

Digitized by Google

ciaretur more Romano, (v. g. *aſſe* axis, apud *Baluzium* Notis ad Capitularia Friſo, ubi Latini Codices habent *Frixon*, *buſſe* pyxis, *Briſce* Brixia, *braſſen* braxare, *buſsbóm* buxus, Taſſinders, qui juxta *Becanum* Taxandri. *Martianus Capella* regulam format, X quicquid C. vel S. firmarit, exſibilat. Quo fit, ut antiqui Saxones diſtinxerint ſuas ſedes (unde *Saten*) in Angliam ingreſſi, in Weſt-Eaſt-Sud-Nord-Saxens (ita enim ſcribit vulgus, cum X. tamen nunquam habuerimus) à plaga, ſcilicet, quam inſederunt. Sed cùm hæc principii inſtar ſint, non arbitror, de iis eſſe diſputandum. Dolendum potiùs, alterum ex altero, qui mos noſtrorum eſt, audacter ſine aliqua ulteriori inquiſitione deſcripſiſſe, & uſum illum Monachorum à Doctis Viris, effati inſtar oracularis, adſumtum eſſe.

De capite *hèvd* itidem non ambigo, quin ſit ab *heven*. Radix enim noſtra in aprico eſt. (NB. ipſa aſpiratio H. attollit vocem in ore, & illud dilatat. Hinc *hóg* altus: uti *n* deprimit, unde *nedder*, *neddrig*.) Sed unde eſt miſeræ & Babelicæ Latinitatis, nullis principiis nixæ, caput? Sed & ipſum Græcum rem confirmat. Itali habent Capolatte, coloſtrum, caput quaſi & flos lactis. Spec. Saſſ. quod populi, qui reſiſtebant *Nabuchodonoſo*, *ſikk hebben hèvedet*, ſeſe erexerunt. Adeo notat nobis in matrice noſtra lingua, quicquid elatius eſt, & naturaliter & moraliter præ alio. Quo itidem cum centum aliis pertinet *Hèvdman*, *hevdvaa*.

Quod vocem attinet *Skur*, *Skire*, kórn, skíre, (ch enim non habemus, quia caremus τοῦ c) horreum; pertinet ad *skiren*, antiquam vocem Saſſonicam & noſtrum, *skèren* (hinc de fracto & ſeparato: ett iſs gesköret) quod eſt, uti *Junius* vult, & cum eo alii, dividere, ſeparare; quo reducenda eſt etiam pagorum in Anglia diviſio, ab *Alfredo*, ut fertur, inſtituta in *Scheirs* ſive Satrapias. In Anglo-Saxonico eſt *Scyran* partiri.

Sed & ab illa ſeparatione reliquæ affectiones, nempe citum eſſe, citò venire, lucidum eſſe, latum eſſe (qualiter dicuntur piſcatoribus noſtris Skír-laſsgárn, quod latius eſt, opponitur dem enngen Laſsgarn) item, mundum apparere, facili operâ deducuntur &c. Per u. effertur skur (u enim vocalis nota eſt obſcuri tecti, tenebroſi; unde apud veteres, v. g. *Plautum*, *ululare* ad *u* refertur) quia tecta eſt, indeque obſcurior domuncula. Pergo ad *queren*; & noto, omnia conſonantia k. d. t. cum v. vi pronunciationis oralis notare, quod non rectum, non æquum, non planum, ſed diſtortum, à recto abſcedens, violentum, ut *quernſtrate*, quernhameln, dwadlſchen, Kérl, Kuannt.

Subjungis, *Ré* eſſe tertium genus, equi nempe caſtratum. Ita equiſones noſtros dividere equos in *hinngſten*, *Ré*, *Stute*. Sed reſpondeo, per accidens capo, equus, canterius taliter vocatur. Nimirum vox pertinet ad aliquid, quod eſt velox & celer; unde & Re, Rebukk, capreolus nomen habet, Rabò glis. Recho capreolus (ſine dubio *Rebo*) & pertinet (quia lineâ rectâ fugit & movetur, velut brevíſſima) ad *Rè*. *Rédig.* Reddig. Vel (2.) quod a motu nimio laſſum eſt & fatigatum, ut dicimus

mus *das pferd iſt ré geritten*, id eſt, à nimio præpete curſu laſſum, *wann ein pferd alſo abgeritten iſt, daſs ihme die beine ſtumff und ſteiff geworden.* Unde videtur orta vox *Hanre*, *Hanrei.* Dicunt itidem Miſnici Hanreer. Laſſi galli, Stump - gerèden.

Quod ad *Zinnke* adtinet, Cinghiale, ductum ab incurvo dente, quem aper habet; agnoſco convenire cum Sakhſe. Neque enim Sakhſe eſt fuitque unquam genus armorum militarium, ſed in ſemicirculi modum formata falx (nos dicimus Séſſe) qua veluti cultro quodam incurvo demetuntur fruges. Neque enim credo, quemquam mortalium *Sakks* (unde Saxones dici ſomniant) ad arma unquam militaria retuliſſe. *Molanus* in Indice Saſſonico habet Seſel falx in LL. Sal. *Saxandrus* verò & *Seiſſe* & *Saider*, quia cæſim. *Wendel.* Gloſſ. ad LL. Sal. p. 187. *Currus falcatus* erat *mit uppſtánde ſnidende ſeiſſen.* Vid. in Gloſſ. meo magno Anglo Sax. *Saex* culter. Lingua Scandica *agnſax* culter, quo piſcatores eſcam hamo imponendam dividunt. Quod verò Græcam linguam adtinet, non vereor in eo poſſe nos Germanos errare, ſi pleraque, id eſt, maxumam vocabulorum Græcanicorum partem nobis, matri & fonti Græcanicæ linguæ, tribuamus, qua & mille aliquot annis antiquiores ſumus. Et ſanè, ſi mare hoc vaſtum introgredi libeat, conſtabit, nihil eſſe magis lacerum deperditumque: adeo ſuis excidit illa lingua penitùs radicibus, quoniam noſtræ, id eſt, originariæ ſuæ linguæ oblivionem penitùs cepit. Sed & maneamus in voce *Angelus.* Quid habet, quæſo, Græculus, quo vocabulum hoc ſibi, ut οἰκεῖον tribuat? Sed in noſtra lingua eſt radix *Enngen*, quæ ad non abuſivos ſenſus, (quò & tyranni vox pertinet teſte *Æmilio Probo*) ſed ad primigenium eſt reducenda. *Enngen* eſt aliquem reſtringere, id eſt, imperando & jubendo intra terminos certos aliquem redigere; quod olim fiebat moderata voce & veluti rogando, poſt verò *angariando*, quæ in Scripturis vox Perſica allegatur, ut notet coactivam vim aliquatenus cum equis proficiſcendi. Nota verò eſt in multis conformitas Perſicæ cum noſtra. Cùm ergo *Enngen* in ſe ſit obligare aliquem ad quid peragendum, ex ſe inde oritur *Engel*, nuncius, Angelus; à qua etiam reſtrictione Angli *Enngelerſs*, veluti coërciti intra reſtrictiores fines dicuntur. Gloſſ. A.S. *Angel*, *hamus.* *Angelcyn*, Anglorum gens.

Dubitas, an *riſ* gigas ſit à noſtro *riſen*, & an noſtrum *Riſ* melius ſit, quàm *Reiſs* ſuperiorum Germanorum. Quæro te, cur dubites? Nonne & vos ipſi gigantes vocatis *Riſen*; & quod Scandis eſt *Rekinn*, nobis eſt *Riſin*, terræ filia, mulier ſtatura gigantea. Numquid habetis, *Riſenbart*, *Riſenbar*? Quod verò Angli habent *Reiſer*, facilè explicatu eſt. Eadem enim provincia, idem ferè pagus, & abſque & cum diphthongo, voces itidem apud nos eaſdem exprimit. Si in ſuburbicaria noſtra egredimur, confeſtim per diphthongum pronunciari reperiemus a. e. i. o. u. *Vlote*, *vlaute*; *bi*, *bei.* *min*, *mein.* *&c.* Sed & Alamannos veteres per i. expreſſiſſe, patet ex antiquo carmine *Herr Hennrich von Velldig.* §. 8.

Swer mir *ſchade an miner Vrauen*,
Dem wunnſche ich deſs Riſes,
Darann di diebe *nèment ir ennde.*

Et Scandi habent *Riſar* gigantes. *órt* non metallariis veſtris tantùm, ſed & nobis in re etiam agraria & alias, notat limitem; unde *órtſtein* eſt *ekkſtén*, *órtmál*, lapides angulares, in principio & fine limitum ſtatuti.

Binas Diſſertatiunculas, alteram de *Arrvexen*, ad Dominum Procancellarium Halberſtad. alteram de voce *Matt*, *Madd*, proximè per amicum mittam.

De Tomo Scriptorum Germanicorum egregiè mereberis. Quod mihi non licet, id divina favente gratia per juvenum aliquod par eruditorum molior. Nempe Corpus aliquod LL. antiquarum veteris Saxonum populi, quo pertinent multæ numero ſtatutariæ leges Brunſvicenſium, Friſonum (Codicem habeo antiquiſſimum membranaceum) Hadeloenſium, Hamburgenſium, Bremenſium, Oſterſtedingiorum, Cellenſium, Stadenſium. Huic velim Corpori talia ſervari. Mira ſanè prodibunt, quæ ad Antiquitates noſtras pertinent. Sed vereor, ne mihi, quod *Craſſo* in Parthos pergenti admodum jam ſeni ab hortulano oggerebatur, quod hora diei duodecima in Perſas iret, objici queat. Quicquid ſit, ſufficit aliis oſtendiſſe, quid factum oporteat illuſtrandis rebus noſtris, quidve faciendum ſuperſit. Addis, te ſubmiſſurum ex Bibliotheca Paulina Lipſienſi meis uſibus quædam. Ita facies optimè. Meminit mei eodem fine Auctor der Monatl. Unterredung. menſis Nov. A. 1698. p. 938. Vide, ut nanciſcar talia, primo die remittentur, idque Lipſiam, ſi ita vis, per mercatores noſtros.

Unum nunc addo, idque non abſque dolore quodam, non tam ob materiam ipſam, quàm ob Germanorum noſtrorum, κακοζηλίαν. Expiſcatus nimirum ſum per Ampliſſimum Procancellarium Halberſtadienſem, Magdeburgi in Bibliotheca Capituli reperiri codices hoſce, quorum catalogus tranſmiſſus eſt, nempe ſunt

1. *Iſidori* Hiſpalenſis Synonyma ſive Soliloquia MS. cum annexis, & inter alia Vocabularius Latino-Germanicus MS.

2. Vocabularius Latino-Germanicus 1414. MS. Verſio vocum Latinarum facta eſt in idiomate Sax. infer.

3. Alius Vocabularius Latino-Germanicus MS.

4. *Lucianus*, id eſt, Gloſſarium, difficilium dictorum obſcuritates producens. A. 1412.

5. Diverſa Vocabularia Theologica A. 1449. Auctore *Antonio Haſen.*

Difficile dictu eſt, quot literis ultro citroque Domini Procancellarii & Domini Abbatis *Wolffhardi* res eo tandem perducta ſit, ut indicis copia fieret. Sed dum communicationem operimur, ecce tibi decretum Summi Capituli: Domino Abbati Bergenſi *Wolffhardo* communicari poſſe, ſed ea lege,

Digitized by Google

lege, ne extra urbem Codices emittantur. Velut ſi hic de Cereris myſteriis, vel ſacris Cæſarum Pontificumque ageretur. Reſcripſi ad Dominum Procancellarium, ut ex ſingulis Codicibus vel unam paginam, à Domino Abbate deſcriptam, tranſmittat, ut in quo cenſu ſint, experiar. Quod ſi quædam momenti alicujus continentur, ſi tibi alia via non ſuppetit, vel Domino Procancellario, mediatoria opera Ampliſſimi Domini Syndici *Maſtricht* utar, ut per Illuſtrem *Fuchſium* Berolino accipiam. Interim talia, crede mihi, non me leviter afficiunt: faciunt enim ad eſſentiam operis mei.

G. G. Leibnitius *ad* Meierum *d.* 10. *Maji* 1699.

Quid ſit *Ordnung der Kilſer marck*, quam olim tibi a me miſſam ais, & nunc iterum deſideras, non memini. Mitto verò aliud, quod tibi non ingratum puto. Liber eſt Germanicus MStus in membrana, non ſanè recens, quem mihi tranſmiſit amicus. Laudes ſunt Beatæ *Mariæ* virginis, carmine ſcriptæ. Vel vox *Drechtin* (quod alias druthin) pro Domino, quæ paginâ ultimâ occurrit, *dat helf hir unſir drechtin*, de antiquitate teſtatur (*Eum librum nunc accepit Cl. Eccardus.*) Multum fateor eſſe probabilitatis in tua Saſſonum vel Saxonum Etymologia. Agnoſco hodie inferioris Saxoniæ dialecto, SS. ſæpe uſurpari, ubi ab aliis X. Unum maximè obſtat, quod aliter *Beda* & alii veteres ex ipſa gente Saxonum. Pro genere armorum uſurpatum, dubitare non debes, ob teſtimonium vetus de Anglo-Saxonibus; qui in Epiſcopum quendam inſurgentes, inter ſe dicebant: nemet jue ſaxen. Sumite ſicas veſtras. Veriſſimum eſt, literam h ſignificare naturaliter elevationem, quæ ipſi pronunciationi ineſt; & valde probabile eſt, *hoch* heben, heaven, hevet, haupt, caput, hinc fluxiſſe. quin & Hebræis גאה gaha, altum eſſe הכר Habar, ſiderum obſervator. הר Har mons, Græcis ὄρος, Ruſſis gora. Sed tamen viciſſim & K. naturali quodam valore ex pronunciatione ducto, ut (ni fallor) itidem ſcripſi, ſignificat obſtaculum, adhæſionem, quæ in efferendo apparent; ut in uncus Haken, Zacken, ζάγκλη Zinke, Sica, Sichel, camp καμπτω flecto, cyclos, ſcapha, ſcyphus, curvus, Krum, gyrus, querquern, querl, cubitus ἄγκων, (unde urbs Ancona) angulus, eng, Angli; arcus, arctus, κοῖλος, cælare, celare, occultus, κρύπτω; כף caph, curvaturæ כפף caphaph, curvare, cavus, cappa, capere, capulus, caput, kopf, haupt, κεφαλὴ, cophinus, cofre, cupa. Etiam κακὸς malum, nempe curvum, oppoſitum recto τρία κάππα κάκιστα. Hæc comparare non injucundum, & velut venari occultantem ſe veritatem; ſed certi aliquid eligere, difficile.

Optima ſunt, quæ habes de *shire* diviſione. Interim nobis etiam *ſchur*, *ſchover*, *ſchier*, ſubitum, quod de pluvia tranſitoria; & febrili frigusculo ſolemus uſurpare. An autem id, quod ſubitum ſignificat, ejuſdem originis ſit

ſit cum eo, quod diviſionem notat, amplius deliberandum. Sanè ſubdiviſa atque adeò tenuia ſunt etiam mobiliora.

Angelum ex noſtro petere non auſim, ſed malim contra. Idque veritati conſentaneum puto; & verenda præterea hominum judicia arbitror. Per ſe ſatis iniqui ſunt hujuſmodi laboribus; quid futurum putas, ſi nos ipſi ſpecioſos ipſis prætextus carpendi noſtra præbeamus. Ego mirificè faveo Græca ex Scythico vel Celto-Scythico fonte petentibus; ſed tamen eſt modus in rebus. Non negem *ἄγγελον* eſſe à radice, quæ apud nos ſuperſit. Interea *Engel* nobis non puto uſurpatum niſi Græcorum aut Latinorum imitatione. Dubitare me, an Ris, Reiſen, Reis, (ſurculus) Rieſe Gigas, ab eodem, non memini. Reiſen & Riſen non diſtinguo, niſi dialectis. Tuo ortſtein pro lapide angulari, addo ort und ende. Sic ort idem, quod Kante, Canton in Helvetia & Suevia. Præclarus labor ſuſcipietur in legibus antiquis Germanorum vel mediis illuſtrandis; ſed cùm non omnia per te poſſis ob rerum copiam, id rectè devolves in amicos.

Capitulum cathedrale Magdeburgicum in communicandis MSCtis difficile eſſe non miror. Ita mos eſt ab antiquo, præſertim, apud non examinantes.

Mitto diſſertatiunculam *Ottonis Sperlingii*, viri docti *de crepidis veterum* ab auctore acceptam: Ridebis curioſitatem: Riſit & Dux *Rudolphus Auguſtus*, cui per me deſtinarat. Diſquirit inter alia de origine Pantouflorum. *Budæus* dixit *παντοφελλὺς*, quaſi totos ex ſubere, ſecutus *Janum Laſcarim*. *Schilterus* antiquis *bas* eſſe pedem, *tofel* tabulam. An ex eo potiùs, quòd *ſtaufen* & *ſtifel* eſt capacitas, cui manum vel pedem inſerimus. Unde erit Wandſtaufel, calciamentum domeſticum, ut ſoccus ex Wand, id eſt, panno laneo vel alio molli. Scis, ſtoffel & toffel æquipollere, ut in *Chriſtophoro*. Stieffel ex eodem fonte. Generaliter Stauffe de re capaci, cui quid inſeras; ideo *ſtauffe* etiam ſcyphum ſignificat ſuperioribus Germanis, unde Stübichen. Saxones inferiores dicunt *ein Stoop*. Hæc animi gratia & per luſum. Seriò enim nimis talia tractari nolim.

Elegantiſſima ſunt quæ diſſeris de voce *mat*. Solent ſæpe permutari potentia, ſcientia & voluntas. *Mat* nobis eſt debilis ſeu potentia deſtitutus; ſed *matto* Italis deſtitutus cognitione & judicio. Sic *arg* olim homo inutilis, Longobardis, (apud *Paulum Diaconum*) ut & Græcis; hodie ſumitur pro malo. Itaque olim pro eo, cujus imperfectio conſiſtit in ipſius potentia & intellectu; hodie pro eo, cujus vitium eſt in voluntate; ſic *tögen*, *degen* (id eſt Held) olim de viribus & robore, prorſus, ut latinum virtus. Sed hodie tugend (ut & virtus) magis de rectæ voluntatis habitu. Probus homo, preud-homme, nunc de viro forti, nunc de viro bono, quemadmodum viri ſtrenui & nobiles olim *gute Mannen*, boni homines dicebantur, quæ expreſſio hodie in contemtum abiit. An *mat* pro ſocio, & *mad*, vel *matt*, pro debili, ſtulto, ab eodem? hæreo. Sanè mit, *μετὰ*, metten, muthen (occurrere) meeting, mate (unde matelot) conveniunt;

Digitized by Google

conveniunt; quemadmodum ab altera parte modde, mudde, (pro limo) maza, (pro cibo) maſſa, mad pro molli, debili, matte (polſter). Sed amazzare, mattar, puto eſſe à mazza maſſa, maſſue, Streirkolben; cui nomen a craſſitie vel maſſa ſua in extremo. Nempe ut bovem, ita & damnatum, ictu maſſæ, id eſt, clava occidebant. Et tale quid Italis hodieque in uſu eſt. Fortè tranſitus factus *à mit* vel medio ad maſſam, quales medullæ. Non auſim tamen quicquam affirmare. In vocibus aliquot hujuſmodi ſpecimina dari inquiſitionis (*Claubergii* exemplo) non inutile putem.

Legens, quæ habes de Erf æxen, jam recordor, quid ſit ordnung der Kilſer marck, quam iterum petis; nempe, quod tibi miſeram ex communicatione hæredum Domini *de Voſs*, Cameræ noſtræ Directoris. Neſcio, quo nunc loco jaceat. Sed ubi ubi ſit, latere non poteſt; repertum certo mittam.

Excerptum ex MEIERI *Epiſtola*, *de voce* ERB-EXEN.

NUnc accedo ad tuos *Arrv-exen*, de quibus quemadmodum eruditæ tuæ cogitationes ad primas cultæ Germaniæ, ſed adhuc ſylvis obſitæ, origines procedunt; ita ego ſubſiſto in iis, quæ ad *Caroli M.* tempora, eaque præcedentem ætatem (quam voco Germaniam jam nunc habitatam, & hoſpitam factam; qualis fuit temporibus *Taciti*) pertinent, quo ſpectat eruderatio der Arrv-exen, quid illi ſint fuerintve, quidve per illas in vetuſtiſſimis documentis intelligatur. Atque ut videas, quemadmodum in cæteris præcedam partibus, utque ad prima voces reducam principia; ita & idem in verbo hoc arrv-exen demonſtratum dabo.

(1.) Itaque conſtat, vocem eſſe compoſitam ex arve & exe. (2.) Quid hodie notet prior vox, nempe arrve, notum eſt. Sed progredior ad vetuſtiſſimos majores noſtros. Iis arven (Erbe,) derivabatur à veteri arrve, ſagittas & quælibet arma denotante vocabulo. Hæc enim arma venatori hominum beſtiarumque populo ſola erat hæreditas. (V. *Loccenii* Antiqq. Sueo-Goth. l. 1. c. 2.) erantque adeo arrven indigenæ gentis, cives, inhabitatores prædiorum à parentibus inſeſſorum, & morte eorum acceptorum. Tales vocabantur aliàs ab *ode* proprietate, *odalls* proprietarii terræ (uti hodieque in lingua Scandica) nobis vocantur *Edellüde*, qui in ſuo nativo ſenſu nihil ante tempora *Karoli M.* aliud quid erant, quàm proprietarii terræ, vel provinciæ inhabitatores, atque ideò præcipui & ſummi; ex quibus proinde Comites, Duces, Gravii, id eſt, judices eligebantur. Quod idem hodieque ex antiqua gente Friſica ejuſque inſtitutis patet. In ea enim, cum coëmta qualibet proprietate fundi, coëmitur quaſi & transfertur in poſſeſſorem ſeu emtorem jus quodlibet Provinciæ; fitque talis ex ordinibus unus; item nobilis (ex terræ illius ratione) & quorumlibet honorum capax.

Exe vero quid ſit, rectè enotaſti. Sed & ex hiſce jam poſitis ex ſe ſequitur elu-

eluceſcitque, quid ſint arrv-exen, nempe proprietarii in terra aliqua, *gau* vel *marcke*, qui rei proprietariæ poſſeſſionem habent, & certum jus vel certa jura *mit der exen*, *de ſe gearvet hebben* à majoribus ſuis, in ſylvis quid peragendi. Qualia verò ſint ea jura, illud ex antiquitatibus Germaniæ voci huic eſt adaptandum.

Didici verò ego ex MStis, quæ multo numero ſunt ab amicis communicata, inprimis ex manuſcripto quodam, cujus titulus ordnung der Killſer marck, locoque nunc principii pono (id enim ex ſe patet) in terris Weſtfalicis trans Veſarim continentem verſus, à Karolingis diviſas eſſe terras vel terrarum portiones in marke; cujus diviſionis veſtigia luculentiſſima extant in Epiſcopatu Oſnabrugenſi, terriſque finitimis. [*Diviſiones illæ videntur* Carolo M. *priores.*] In qualibet verò Marca antiquiora & eminentiora prædia habebant jura der arrv-exen, ſuntque peculiaria jura prædiis certis competentia & dignitates adhærentes fundis certis, adeo, ut cum prædiis venditis transferantur in emtorem. Ita in der Killſermark ſin drey erb-exen. (1) poſſeſſor prædii Altenbokel. (2) poſſeſſor domus Wackhorſt. (3) poſſeſſor domus Killver. In der mark Diſſen Epiſcopatus Oſnabrugenſis nobiles ſunt arrv-exen, habentque Præſidem Majorem videlicet des Háveſto Diſſen, qui eſt der arrv-exen arrv-richter, (uti patet ex diplomate conceſſo huic villæ, cujus ectypon penes me eſt.)

Ut porrò pateant jura der arrv-exen, ea taliter deſcribuntur: non habent tales ullam in marcam ſuam juriſdictionem, ſed his gaudent privilegiis. (1) Sie mögen ſo viel vieh in die marcke treiben, alſs ſie des Winters über auſs-futtern können (2) zu ihrer nothdurfft (hinc verò primario denominantur,) ein ſtücke zimmer holtz ohnangeweiſet hauen, ſed tamen nicht überſchreiten; quia ein ieder marck muſs verſchonet bleiben von ſchädlicher verwüſtung. Ita in marca Diſſen hat ein Edelmann macht 12 bäume zu hauen, ſi ſcilicet prædium eſt *eine volle wehre*. (3) Sind die arrv-exen ſchuldig für der marck gerechtigkeit und Auffnahme zu ſprechen (ſcilicet ſunt adſeſſores in judicio foreſtali, im holtzgericht.) (4) Es lieget den arvexen ob, für ihre eigenbehörige leute zu ſprechen, oder dieſelbe zu vertreten, da einer oder ander an deren Gerechtigkeit geſchmählert würde. (5) Nemo alius in marca abſque conſenſu & præſcitu der Arvexen poterat ligna cædere. Ita concedebantur monaſteriis jura cædendorum lignorum congruis temporibus; ſed ad talia conſenſus neceſſarius erat der arvexen (Vid. Chron. Montis Sereni p. 38.) Unum addo; ſi ex inſtitutis diverſarum gentium, iiſdem vel ſimilibus (inprimis in rebus arbitrariis) concluſio fit, ejuſdem eſſe originis gentes, patet ex hoc etiam capite, Scandinavios Saſſonesque noſtros eandem eſſe gentem (abſtracturus, an hi ab illis, an verò illi ab his ſint oriundi.) Habent enim & Gothi arv exen in diſtrictibus, qui ipſis vocantur Bollaxe (à Boll, prædio.) Definiuntur tales *Exen* ſecures majores, prædiis adhærentes, & jus concedentes ferendi ſecurim, id eſt, oxabyrd, cædendi in ſylvis vel ſylvam. V. *Locc.* l. Sueo-Goth. p. 117.

Quæ

Digitized by Google

Quæ de voce *Rode* obſervas, ea iidem cum antiquitatibus noſtris Etymologicis in omnibus conveniunt. Habent nobiſcum communem vocem Sorabi, quibus ſimiliter Rodaja & Rodajen eſt ex ſylva novale facio. Vid. *Frenzel.* Origg. Sorabb. p. 733. ſed & huc refero terminationes urbium ſeu arcium Ruſſicarum Ivannogorod, Novogorod Veliki, Novogorodum magnum; quanquam ad garde etiam referri poſſit; Latinè enim exprimitur Neogardia. Huc itidem refero nomen cœnobiorum Wallsrode vel Walprode, Gerenrode. &c.

Excerptum ex Epiſtola MEIERI *de voce* MAD, *ejusque cognatis, in ſpecimen Etymologicum.*

NUnc progredior ad ea, quæ vi regulæ Etymologicæ, omnes ejuſdem expreſſionis voces ad eandem eſſe originem transferendas, & ex unis radicibus petendas, in appendicem literarum tuarum conjeceras; in quo uti convenio, quodque principium ſemper urſi, ita illud ſuppono, potuiſſe fieri, ut ſolis literis non præterea ſenſu, voces quædam conveniant, ſenſuque maneant differentiſſimæ. Ita quod nobis *batt*, *bater*, *béter* melior, eſt Perſis *batar* pejor, ſed & (II.) poſſunt voces convenire literis, ſed ſenſus gignere diverſos, quorum in certo tertio convenientia non appareat. Adduco vocem mark, & ejus varios totoque cœlo diſtantes ſignificatus. In quibuſdam enim conveniunt, verbi gratia quatenus marck ſignum, notam, forum, vexillum bellicum, Mercurium, limites, fines, monetam marcksülver, regionem in finibus ſitam, juriſdictionem territorialem, Landwere, ſignificat. At pergo, quomodo ad fines referemus mark medulla, mergel, Latinis Marga, Margen, vel morgenlandes; quo ſenſu notat juxta *Plin.* l. 17. c. 7. medium & intimum rei, & id, quod eſt quaſi nucleus; & Gallis hodie *marc* ſunt fæces vini, quæ poſt unam alteramque torturam remanent acina; id eſt quaſi medulla, medium & nucleus in acinis, unde & medulla Latinis, quaſi medium. Addo mark equus, orſus, ors, roſs im Heldenbuch. Poſſem proferre centum alia, ut *runa*, *equus caſtratus*, & Runer, Allruner, ſapiens myſta; *rinde* cruſta, & *rind* pecus; *bund*, fœdus, & *bunt* verſicolor. Sed (III.) ne quidem hinc infero, quin convenire queant in certo tertio, tertiumque illud à ſagaciori indagatore reperiri queat. Aſt hoc (IV.) ſequitur, ſeu contingere poteſt, ut multæ habeant voces eandem pronunciationem, quæ tamen in duas claſſes dividi, atque ad duas radices diverſas referri debeant, vel etiam ad plures. Ita pergo ad conſiderationem & elucidationem vocis propoſitæ *Matt*, *Mat.* Ita ſcribis, nempe per (t) ubi noto, ſcribendum eſſe vocem hanc per (d.) Sic ſcribunt Iſlandi, ſic itidem Dani *madd.* Idem poſtulat etiam declinatio hujus vocis, & quæ alia epentheſis, *madd*, feſſus mede, item *mad* cibus *medder*, *midder made* vermis, *mad-* menſura (quanquam nos à Germanis ſuperioribus adſumpſerimus τὸ T. quod in multis vocibus

obtinuit.) Scribimus enim model, menſura, regula; item mad, inteſtina, dat midde, dat in der midde is, Latinis itidem medium. (II.) Noto, celeberrimum *Morhoſium* non ſatisfacere mihi, quòd quatuor tantum acceptiones vocis *mad*, *madd* adduxerit. Vult enim ille notare, (1) cibum (2) mede, feſſum, laſſum, (3) ſocium & collegam, (4) menſuram. Putat itaque, haſce quatuor ſignificationes ad unam eamdemque radicem referri poſſe. Reſpondeo itaque juxta Philoſophicæ meæ Grammaticæ regulas, antequam vox radicalis, id eſt, quæ ſit principium reliquarum derivatarum, firmiter conſtituatur, omnes & ſingulas ſub capite hoc collocandas eſſe, non aliquas tantùm; quòd aliàs inſufficiens eſſet partium enumeratio. Compoſitum enim aliquod ratione omnium ſuarum partium tale dicitur, neque fontem aliquem ſufficienter deſcribimus, niſi omnes ex eo manantes venas, fluviolos, flumina enumeremus. (III.) Hoc poſito, progredior, & demonſtro, vocem *mad* in innumeras ſe diffundere voces & varios occurrentes ſenſus. Incipio à vocali a. Certum enim nobis eſſe debet, vocalium omnium permutationem in ſingulis dictionibus occurrere poſſe, id eſt, τῦ a. e. i. o. u. Incipio igitur à vocali A. Occurrit ibi (1) mad, mat, cibus, NB. non quilibet ſed mollior. Inde Iſlandi e. g. met, matte, lambo eſcas (ſc. molles) madſak pera, mate Iſl. cibus, eſca E. à molli. (2) madd *feſſus mollis mèr wek.* (3) madd, matt, ſocius, unde nomen habent Selandi, *Mattiaci* dicti, teſte *Lemnio*, à ſociali concordia, dictique non tam à Belgico, quàm antiquo Gothico; pertinetque vox ad *mitt*, *midd*, *cum*, Græcis *μετὰ*, Gallis *matelot.* Iſl. *mate*, amicus. (4) *Made* vermis, unde *madur* homo, ſeptentrionalibus. Sc. hic ſeptentrionalium mos eſt, ut comparatione cum vermibus, mortalitatis mollitieique ſuæ memoriam ſecum renovarunt. Ita ſimiliter ſe *puke* vermi comparabant, Worm. Lingu. *Run.* 103. Ergo à mollitie. (5) made cœnum, lutum, a mollitie, made kiſte ſterquilinium, madenſak, corpus hominis, vermium habitaculum, Madkomönet Norvagis & Iſlandis credo eſſe Aprilem vel Majum, quo vermes copiosè naſcuntur. V. *Loccen.* Antiq. 2. (6) madern, contrectando ſe inquinare, habent Germani ſuperiores; quaſi dicas, mollia contrectando ſe maculare. (7) *Matraſſe*, matte, pulſter, culcitra, decke vom Stroh oder rohr, quibus incubabant ſervi, itidem à mollitie. Terræ enim ſeu humi interponebatur, ut eo mollius cubarent. *Matte ſtorea.* (8) *Matera*, genus armorum *Cæſar.* comment. l. 1. p. 3. 6. (9.) *mat*, delirus, inſanus, *mats* videtur pertinere ad mollem, effœminatum, fractum hominem. Tales enim habebantur majoribus noſtris *non viri*, *μάταιοι.* (10) *Mater* genus animalium. Maderfell à mollitie. (11) *Mater* germanicum antiquum, ex quo Latinum materia, notat præciſe materiam mollem, id eſt, *pus*, ſaniem. (12) *Mats*, Germanicè homo ventricoſus, der immer friſt und trin ket, id eſt, homo mollis. (13) *matſen*, maddsken, *amazzare* Italis, mattſen, & vi perrumpere dura, adeoque frangendo mollire. (14) *matte*, pratum (mollia prata) Friſii habent *made*, *mede* & *Dey mat*, id eſt, diurnum

Digitized by Google

num fœniſecæ penſum : Vides hinc eſſe *meyen*, metere. (15) *Matte* inteſtina, matia Latinis, quæ ſordes emittunt. Noſtrum inde eſt *meddwurſt* à molli. (16) *matraſſe* pertinet ad matratſe, & eſt matraſſe propriè lectus laneus vel tomentitius. It materazzo, culcitra, tomentum. *Ovid. Faſt. VI.*

- - *In plauſtro ſcorpea matta fuit.*

(17) *Mate*, menſura, pertinet ad middel, medium II. Mutato A. in vocalem E. fiunt (18) *Meddeke*, vermis (à molli) lumbricus, tinea terreſtris. Et nos Bremis het is *en meddeke van*'r *leggt*, per metaphoram dünne leggt, als ein worm. *mek* mollis, miúke Iſl. mite, vermiculus in caſeo. (19) Mede, *megan*, hoc pertinet ad midd, middel, medium, velut in medio ire. (20) *mede* [Germ. ſup. müde] feſſus, laſſus, malè *Junius* à *μόθος* ærumnabilis, labor, bellum, pugna; eſt à molli laſs. Iſland. mod, anhelus, laſſus. (21) mer, marcidus, mollis, modern, vermodern. (22) *meten*, bemeten pertinet ad *midd*, cum, & *matt*, ſocius; ſcribendum verò eſſe originarie, per (d) patet ex noſtro imperfecto præterito *Ikk bemodde em*; quò pertinet *mod* conventus. Inde ipſe conventûs locus *wikmodia*, vicus, in quo conventus ordinum à majoribus noſtris habebatur, cum ſuo diſtrictu; Iſland. *med*, *médr*, una. (23) meden conducere, [ſuperioribus Germanis *Miethen*] quo pertinet *medgen*, *magd* ancilla, *med merces*, (24) meten, metiri, menſurare, Iſland. propriè æſtimare. Inde & Iſl. *mèt* Num. plurali Lancis æquilibrium, à modo, ait *Reſenius*. Iſl. *miclo* locum ſigno. (25) mèten debere, pertinet ad *mate*, menſura. Ad illud enim tenemur, & in tantum tenemur, quantum valet poteſtatis noſtræ & obligationis menſura. (26) *mettſe*, meretrix, à *matten*, ex baſt confectis, id eſt, lectis ex ſtorea, meretricum & ſervorum cubitoriis. V. *Cluv.* Ant. Germ. L. 1. cap. 16. (27) *mettſer* cœmentarius, faber murarius, qui emollit rumpendo lapides, (28) mét (Kil) Sax. Sic pupa, ſuilla, carnes porcini delicatores. (29) *metsker*, lanio, volunt referre aliqui ad Arabicum maza ſegregavit, ſed proprior eſt radix *mate*, *mete* Angl. Saxon. Hinc & *Meſſe* Anglis ferculum. [*Hoc potius à mittendo*] unde *Matiarii* dicti Romanis, qui inteſtina, quæ ſordes emittebant, manibus tractabant. (30) *meſt* [*Germanis Superioribus Meſſer*] culter. Scilicet ſibilus inſertus tantum eſt, nec pertinet ad eſſentiam vocis, quod probo : Quia olim ſcribebatur ſine S. Ita in ſtatutis Brunſvicenſ. mettzet, metzete; & veteres Celtæ habuerunt *matar* & *metar*; item Scandinaviis eſt *maitar* concidere, ſecare; item Lingua Slavonicâ *metezom* cædere, abſcindere, dicitur. Igitur meſt, culter, quia eſt organon matiarii, Iſl. meitell, cuneolus, quo ferrea ſecantur, meitla, ferrum ferro ſcindo. III. Pergo ad permutationem *a.* vel *e.* cum *i*, & invenimus. (31) menſura *mate.* Norma enim & regula eſt æſtimandi (uti eleganter exprimitur Iſl.) & per conſequens metiendi. Conſiſtit in medio, id eſt, proportione vel Arithmetica vel Geometrica, *midds middelſt.* Interim Iſland. *Medan* à méd- an medio tempore. (32) Ad hoc *midd* pertinent infinita, quæ nunc non attingo. IV. Succedat permutatio τῦ a. e. i. cum vocali o. Ubi notamus, duo eſſe

 gene-

genera vocalium; primum genus eſt τῶ a. e. i. una veluti vocalis. Neque enim ſpecie differunt, ſed omnes tres ſunt ſymbolum lucis in ratione ad viſum, cujus objectum ſunt lucida & tenebroſa, alba & nigra; alterum genus eſt o. & u. ſymbolum tenebroſi, nigri, turbidi, velut ad obſcurum declinantis. (33) mòd, concurſus, obviatio, conventus; quo rurſus refero *witkmodia* nolkmod. *Bergmote* Jure Anglicano conventus ſeu curia, ad quam rerum metallicarum cognitio ſpectat. Iſl. *mot*, conventus, ſynodus. *mòd*, *gemot*, animus, quaſi gemod, gemed, uti & pronunciamus, quaſi concurſus ſedesque unita adfectuum. Dicimus, *mi is nigg lachens to mode*. Inde porro à concurſu omnium adfectuum notat vividam vim animi, viris propriam, apud Herrn von der Vogelweide, modwille. Sed & alio ſenſu eſt à molli: Hinc Belgis *moedigh gemoedigh*, eſt lenis, lentus; & Angli de corio, meke-ledder, dat ghemoedigh iſt, quod facile ſequitur, id eſt, facile alteri obvium eſt, molle ad parendum. Iſl. *mode*, animus irâ adfectus; *mödge*, iratus (NB. Ita videmus, *mod* & *gemod* convenire cum *mad* molli & cibo (34) model typus, forma, imago ex gypſo ſeu argilla, ad cujus formam ſtatuarius plaſtesve lapidem cædit aut æs fundit [*conſentit Latinum modulus.*] Pertinere ad *mate*, patet ex Iſl. ubi *medal* eſt medium, mediocre; *Medal mate* vir mediocris ſtaturæ ſeu mediocris vir. (35) *moder*, mater; *moder*, equa, matrix propriè; uti Italis *madre*, uterus Iſl. *ſammœde* uterinus. Sed & nos dicimus cum Iſlandis moders, matrix. Ergo mater ab utero, in quo convenientia ſeminis & eorum, quæ ad partum generandum & perficiendum pertinent. Ergo à méten obviare. (36) ita *moder*, fæx in aceto conveniens ad conſervandum; *miodur* Iſl. vinum recens, acetum. (37) modern, vermodern idem eſt quod verméren, zu mör oder mürbe werden, molliendo putreſcere; Huc & pertinet mors quaſi de vermodernde Krafft, vis emolliens, & emolliendo perdens. *Mòt* eſt Iſl. nex, mors. (38) Miſnica lingua, *motte* tinea; Iſlandi habent *madkar* vermis; habent itidem *moth*. V. Denique venio ad permutationem τῶ *a. e. i.* in *u.* ultimam vocalem, & occurrit (39) *mudde*. Itali habent *mota*, lutum, aqua ſtagnans. Eſt idem, quod in a vocali *mad* mollis; ſed mutatur in (u) vocalem, denotantem obſcurum, turbatum, turbidum. Notat enim aquam immotam, indeque turbidam, fœculentam. In hiſtoria Angliæ eſt foſſatum, quo caſtrum aut aliud propugnaculum cingitur. (Scil. talis aqua non movetur, nec motu limpida remanet.) Nos dicimus mudde, dreck, muddig, dreckicht, mudder, modder fæx, craſſamen ſed tamen molle. Iſl. habent *móda*, obſcuramen, fuligo. E. à molli, ſed tenebricoſo, lurido, (40) *mut*, modius, pertinet ad *mate* menſura; *midde*, medium (41) *muttſe* meretrix leviſſima, ſive molliter, id eſt, leviter obvians ad concubitum. (42) muttſe pileus latus, profundus, atque in ſcapulas uſque demiſſus, Scandin. *mitur*, mitra. It. *Almutia*. Denominatio eſt à molli; eſt enim Italis Epomis pellibus ſuffulta. E. mollis. Hinc & majoribus noſtris muttſe eſt pilswerde der preſter, in latinitate Barbara Almucia V. *Ottil* Fran-

Franco-Gallia h. l. E. à molli. (43) muttſen ornare, mundare, Germanis veteribus, comere. Scil. ornatus maximus veterum in tali amiculo conſiſtebat. Huc pertinet Iſl. *muta*, munus, donarium, E. a molli [*muten*, apud Brunſvic. eſt linteo madefacto faciem infantum purgare; fortè convenit cum voce mundandi.] (44) *Muttſen*, mutilare, pertinet ad mattſen, mattsken ſcindere, dura rumpere, quod eſt mollire. Hinc *Merula* refert ad *mætſen* abſcindere, amputare [hoch auffmutzen, eſt, exaggerando malè interpretari.] (45) *mutte*, tinea, (*Molanus* in indice) propriè eſt vermis atrior E. à molli (46) *mütte* Sau, ſus Tiris. Leg. de mutte mit den worpen, à mudder, in quo ſe volutat. E. à molli (47) *Mutſedel* in feudalibus, eſt petitio renovationis feudi, ſeu occurſus Domino feudi factus, quo renovatio petitur (per accidens autem Dominus feudi impeditur, ne actu inveſtiat.) Dat ergo mutſedel. Pertinet ad *mod*, *moden*, anmoden, occurrendo ſc. petere [imo Muth-zeddel *eſt ſchedula petitionis*, des anmuthens] (48) *Mutskerrn* conventio, ſocietas quædam inter Illuſtres familias, à *mod*, meten, obviare, [*mutſchiren eſt permutare.*] Hæ igitur voces quomodo eadem ratione, ſolis vocalibus permutatis, adfinitatem habeant & ſimilitudinem materialem patet. Omittimus alias multas, quæ huc referri poſſent. Verùm enim non hic terminus eſt finisque, ſed progrediendum eſt (I.) ad præfixa, quæ compoſitas efficiunt dictiones v. gr. *amm*, an, all, aw, *Be*, *Bi*, *dan*, *end*, *er*, *ge*, *her*, *in*, ma, to, van, ver, verr, ut an-moden, anmaten; & exorientur centenarii compoſitarum dictionum ex *mod*, *madd* mollis. (II.) Ad ſuffixa, qualia ſunt *Bar*, *berr*, *Brehd*, *Bod*, *de*, *dei*, *dom*, *dun*, *Ei*, *Ell*, *Enn*, *Er*, *gern*, *gar*, *garrd*, *bart*, *heit*, *jagg*, *inn*, *jung*, *Ik*, *kind*, *ligg*, *lin*, *ling*. (III.) Ad liquidas & literas (s) & (v) in medium vocis intruſas. Scil. inſeritur liquida L. & habemus *molld* [*malz*] hordeum madefactum & madefaciendo mollitum.

Hinc Belgis moldern eſt mollire. Inſeritur R. quæ notat molle aſperatum, & fit ex mod, modern (quod naturali modo emolliendo, & per emollitionem ſe ſeparando deſtruitur.) Inſerto R. violenta deſtructio, mord, morden, latro, *mordródus* Leges Ripuar. Inſeritur porro s. & fit *meſt* culter, item *miſt*, fimus, ſtercus, liquidum, molle. (IV.) Ad literam (s.) ſibilum notantem, & aliquid molle ſimul indicantem. Huc pertinet in aliis multis *ſmeden*, cædere, ſicut faber ferrarius, qui cædendo emollit ferrum. Nos habemus inde *ſmidig*, *ſmedig*, mollis. Interponitur (l) & oritur *ſmelten*, liquefacere. Itali habent *ſmoltire* cibum coquere: nos *ſmeltig*, liquidus, *ſchmiedig*, mollis. Willeramus: Schmetelichen, blandimentis mollitus. Schmeide, geſchmeide, cimelia, ſchmieren, ungere, & ungendo *ſmudden*, inquinare. *Smuddereg*, *Smuddevarken*. Britt. Smeth, *Smuth*, *macula*. *Smutſig*, ſordidus. *Smitten*, beſmitten, alterius famam convitiando velut ſordidam reddere, nigrare. Hinc Sicambris ſmutzen eſt convitiari &c. (V.) denique ſuccedunt permutationes conſonantium, adfinitate ſibi quadam junctarum. Tales ſunt & facilè permutantur (1) t. p. v. w. ſecundo

k. g.

Digitized by Google

k. g. q. s. gs. gk. x. cs. h. (3) d. t. ſv. v. gr. t. *mat*, in g. & eſt *maggd*; *macht*, *potentia*, *menſura*, quæ alicui competit. Hinc Iſl. e. g. *mæ mätte*, ad *mega* poſſum, *mætte*, potentia. *Magd*, ancilla, propriè & in originario ſenſu; qui apud Iſl. extat, à *megd* puella ſeu virguncula valde tenera; inde &, teſte *Reſenio*, animal quodvis parvum & tenerum. Unde madar, eſt vermis mas, *megda*, vermis fœmina. *D.* vel *t.* in *s. modern*, *vermodern*, mollire & molliendo corrumpere; ubi Miſnienſes habent s. muſs; muſen Iſl. notatque ſemimanſa, maſticulata. Sed & nos habemus muſs, gemuſs, genus mollium eduliorum. Iſlandi interſerunt (r) & eſt *murſt*, mordeo, quæ ſunt ſynonyma, & mordere Latinorum. Affine eſt *mord violenta nex*; item muſſig, otioſus, mollis. Sed & d. in v. in hac voce mud, muddig, mutatur. (V. enim ex naturali labiorum motu notat averſionem, fugam.) Hinc ex mudde ſit muw, cœnum ſordens, à quo nos avertimus. Defeſſus ſum ſcribendo; mille enim alia addi poſſent. An mereatur talis deducta vox per omnes claſſes in principia ſua, ut diſſertatione quadam, ſed comtiori, & per linguas non ſeptentrionis tantùm, ſed & orientis demonſtrata, in publicum prodire, tuum erit arbitrari. Tria noto: (1) patere ex his, quàm paucæ ſint in linguâ noſtrâ radices; (2) quàm recondita ſub vocibus noſtris lateat philoſophia; (3) quàm non ſapiat confuſionem Babelis lingua noſtra. Hoc Colophonis denique loco ſit, nondum ſatisfactum eſſe integræ evolutioni vocis *mad.* Superſunt enim ſimpliciora adhuc principia, ad quæ hæc ipſa vox, quia compoſita eſt ex tribus literis, *m. a. d.* eſt reducenda, quod alias fiet. Tu æqui bonique interpretaberis has meas diffuſiores ſcripturas. Volui enim tecum communicare exemplum aliquod linguæ noſtræ, & in eâ Philoſophiæ Grammaticæ.

EXCERPTUM EX EPISTOLA

G. G. LEIBNITII

Ad quemdam, qui omnia a Gothis derivare volebat.

Ex Otio Hanoverano Felleri, *qui putat iſtam litteram* Meiero *ſcriptam fuiſſe.*

HÆreo, an conveniat noſtra a Gothicis derivari. Etſi enim ob veterum teſtimonia veriſimilitudine non careat, Gothos in Scandia fuiſſe; ob *Cluverii* tamen argumenta, & rerum ipſarum diſſonantiam, plurimum adhuc dubitationis habet. Quod igitur pro conjectura ingenioſa alicubi afferere licet de Gothis Jutis, cautis iiſdem, neſcio, an tuto pro baſi ubique ſubſternatur. Et præterquam quod immodicam ſeptentrionalium jactationem alant, qui omnia noſtra illinc profecta volunt, *ego non video, cur magis noſtra*

noſtra à Gothicis, quàm à Cimbricis ſint petenda, aut cur non pro Gothico præſtet antiquam radicem Germanicam, vel Teutonicam nominare, cujus aliquando apud Scandinavios, & Islandos, aliquando apud Anglos, aliquando apud Gothos *Ulfilæ*, aliquando apud Francos Otfridi, aut alibi veſtigia extant, ne ſcilicet incertitudo totam inficiat operis ſtructuram. *Anglo Saxonica* tutiùs adhibentur: nam conſtat Anglo-Saxones à nobis egreſſos. Mihi certum videtur, ipſos potiùs *Scandinavios Ciſmarinæ Germaniæ propaginem* eſſe, etſi illi poſtea fortè colonias aliquas remiſerint nobis, de quo tamen non ſatis certò conſtat.

Ego *Scythica* malo vocare, non quæ Scandica, ſed quæ *Sarmatica*, *Hunnica*, *Ugrica* ſunt.

Incertitudinis, & ambiguitatis cauſa malim ea ſola appellari *Gothica*, quæ ex Codice argenteo ſumuntur: hæc enim talia eſſe indubitatum eſt. Alia Scandica appellari malim.

EXCERPTA EX EPISTOLIS
AD JOBUM LUDOLFUM.
Ex Leibnitii Collectaneis Etymologicis (*a*).

Ex G. G. Leibnitii *Epiſtola ad* Ludolfum 28. *Decemb.* 1697.

VOcabulis, ubi k mutatum in h, fortaſſe addi poſſet κόρη puella, huhr, *garce*. Nam & garce olim puella, quod indicat *garçon*. Talia ſcilicet olim non mala, ut bube.

Nuper venit mihi in mentem *hübſch* vel *hubiſch*, ut in antiquis chartis ſcriptum vidi, nihil aliud eſſe quàm *höfiſch*, ut hodie *höflich* aulicum, atque adeo elegans, urbanum; uti *corteſe* apud Italos civilis, humanus. Nempe *huba*, hoba, hof, curia, curtis, aula, vocabula ſunt idem ſignificantia. Scis, *hof*, curtem, cour, curiam, non tantùm ſumi pro aula palatina; ſed & pro *manſo* ruſtico vel caſa cum agri adjecti modo; itaque *hufe landes* eſt, quantum agri homini ruſtico pro familia alenda convenit. Ex quo intelligitur, *hube* vel *hufe* idem eſſe quod hof.

Balth vel *Bold* vox etiam apud Gothos in uſu fuit, & teſte *Jornande*, *Balthorum* familia poſt Amalorum dignitate proxima erat.

(*a*) Fragmenta quæ ſequuntur, non reperiuntur in commercio Epiſtolico *Leibnitii & Ludolfi* a D. *Michaele* publicato, in Tomo V. inſerto.

Digitized by Google

Heaven, ut Anglis, ita etiam Brunſvicenſibus cœlum eſt, ſed ſpectabile tantùm. Neque enim hanc vocem uſurpant, de cœlo beatorum, ut hodie faciunt Angli. Etiam Finnonibus & aliis cognatum quiddam *Taivan* in uſu eſt.

Ond vel *andt* pro malo & incommodo etiam Germani retinuimus non tantùm Sveci. Nam dicimus, es thut mir andt, id eſt, es thut mir wehe; etſi hodie non niſi de incommoditate inſolita uſurpetur, & *ahnden* etiam ſit ut inſolitum ad animum revocare.

Suſpicer *damnare*, domare, dominari, domus, δαμάω, damm (qui domat coercetque) ab uno eſſe fonte.

Rite etiam Anglis eſt ſurgere, ut ſeptentrionalibus.

Quæri poteſt, nos in *Snabel*, *Snepfe* addiderimus S, an Sveci ſuſtulerint in *nabbe* roſtrum. Neque enim ſtatim antiquius eſt, quod illi habent. Habemus & *ſnappen*, *ſnuppen*, *ſnüffelen*, *ſnauze*; quod facit, ut ſuſpicer etiam *naſum* ad eandem originem referri; quo admiſſo faciliùs credam, S. noſtrum eſſe προσθετικόν.

Shere antiquis Saxonibus dividere; hodie *shire* Anglis comitatus ſeu terrarum diviſiones. Nobis hodie *schahr*, diſpertiti viri, diſpertiti ordines. Fortaſſe & hinc *ſcheuren*, in quibus res clauſæ & ab aliis ſeparatæ aſſervantur Saxonibus inferioribus *ſchuhr*, locus tectus, injuriis non obnoxius; hinc *ins ſchuhr bringen*. Inde enim fortaſſe vocem præſtat, quam à *ſecuro* ducere. Apud Suecos *ſcheren* ſunt rupes marinæ, in quibus anguſti diviſique aditus fiunt. Aſſonat & *ſecare*, *ſecuris*, *ſachs culter*, *weth*, *wied*. Reſpondet etiam Anglico *wood*, quod eſt lignum.

Quern etiam Saxonibus inferioribus eſt mola. Urbs Hamela dicitur & *Quern-Hamelen*, & in ejus nummis eſt rota molaris. Hinc derivo & *querl* inſtrumentum, quo liquores agitantur, quaſi parvâ mola.

Fateor Latinos *c* pronuntiaſſe ut K; mirum interim Germanos, cùm dicunt *Kaiſer* pro *Cæſare*, meliùs retinuiſſe antiquam pronuntiationem quàm Itali ipſi, qui *ceſare* pronuntiant quaſi *tsheſare*.

Non tantùm *wegen*, *wogen*, *wage*, ſed & *wallen*, *wellen*, *wenden*, *winden* &c. à motu.

Ort antiquis Germanis, & hodieque metallariis terminus. Vor dem ort, id eſt, ubi terminus putei aut cuniculi. Hinc erörtern, orthund ende. Interim non negabo, ordinem eſſe ab eodem fonte, & ὅρος quoque fortaſſe.

Putabam ego *welt*, quod eſt ab antiquo Werelt, originem habere ab eadem radice cum werren, wire (Angl.) wirren, gyrus, wirbel, vertere, &c. Atque adeo werelt eſſe idem, quod Latinis orbis gyrus; & ab antiquis, Germanicè rem antea Germanis fortè non nominatam dicere volentibus, ex Latino fuiſſe expreſſam, ut ſæpe alias. At Dn. *Meierus* mallet eſſe à wer old ſæculum, ſeu quod diu durat, quia werold ſcribat *Otfridus*. Judicio rem tuo permitto. W. generaliter aëris motus, *bisbi-*

Digitized by Google

biſbiglio. Hinc Ardelionem noſtri exprimunt, ore edentes talem ſonum. Talis & motus in orbem. Si r accedat, violentia major exprimitur, ut in *wire*, gyrus.

Ex Epiſtola G. Meieri *ad* Ludolfum 9. *Febr*. 1698.

TRes videntur Aborigines noſtri literas tantùm habuiſſe, b, d, k, vocalesque a & u. *Berenbeuter* vox injurioſa apud Germanos, vix à pelle urſi, duci poterit, ut hodie explicari ſolet; quaſi ſignificaret hominem deſidioſum, pelli urſinæ indormientem. Urſi pauci ſemper in Germania. Incumbebant textis vimineis. Inde proverbium hodieque: *He is komen van der Matten upt Stro*. Urſi, Büren. Bèr autem nobis Saſſonibus eſt porcus mas, verres Latinis; & Ber, varken, porcus non caſtratus in ſtatutis Bremenſibus & Hamburgenſibus antiquiſſimis; conſonat èver, & aper. Hodieque bérenheder noſtra Dialecto idem, quod *Swindriver*, vox odioſiſſima.

Ex Literis G. G. Leibnitii *ad* Ludolfum.

COnjectura Dn. *Meieri* de Berenhuder magis probabilis; ſed tamen nec vulgaris ſententia contemnenda.

Equidem arbitror & ego, literarum in vocibus vim quandam naturalem apud homines, impetu quodam nomina magis quàm conſilio dantes, ſæpe valuiſſe. Sed non auſim ſperare, poſſe nos ad hos fontes pertingere hodie poſt tot commutationes perturbationesque accidentarias; etſi Germanica præ aliis oſtendere aliquid naturæ conſentaneum videatur. Sic in l. motus aliquis lenis; in r violentus; in ſp. penetratio, ut ſpiz, ſpada, ſpindel, ſpalten, ſpleiſſen. *Claubergius* libellum dicitur edidiſſe, ubi de Etymologia linguæ noſtræ philoſophatur, quem nondum vidi. Poterat aliquid præſtare. [is libellus poſtea ad manus meas venit. *Dn. D. Weſthoſius*, Archiater aliquando Electoralis & Medicus apud Hammenſes in Weſtphalia celebris, multa elegantia & jucunda nobis narrabat de Linguæ Germanicæ conſenſu cum natura rerum, quæ legi mererentur. Ipſos etiam Scripturæ Sacræ ſenſus ex Germanicâ verſione illuſtrabat ingenioſè; putabatque divina quadam providentia factum, ut pene non minùs in illa quàm lingua originali, myſtici ſenſus lateret, etiam ubi à fontibus receſſiſſe nonnihil videretur.]

G. G. Leibnitius *ad* Ludolfum. 12. *Decembr*. 1698.

GAudeo, Hiſtoriam tuam tam bellè procedere, ac te à medio ſæculi non longè abeſſe. Autorum, qui perrecturo prodeſſe poſſint, vix quisquam eſſe poteſt momenti majoris, qui tibi minùs notus ſit quàm mihi. Nec putabam, circa annum trigeſimum octavum aut quadrageſimum magis

Digitized by Google

gis quàm antea, deficere ſcriptores: Quin potiùs rebus paulatim ad pacem vergentibus, quæ in Weſtphalia poſtea fuit concluſa, Hiſtorici ea, quæ præceſſere, attingere ſolent; quod præter alios etiam *Aitzemam* facere noſti.

Dum paſſim deliberatur de Republica, nos quoque de graviſſimis argumentis tractamus, unde ſcilicet dicti *Bernbuter* & *Hahnreh*; magna utique diffuſione ſua nomina, & cura noſtra digna. Etymologica res conjecturis, non demonſtrationibus agitur; & credo, veras interdum eſſe origines, quæ minimè ſunt veriſimiles: caſus enim in linguarum mutationibus magis quàm conſilium dominatur. Itaque vix unquam probabis derivationem veriſſimam, ſi ad vivum reſeces; ut Raméi olim omnia examinabant ad tres leges *κατὰ παντὸς*, *καθ' αὑτὸ*, & *καθόλου πρῶτον*. Etſi *Ber*, *eber*, verres, Anglis *bor*, Belgis *beer*, quibuſdam Saxonibus *borg-ſchwein*, propriè eſſet maſculus; an non porrigeretur facilè ad totum genus, velut hirſch, & aper, & verken, porcellus, & ipſe porcus? Etiam *ors* olim de mare tantùm equo, ut notavi in antiquis ſtatutis urbis Brunſvicenſis; uti *hirſch* propriè mas. *Hirs* autem, vel hart, & hors, ſola differunt dialecto; & hodie tamen *hors* Anglis equus quilibet. Deinde etſi nulli verrium greges, an ideò minùs facilis denominatio à potiore? Certè cùm nuper Viro docto & judicio prædito Meierianam derivationem narraſſem, valde plauſibilem judicabat, nec objectionibus moveri ſe dicebat. *Suindryver* (id eſt' *Suin hirte*) porcorum cuſtodem, injurioſam eſſe appellationem, ipſe notavi. Unum ſupereſſet ad plenam demonſtrationem, ut oſtenderetur, *Bernbüter* reapſe uſurpatum pro cuſtode porcorum. Sed hoc oſtenſo, non jam ampliùs opinio, ſed res; non fides, ſed ſcientia haberetur.

Nunc venio ad etymon *Hahnreatus*, id eſt, ut Gallicè balbutiam, *Cocuatûs*; quo ego ſcilicet invento glorior, ut *Archimedes* ſphæræ & cylindri comparatione; valdeque indignor, eam mihi eripi tuo illo diſſenſu. Si dixiſſes: *non liquet*; valde me turbaſſes: quid nunc futurum putas, ubi dixiſti: *non placet*? nigrumque ſententiæ meæ theta præfixiſti, pro qua ego tanquam pro aris & focis depugnare conſtitui. In notationibus vocum cavendum mones meritò, *ne ex ſimilitudine literarum, vel denominatione alicujus rei ſola, ſine affinitate aliquorum nominum, verborum vel phraſium, applicatio ad alia compoſitione incongrua fiat.* Id putabam, me pulchrè caviſſe; neque enim hic ſimilitudo literarum, ſed binæ integræ voces; neque incongrui as in compoſitione; neque quærenda affinitas, ubi res ipſa eſt. Nempe *hahn-ree* eſt capo; quia *hahn* eſt gallus, & *ree* (runa Islandis) caſtratus. Prius patet; poſterius probo, ex uſu vulgi etiam in his terris, ubi *ree* cantherius. Sed tu velles *ree* generaliter ſumi pro caſtrato quovis. Id verò iniquum eſt poſtulatum; quid uſitatius quàm ſynecdoche ex permutatione generis & ſpeciei? Nonne recordaris, quid Italis *il caſtrato*? nempe illis eo nomine *κατ' ἐξοχὴν* venit aries exſectus. Eodem modo *ree* vocabulum commune caſtrati olim, (originem veriſimiliter habens ab impotentia) in equis remanſit, & ſi rectè conjeci, etiam

in

Digitized by Google

in gallis. Nec neceſſe eſt, quia *hahn-ree* caponem dixere veteres, aut ea vox ad nos, licet alio ſenſu, pervenit, dixiſſe eos etiam boks-ree aut ochsſen-ree vel potius bullen-ree; aut ſi dixere, non neceſſe eſt vocem ſupereſſe. Variat lingua in compoſitione. Dicimus, *Meſſer-Schmid*, non verò *Schwerdt Schmid*, ſed *Schwerdſeger*, licet aptum parum. Ita *Buch-Führer*, indignantibus licet bibliopolis, paſſim uſurpatur pro *Buchhändler*. Ita dicimus Hirſch-bock, Rehbock; ſed Ochſen-bock dicit, quod ſciam, nemo.

Non ergo omnis, quæ fieri potuit combinatio aut ὀνοματοθεσία, debuit facta eſſe. *At*, inquis, *ſi Ree ſignificat equum caſtratum, rectè ad gallum non quadrat.* Pari jure diceres; *Si bock* ſignificat caprini generis marem certè ad cervum non quadrat. At pergis: *Docendum erat, Ree caſtrationem denotare, & adjectivum eſſe, vel originem ſuam à verbo quodam trahere.* Sed ſi cantherium notat, utique caſtrationem indicat. Adjectivum aut verbale cur eſſe neceſſe ſit, non video, non magis quàm *bock*. Sed quid ſi ſit ordinariè verbale vel adjectivum, nobis licet ignorantibus? quid ſi modò adjectivum, modò ſubſtantivum, ut ſæpè fit? Dixi jam, plebeja dialecto *ree* eſſe *ſtumpf*, *matt*, impotens; *ree reiten* de equo labore equitandi exhauſto; ita vides, etiamnum eſſe adjectivum. Tandem, inquis, cur potiùs *Hahn-ree*, quàm *Bock-ree* vel *Ochſenree* dicatur is, quem Hahnreatui obnoxium dicimus. Sed facilis reſponſio eſt, galli gallinacei majus nomen, majorem in hoc genere gloriam eſſe. Et nobis *capaunen* ſeu capones, antiquis Galli, (quales matris Deum) dicuntur omnes homines caſtrati, potiùs quàm verveces? Agnoſcis gallinacei generis prærogativam. Eandem hoc loco valuiſſe puta. Jamque opus exegi, & præclàrum illud inventum meum atque immortalitate haud dubiè dignum vindicavi: nec dubito gallos meos opponere non tantùm tuis Iſraëlitarum locuſtis in deſerto, ſed etiam *Bocharti* hippopotamis & crocodilis in Nilo, ipſique elephanto Tenzeliano.

Nunc dicerem:

Sicelides Muſæ, paulo majora canamus;
Non omnes gallive juvant, ſapidæve locuſtæ:

Niſi meritò mecum agnoſceres, fruſtra de Republica diſſeri. Addo: de Eccleſia fortè adhuc magis fruſtra. Unum tantùm notabo, non videri mihi ab uno Pontifice Romano omnia pendere, ſed opus eſſe, maximos orbis Chriſtiani Principes accedere ad Eccleſiæ curam. Nam dogma eſt inter Pontificios ipſos, Papam ab aliis poſſe judicari, ſi ſeſe hæreſeos crimine obſtringat: tunc enim omnes ejus prærogativæ concidunt. Scis *Innocentium XI.* pene hæreſeos à Gallis fuiſſe poſtulatum; & neſcio, an tibi miſerim aliquando Epigramma à me olim ſcriptum, occaſione Gallici poëmatis:

Qu ndo Lavardini Gallus tibi Petre canebat,
Wilhelmo tacitè dum prece Roma favet;

Digitized by Google

Talia criſtata quidam de gente rogavit
A ſuperis, zelo vota facitque novo:
Papa ô catholicus fias, *Hugonota Jacobe,*
Ut maneat patriæ gloria paxque meæ.

Dn. *Meierus Zinken*, inſtrumentum Muſicum currum, derivat à *Singen*, canere; ego malim Zinken, Zanken, Zacken, eſſe curvas res & uncinatas, uti Græcum ζάγκλη falx; quin ipſum Italicum *Cinghiale*, unde Gallicum *Sanglier*, aper, (quia hujus dens figurâ eſt eine Zincke) ab uno eſſe fonte. Judicium quæſo tuum interpone, utrum probabilius putes.

EXCERPTA EX LITERIS

G. G. LEIBNITII

Ad O. M. ann. 1706. datis.

Ex Actor. Erudit. Lipſienſ. Supplement. Tom. IV.

De Hanſeaticis; de Codice Evangelior. Gothico: De antiquitate literarum apud Germanos.

INſigne Cl. *Hickeſii* opus de linguis veteribus ſeptentrionalibus avidè expecto. Interim hujus ſtudii mihi æſtimati voluptate captus, paucula annoto ad operis recenſionem in his actis nupero Martio (A. 1706.) datam.

Hanſeaticos non a mari, aut flumine, ſed ab Hanſa, id eſt fœdere, nomen habere, hujus noſtræ Germaniæ antiquitatum periti dubitare vix poſſunt: antiqua enim monimenta nihil aliud quàm *anſam* Teutonicam loquuntur; inde poſteriores quidem Hanſeaticos fecere, tamquam an-ſee, ad mare, quòd maritimis maximè commerciis valerent. Vocabulum corruptum, ignorantiaque vetuſtatis admiſſum, uſu convaluit, ut alia multa inepta; eo ferè modo, quo & Galli ex *Hariban* (vocatione ad exercitum, *Clameur de Haro*) arriéreban fecere, vocem ipſis non ampliùs intellectam, Har, Here in aliam hodie notam transformantes.

Evangelia Gothica a *Franciſco Junio* edita ſunt ex Codice, qui fuit Monaſterii Werdinenſis in Weſtphalia, fundati a *Ludgero*, etiam Helmſtadienſis noſtri Autore. Is codex nunc in Suecia non minùs ſanctè cuſtoditur, quàm Florentiæ Pandectarum volumen. Autorem eſſe *Ulſilam*, quem veteres memorant, etſi pro certo dici non poſſit, non ex eo tamen refellitur, quòd Autor Teutonicus homo eſſe videatur; quid aliud enim Gothi, quàm pars Theotiſcorum, ſeu Germanorum? cùm a *Tacito* Suevi in ulti-

Digitized by Google

ultimum Septentrionem, & Germani veteres *Paulo Diacono* Longobardo uſque ad Tanaim porrigantur. Certè Saxones, Franci, Alemanni, Gothi, aliique veteribus memorati hujus generis populi, eumdem linguæ Teutonicæ fundum coluere; ut hodie Ruſſi, Poloni, Bohemi, Winidi, Slavicæ linguæ eſſe dicuntur. Et licèt adeo ſæpe Populi differant dialecto, ut alter alterum loquentem non intelligat, ſcriptis tamen conſignata meditanti conſenſus apparet; quem ſi non admitteremus inter eos, qui colloqui nequeant, nec Friſii, nec Tirolenſes ſimul Germani eſſe poſſent, nec Germanus foret *Otfridus*, quem nemo hodie intelligeret loquentem. Verſio autem Gothica Græcis fontibus non Latinæ vulgatæ reſpondet, multaque in ea ſapiunt Germanos Græcis vicinos, quales erant Baſtarnæ, & Gothi.

Ut Gothicorum Evangeliorum literæ ex Græcis; ita Saxonum, & Francorum ex Latinis ſunt magis efformatæ; idemque de Septentrionalium Runis dicendum eſt, a quo Cl. Autor non videtur abhorrere.

Cùm literarum ſecreta apud Germanos *Tacitus* viris pariter, ac fœminis ignorata dixit, omnino eum de uſu ſcribendi, non de literis amatoriis ſecretis acceperim: nam, & traditione carminum, non ſcriptura, antiquitatis memoriam conſervatam notat. Cæterum hæc de uſu communi accipio: nam fuiſſe aliquos inter Principes, & Bardos, qui rudimenta aliqua ſcribendi haberent, facilè conceſſerim, quæ ſe paulatim dilatarunt. Sic *Wodanum*, vel *Odinum* (Septentrionalium *Mercurium*) Runas vel attuliſſe, vel in formam certam redegiſſe credibile eſt, cujus ætatem non meliùs colligas, quàm ex Genealogia vetuſta *Hengiſti*, & *Horſæ*, Saxonum Principum ab eo deſcendentium. Paulatim ergo Latinas literarum notas Germanos didiciſſe, & ſuæ tandem linguæ applicuiſſe cum Autore fatendum eſt. Certè lex Salica (non a *Lindebrogio*, ſed ut prius ab *Heroldo* edita eſt) multa continet ſermonis Francorum antiqui, ſub Merovingiis Regibus ſcripto conſignata. Imò ipſa Lex Salica à primis Autoribus patris ſermone in literas redacta eſt, idque antequàm Franci trans Rhenum ſedes figerent, quod mihi contra mirabiles boni *Godefridi Wandelini* imaginationes multis argumentis compertum. Literas autem Latinas, aut ex Latinis corruptas adhibuiſſe, perinde ac Saxones in Anglia, dubitandum non puto. *Trithemius* non pauca ex ingenio finxit: Itaque ejus Alphabetis fidi non poteſt, non magis, quàm *Hunibaldo*, aliis ignoto ante ipſum.

Alodium maluerim quaſi ahn-leod, quod non eſt leodium, ſive obnoxium: *leodes* enim ſunt obnoxii, & paſſim a (id eſt ahn ſeu ohn) veteribus Germanis privativum eſt, ut Græcis. Hoc malim quàm eſſe all-lood, a *lood* proventu annuo apud Scandianos, quaſi totum poſſeſſori proventum ferens. Cùm potiùs leodes a lood, cenſu, proventu, dici potuerint, quem dominis debebant: quod poſtremum tamen non definio. *Vaſſi* Guaſſi, Gueſin, Geſatæ, Vaſalli, Geſellen, ſunt comites, famuli addicti: hoc etiam malim, quàm Vaſſum eſſe a neſcio quo Gothico *Fads* procurator, cui reſpondeat Orcadum Præfectus *Faut*, vel *Faad*. Si Cl. Autori ſuccurriſſet

Teu-

Teutonicum Vogt, Voit Faut (jam olim ex Advocato Latinorum corruptum) facilè agnoviſſet, etiam hinc *Fad*, & *Faut* ad Septentrionales, ut multa alia veniſſe. Qui verò Germanum *Geſell*, cum *Gueſin*, (unde hodieque Geſind) ut Vaſallum cum Vaſſo comparabit, is pro Vaſallo explicando *Fadſcalcum* non advocabit.

Hæc in argumentis non nullius momenti, ſed ubi tamquam in re conjecturali libera ſunt judicia, annotare volui, non reprehendendi eximii Autoris cauſa, quem colo, ſed potiùs excitandi, ut hæc magis magiſque illuſtrare velit. Perſpecta enim mihi eſt ex priori opere inſigni ejus doctrina, & diligentia: latentque in his diſquiſitionibus, quæ gentium, rerum, rituum, jurium origines valde illuſtrent. Itaque optandum eſt, Theſaurum ex Theſauro, Junianum ex Oxonienſi aliquando in lucem proferri, omnemque Europam (ne de ſola Septentrionali dicam) Angliæ hoc quoque beneficium debere.

CONJECTURE DE M^R. LEIBNIZ

Sur l'origine du mot BLASON.

Tirée du Journal des Savans Juillet ann. 1692.

IL ſemble que *Blaſon* en vieux Celtique, auſſi-bien qu'en Saxon, ſignifioit une marque. Ici dans la baſſe Saxe, où le jargon du peuple a quantité de mots qui ſe trouvent encore en Anglois, les marques ſur le front des chevaux s'appellent encore aujourd'hui *Blaeſſen*; & en Anglois *Blot*, qu'on prononce plutôt *Blat*, eſt une tache. En François *Bleſſer* eſt *Vulnerare*: mais il ſemble qu'originairement en Gaulois il ſignifioit *marquer*, comme nous diſons en Allemand *Einenzeichnen*, *ſignare*, ou *marquer* quelqu'un, c'eſt à-dire lui donner des coups qui laiſſent une marque.

On peut ajouter les mots approchans qui ſignifient une couleur, ſplendeur, ou ce qui attire les regards. *Blaſs* en Allemand eſt *pallidus*; *Blanc* en Saxon comme en François *albus*; & *Bleu Cæruleus*. *Blac* en Saxon eſt *noir*; *Blicken* en Allemand *micare*, à *Bliz fulgur*; *Blazing ſplendor* en Anglois, comme *Bliſk* en Slavon.

Mais pour avoir une confirmation plus particuliére de notre conjecture, il faut conſiderer que *Bleſſed* en Anglois, & même en Scandinavien répandu juſques dans l'Islande, ſignifie *Benedictus*, c'eſt-à-dire *ſignatus*, ſigné du ſigne de la Croix. En effet *ſegnen* en Allemand eſt *benedicere*, comme *Zeichnen ſignare*. Et Mr. *Peliſſon* a remarqué aux preuves du premier volume de ſes réflexions, ſect. 8. ch. 3. parlant de l'uſage des anciens Chrêtiens d'imprimer le ſigne de la Croix ſur le front, qu'en une

Digitized by Google

une partie des provinces de France, & particuliérement en celles de delà la Loire, le mot *ſignari* Latin eſt demeuré depuis ce tems-là dans leur langage vulgaire : *ſe ſeigna*, c'eſt-à-dire, faire ſur ſoi-même le ſigne de la croix. Ce ſigne ſacré étoit appellé ſigne par excellence ; & *ſignare ſe* étoit faire ce ſigne ; comme il paroit encore dans le vers vulgaire recourant attribué au démon :

Signa te ſigna, temere me tangis & angis.

Même en Slavonois *Jhegnati* eſt *benedicere* ; & Mr. *Bernard* a remarqué dans ſon *Dictionarium Britannicum* (v. *Bleſſed*) que *Blazeny* encore en Bohémien & Ruſſien, eſt *benedictus* ; par où il paroit que la ſignification de *Blazon* (marque, ſigne,) a laiſſé des traces dans toutes ces langues. Je ne ſçai pas même, après ce que j'ai remarqué de *bleſſer*, ſi βλάψις *læſio*, & βλαισος *diſtortus*, *impeditus*, ne viennent pas de la même ſource. Car il ſemble en effet que preſque toutes les langues ne ſont que des variations, ſouvent bien embrouillées, des mêmes racines, mais qu'il eſt difficile de reconnoitre, à moins que de comparer beaucoup de langues enſemble ; ſans négliger les jargons, dont il ſeroit bon que les ſçavans de chaque pays priſſent la peine de recueillir les mots particuliers.

EXCERPTA

EX LIBRO MEMORIALI LEIBNITIANO,

Auctore J. F. Fellero, Biblioth. Vinarienſi.

Ex Novis litterariis Lipſienſ. Jul. 1722.

De Linguis in Magnâ Tartariâ uſitatis.

N°. 1.

Humaniſſimè rogo, an non per non-neminem, aut per Viros aliquos doctos, & rerum intelligentes, atque curioſos in Moſcoviæ Imperio notitia poſſit conquiri de linguis, quæ in eo Regno, & in Tartaria obtinent, & cum Ruſſica, vel Sclavonica non conveniunt, ſed in fundamentis diſtant. Occaſionem poſſent exhibere tum Metropoles, tum Urbes emporia exercentes, & ad limites ſitæ, itemque exercitus, ubi variarum nationum homines ſolent confluere.

Utile eſſet, ſi in his linguis oratio Dominica ita expreſſa poſſet obtineri, ut ex vulgatiori interlinearis verſio apponeretur, verbo tenus facta, ut cum aliis linguis, in quibus iſta oratio jam vulgata eſt, poſſet comparari.

Quòd ſi totius Orationis Dominicæ textus non poſſet haberi, perquiri tamen poſſent vocabula, ex quibus componitur, v. g. Pater, Cœlum, nomen, venire, regnum, voluntas, fieri, panis, terra, dare, debitum, remittere, tentatio, liberare, malum. Et ſic de aliis quoque rebus nomina poſſent explorari: e. g. membrorum humani corporis, eorumque uſus, oculorum, aurium, auditus, riſus &c. item affinitatum, & conſanguinitatis, v. g. patris, matris, filiæ, fratris, ſororis, viri, mulieris, infantis, tum victus, & amictus, atque armorum, & animalium aliquorum celebriorum, itemque elementorum, & quæ ad illa pertinent.

Sitæ ejuſmodi Nationes eſſe poſſunt ad latus Moſcoviæ ſeptentrionale, orientale, vel auſtrale: ſuntque Populi ſeptentrionales Moſcovitis Samojedæ, quique Sibiriam, Tingœſiam, aliaſque Boreas Regiones inhabitant, verſus Mare Album. Orientales Nationes apud Kalmükos, Mugallos; Braskros Boccharenſes Usbequios ad Confinia Perſiæ, Indiæ, atque Chinæ inquirendæ. Verſus meridiem, ſive Pontum Euxinum, atque Mare Caſpium attendi poſſet. Lipkii, Crimmenſes, Denenſes, accolæque Volgæ, Tartarorumque nationes circa Aſtracan, Cirkaſſii, Czeremiſſæ, Nogayi, Abgaſſii. Explorari quoque cupimus, utrum in ditione Crimmenſi, Precopienſi &c. adhuc ſint reliquiæ hominum, qui linguæ Germanicæ, ſed valde fractæ, & contortæ uſum habent, quales adhuc *Busbequii*, legati Imperatoris ad Imperatorem Turcicum tempore ſuperfuerunt, quod vix ſæculum ſuperat. Item quæ poſt Mare Caſpium natio ſit, quæ valde affinis ſit Hungaricæ, quod non nulli fide digni aſſerunt.

N°. 2.

BRevis admodum narratio de itinere, & legatione Dn. *Brandii* per Moſcoviam, atque Chinam, ad manus meas pervenit, quæ mihi vehementer placuit. Maximè memorabile mihi viſum eſt, quod Incolæ Ziraniæ multa vocabula habent Livonibus, qui non ſunt Germani, affinia, ex quo concludi poſſet, eamdem originem utramque Gentem habere. Inquirendum porrò, utrum Tartari Crimenſes ad Mare Caſpium, Pontumque Euxinum, lingua affines ſint Kalmuccis, & Mongallis, item utrum vocabulum Crim murum indicet apud Crimenſes, ut apud Chinenſes, quemadmodum *rax chan. Dyn.* haſtam indicat apud Turcas, Tartaros, & Perſas. Dixit mihi P. *Grimaldi* Romæ, *mara* ſignificare apud Tartaros Sinas *equum*, quod cum vocabulo Germanico (*Mare*) convenit. Cæterum de Tartaria habemus mappam geographicam ſatis magnam a *Nicolao Witſenio* Conſule Amſtelodamenſi editam.

OB-

Digitized by Google

OBSERVATIONES VARIÆ

DE LINGUIS, ET ORIGINE VOCABULORUM,

Nec non de concinnando Dictionario, & perpolienda Lingua Germanica, ex ore & ſchedis Illuſtris LEIBNITII quondam notatæ & deſcriptæ a J. F. FELLERO.

UTra linguarum inter Europæas maximè celebrium antiquior ſit altera: An Romana Idiomate Germanico, vel hoc illâ. Tum planè, an ipſæmet hæ duæ linguæ tamquam mater & filia ſe habeant, hoc eſt, an nulla etymologiæ, vel dialectorum ratione ultro citroque à ſe invicem dependeant; vel potiùs tamquam ſorores, aut agnatæ ex tertia quadam univerſaliore ſe multum antiquiore ſint exortæ? eaque an Hebraica hodie cognita, aut planè Noachica? vel preſſius, ac poſt *Noachum*, an Cimbricâ veteri, quæ erat ſoror Gothicæ veteris; utraque verò vel ſoror, & filia Suecicæ antiquiſſimæ (quam ſuo modo Runicam etiam poſſumus dicere) vel Scandinavicæ, vaſtiſſimo ſuo ambitu Suecicam, Norwagicam, Scandinavicam in ſpecie dictam, Danicam, Cimbricam, Anglo-Saxonicam, Belgicam veterem, & citeriorem quamvis Teutonicam, Slavonicam puta, & conterminas, complexæ? quid cenſendum de Græcâ ſit? an hæc adeo antiqua, & diſtinctæ prorſus a ſupra dictis originis? aut potius ipſa multum debeat antiquæ noſtræ Teutonicæ. Et ſi quidem hoc verum:

Qua occaſione id factum fuerit? quæ, & qualia extiterint utrique genti commercia? quæ, & per quas vias inſtitutæ vel Borealium ad Græcos, vel horum ad iſtos, & quando, migrationes fuerint.

An & quantum religionis, rituum, conſuetudinum, morum, habitus, ſcientiæ, & linguæ partem inde tranſumſerint.

Quibus documentis aut probetur paradoxum hoc, aut quo colore ſaltem non merè abſurdo reddatur veriſimile.

Conſideranda ſunt in linguis ortus, numerus, variatio, divulſio, cognatio, corruptio, & fatum multiplex linguarum. Hîc conſule quædam effata *Majoris in Diſſert. de Nummo Regis Oddonis Saxonici* & ejuſdem *Roma in Nummis Auguſtalibus germanizante.*

On ſçait que les Parthes ou Perſes furent une colonie des Scythes, que les Turcs ſont venus de ces mêmes endroits; & quant à l'Europe, que les Cimbres & les Gots & les autres peuples Germaniques paroiſſent être venus du Pont Euxin; & que les Sclavons, qui comprennent les Ruſſes, Polo-

A a 2 nois,

nois, & Bohémiens, ſont venus du fond de la Scythie, auſſi-bien que les Bulgares & les Hongrois, de ſorte qu'il ſemble que les berceaux de l'Europe ſont dans la Tartarie.

C'eſt un grand défaut, que ceux qui font des deſcriptions des pays, & qui donnent des relations de voyages, oublient d'y ajouter des eſſais des langues des peuples: Car cela ſerviroit pour en connoitre les origines. Je ſouhaiterois donc d'avoir des eſſais des langues des Sibériens, Samojedes, Circaſſiens, Czeremiſſes, Calmucs, Mugalles, Usbecs, & autres Peuples Tartares, qui ſont en partie ſous l'Empire de Moſcovie, & en partie y ſont voiſins, ou y trafiquent. Car par ce moyen on pourroit juger, ſi ces nations ont du rapport avec les Turcs, Tartares de Crimée, Eſclavons ou Ruſſes, Finlandois ou Eſtoniens, Hongrois &c.

In agro Veronenſi inter populos, quæ à Turre confinium uſque ad Rivoltellum habitant reperiuntur duodecim millia ex *Cimbrorum reliquiis*, *qui ſemigermanica adhuc utuntur lingua*, & in montibus verſus Septentrionem degunt. *Ughellus* Tom. V. Italiæ Sacræ p. 529. in Epiſcopis Veronenſibus.

Sanſon dans ſon voyage de Perſe publié vers la fin de 1695. rapporte que les *Gaures de Perſe* ont encore *leur ancienne langue*, & leurs anciens caractères, & qu'ils ont encore des vieilles membranes gardées par leurs Mages, mais qu'ils les cachent; qu'ils rendent des honneurs au Soleil & au feu, non pas comme à Dieu, mais comme à des créatures fort parfaites, car ils conſidérent *le Soleil* comme *le Siége de Dieu*.

Meierus Bremenſium Theologus, *Gloſſarium Saxonicum* paravit, & hinc inde *vocabula provincialia* collegit.

Huetius ſpem fecit notationum quarundam ſuarum circa *Saxonum veſtigia in littore Normanniæ & Picardiæ*, quod Saxonicum veteribus ob crebras Saxonum irruptiones dictum fuiſſe conſtat.

Vidi Catalogum librorum *Petrarchæ*, ubi inter alios libros conſpiciebatur Dictionarium *linguæ Cumanæ*, ſed in hoc indagando fruſtra laboravi.

De concinnando Dictionario & perpolienda lingua Germanica.

LA langue Allemande à mon avis commence à devenir auſſi délabrée, que la *Societé fructifiante*, qui a porté ſi peu de fruit. C'eſt quelque choſe de pitoyable que l'Allemand de ce tems; paſſe pour les diſcours, mais il eſt ridicule d'entendre du demi François en chaire, & d'en voir dans les Actes publics, & dans les piéces les plus ſérieuſes, lorſqu'on ne manque pas de très bons mots pour dire la même choſe en Allemand. Mais ce n'eſt pas le tout, il faudroit qu'on ſongeât, à l'exemple des étrangers, à faire écrire des bonnes choſes en nôtre langue; à faire des traductions des anciens, & même des excellens modernes, & enfin à faire quelque choſe de nôtre crû, qui méritat d'être traduit en d'autres langues. Sur-tout il nous faudroit un *Dictionnaire univerſel*, à l'exemple de ceux de *Furetiére* &

& de l'Académie Françoiſe, leſquels bien qu'imparfaits (puiſque ce ne ſont que les premiers eſſais) ne laiſſe pas de contenir une infinité de choſes belles & utiles. Et on me mande d'Angleterre qu'on y travaille maintenant à un dictionnaire ſemblable, qui ſera apparemment meilleur encore que le François. Vous ſavez, Monſieur, que l'Académie Françoiſe, auſſi-bien que l'Italienne *della Cruſca*, ont eu un dictionnaire en vuë dès leur premiére fondation. Plût à Dieu que nos *Fructiſians* euſſent eu le même deſſein! Mais ils ne ſe ſont amuſés qu'à des petites choſes paſſagéres. Nôtre langue eſt ſi riche en termes des arts, & des ſciences réelles, que je crois qu'un Dictionnaire Allemand univerſel ſeroit plus utile & plus inſtructif que ceux des autres peuples. Je trouve ſeulement que nous manquons quelquefois de mots propres à exprimer certains termes de morale. Mais je trouve auſſi, que S. A. S. de Wolffenbüttel même en a inventé & établi de très bons dans ſon *Aramena*, & dans ſon *Octavia*.

Tria dictionaria condenda putaverim, 1) *Lexicon vocabulorum uſitatorum*, 2) *Cornucopiæ technicorum*, 3) *Gloſſarium etymologicum* explicans vocabula obſoleta & provincialia, originesque.

In ſermone Synodali, qui recenſetur ex Codice Manuſcr. Monaſterii Nereſheimenſis Tom. IX. Concil. *Labbei* ad A. 1009. inter alia legitur p. 804. Nullus cum calcariis, *quos Sporones ruſticè vocamus*, & cultellis extrinſecus dependentibus miſſam cantet. (Eſt German. *Sporn*.)

Dealen, Anglicè, eſt *reden*, *ſchwätzen*. *Thalen*, garrire, Germanis in Miſnia, *eine Thale*, quod in Superiore Germania *Azel*, *Zehlen*, *erzehlen*, vient de talcken. Batavis puto, Tolck interpres.

Bird, Anglis, *ein Vogel*. Idem Saxonibus. Hinc *bürſten*, aves venari, jaculari. *Bürſt-Rohr* pro eis dejiciendis, ita mihi videtur.

Droll, *ein Kerl*, *von teutſchen trollen*, *das iſt*, *lauffen*. *Droll dich*, *das iſt*, *packe dich*, *lauff*! *Einen Kerl oder* Drole *nenne ich*, *den ich weder lobe noch ſchelte*, *ſondern zu verſtehen gebe*, *er ſey ſo hin von der gemeinen Sorte*.

Tappe à cet huis, diſent les Normands, c'eſt à-dire, frappe à la porte. *Tappe* & *huis* ſont des mots Allemands ſans contredit.

Sire, *Lundius* in Diſſertatione de Zamolxi ex Gothica lingua derivavit. Rectiùs derivatur tanquam vocabulum contractum à *Seigneur*, & hoc à *Senior*, quod in ſcriptoribus medii ævi Dominum ſignificat, interdum etiam maritum.

Paggio à παιδίον, pronunciatur enim *padſchio*, ut zabulus jam olim ex Diabolo, apud *Hilarium*, *Phœbadium* alioſque.

Page, παιδίον paggio; Ut *Majus* barbaris *Madius*, unde Maggio. Id ſæpe in diplomatibus reperies. *Mathildis* apud *Bacchinum* in diplomatibus Hiſtoriæ Monaſterii Padolironenſis adjectis p. 108. Anno ab incarnatione ejuſdem milleſimo centeſimo quinto decimo, octavo Idus *Madii*, indictione octava.

Germanicum *trotzig* haud dubiè relationem habet ad *Troſt*, druides,

 droit,

droit, *Trutten*, *Trotning*, *Trotſätz*, quibus omnibus jus imperiumque continetur. Nimirum *Druides* veterum Celtarum coercendi Jus prope ſoli habebant, cumque iidem religioni operam darent, magiæque etiam non inexperti eſſent, hinc odioſum vocabulum perennavit ſagas mulieres *die Trutten* appellandi. *Droit* hodieque Gallis jus eſt. *Trotning* nunc quoque in lingua Suecica vocatur Regina. *Trotſätz* eſt qui Regis ſedem tenet, Locumtenens, atque ita explicabat titulum primarius Senator Regni Sueciæ, qui & Trotſätz appellatur, *Petrus Brahe*, qui ideo ſe *Troſt* ſcribi nolebat. Ab hoc haud dubiè uſitatum in Germania *Troſt*, præfectorum nobilium paſſim titulus. A Trotſätz detortus *Palatini Rheni titulus* ut eſſet Imperii *Trugs-Eſs*, quod ineptum vulgus ad Dapiferatum refert, cùm idem fuerit ejus munus in Germania quod nunc eſt *des Trotſätz* in Suecia, ut ſit Comes Palatii, Major domus, regni Locumtenens, (unde *Vicariatus Palatini*) Juſtitiæ ſummus Præſes. Hinc apparet *Trot* idem eſſe quod imperium aut imperatum, voluntatem nimirum imperantis ſeu jus, *trotzig* autem idem quod imperioſum.

Heſſe in quibuſdam Germaniæ locis ſignificat *eine Katze*; hinc etiam Haſſiaca gens olim *Catti* dicti.

In gloſſa *Iſidori* corpora mortuorum balſamata ſeu mumiæ Ægyptiis *Gabbares*.

Panis Ægyptiis veteribus *Caces* apud *Megiſerum*, Armeniis *Zachas*. Videndum an talia plura extent, ut credibilius fiat quod dicitur de harum duarum linguarum conſenſu.

Panis Arabibus *Kobos*, Punicè *Chobs*, Canarienſibus *Goſio*. Quod ſi plura talia, credibile ſit Canarienſes Carthaginienſium vel Arabum vel Phœnicum coloniam eſſe.

Un As à deux têtes en lettres Hetruſques, voyez dans le Cabinet de *Ste. Geneviève* décrit par le P. *Molinet*.

Nihil eſſe ſolet derivationibus ridiculoſius, quàm quæ in linguis Europæ vivis à Germanicæ ignaris tentantur. *Joh. Bapt. Capponus* in Diſputat. pro *Ottonibus* æreis contra *Chifletium* hæc habet cap. 8. p. 47.

Reſpexit deinde, inquit *Chifletius*, Parens meus ad Italicum vocabulum *Ottone*, Latini æs flavum dicunt, fortè fluxum ab eo quòd Imperator *Otto* ab ære abhorreret, & adoptatum per antiphraſin &c.

Voces *laiton*, *Ottone*, *Laton*, à Germanicis *Lot*, *Löten*, *Laid* vel *Lad* petendæ, & hæc denique omnia à *Laden*, id eſt onerare, charger, unde *Laſt*, onus; Et *Laid* vel *Lad* Anglis plumbum hodieque dicitur, nihil enim vulgo occurrit plumbo ponderoſius, unde ei priſcos Germanos, cùm primum offerretur, nomen dediſſe credibile eſt. Eandem appellationem cupro imperitiores indulſiſſe veriſimile quoque videtur. Nam *laid* Anglis plumbum, *laiton* Gallis cuprum dicitur. Fortè *laiton* diminutivi cujuſdam à plumbo vim habet, ut ſit quaſi plumbum delicatum. A *laiton* ſine dubio *laton* & *ottone* Hiſpanorum & Italorum; & *ſæpe in derivando factum eſt*, *ut*

ut articuli tranſierint in partes vocum, aut contra vocum partes in articulos.

Porrò Germani etſi ſuam ipſi, ut in multis aliis rebus, cupri plumbique veterem appellationem, ſurrepente Latina omiſerint, vocant enim plumbum *Bley*, cuprum *Kupfer*, attamen reſtant in duabus uſitatiſſimis vocibus veſtigia ejus; ſcilicet in *Loth* & *Löthen*. *Loth* ſignificat partem unciæ ſeu ponderis ſine dubio, ut ſolent eſſe pondera plumbacea, *Löthen* exprimit plumbaturam.

Vocabula quædam Germanica, præſertim Bremenſia, obſervationibus illuſtrata.

A*Nhalen*, (*Bremiſch*) id eſt *anreden*. An fortè à ſono ſpirituve qui eſt *hall* halitus.

Adebar (*Bremiſch*) Ciconia. Conſiderandum *ader* eſſe avem, & modò pro genere modò pro ſpecie ſumi.

Ἀετὸς aquila; *Edderdunen* plumæ avium unde culcitræ. Quid terminatio *bar* diſpiciendum.

Aiſch (*Bremiſch*) conferri poteſt cum αἰσχρὸν turpe. Angulus Latinorum, ἀγκων Græcorum, cubitus, inde Ancona; *hengen*, *henckel*, uncus, incurvationem quandam notant, adde *eng* anguſtum.

Adelheid ab *Adel*. Unde tamen terminatio *heid* non ſatis ſcio, niſi contractum fortè ex *Hilda*, ut *Brunehaut*, *Brunehildis*.

Allman, *Almand* haud dubiè *mancherley Art Volcks*. In legibus Wurtebergicis reperitur paſcua communia *die Allmand*.

Anſe-Städte ab Hanſa fœdere, ſocietate, unde *Hänſelen* de iis qui ſocietati vel collegio initiantur.

Aſchaffenburg a *Schiff*, quaſi *Schiffenburg*. Sanè *Lambertus* Schaffenburgenſis dicitur, & *Schiff*, Scyphus, Scaph, Scapha, Shap, omnia ſignificant rem capacem; uti *vas vaſculum* à barbaris Latinis, à quibus Gallicum & Italicum tranſlatum eſt ad novem, vaiſſeau, vaſcello.

Aviſiren, eſt à *weiſen*, *anweiſen*. Et hoc convenit cum viſu, *wiſſen* ſcientia.

Buch, Liber, à fago ſive cortice in quo olim ſcribebantur.

Broden (*Bremiſch*) *eſſen*, *trincken*, fortè à confraternitatibus.

Braut, βρύειν, add. Holland.

Bürde, à ferendo, *böhren*, φέρειν, ferre.

Bidermann eſt *biderve man*, ut veteres Germani paſſim loquuntur. *Biderve* vox valde olim uſitata de omni re apta fortè qua indigetur, *deren man bedarff.*

Döhnen, *Fallen von Weiden &c. damit die Vogel gefangen werden.* Apparet id omne quod vim habet elaſticam ſe elevandi, extendendi, *zu dehnen*, *zu erheben*, (unde Dunus, *Hügel*) Germanis eſſe *dunen*, nam & plumæ illæ quæ compreſſæ ſeſe elevant, dicuntur *Dunen*, & in illis avium decipulis vis elaſtica utramque paginam facit.

Jodute,

Digitized by Google

Jodute, *Sprichwort im Bremiſchen*, *He ſchreyet Jodute. Dat Wort* Jodute *wird bey Beſchreyung der gewaltſamer und mörderiſcher Weiſe entleibten todten Cörper im Hertzogthum Bremen und Verden gebrauchet.*

Kreiſchen, Gallicè crier; gridar Ital.

Kuane, vocabulum Bremenſe, *eine junge Kuh ſo noch nicht gekalbet.* Mulier Suecis *quin*, Anglis *queen* regina, concordat *γυνὴ*.

Ramſahl im Bremiſchen, *oder Rameſloch*, *iſt* Arminii *Saal*, *nur eine halbe Meile davon*, *Harmenſdorff.* Arminius *liegt unfern davon auf dem Felde begraben*, *beym Dorff Steinbeck*, *in einem mit ſehr groſſen ungeheuren Feldſteinen gemachten anſehnlichen und weit* extendirten *Helden* monumento.

Welpe, *ein junger Hund in Bremiſchen.*

Der Epiſcopus Verdenſis Ditmarus *hat dem Capitel gegeben XI. Zehenden*, *mit Nahmen*, *Eſsle*, *Eimbecke &c.* vid. Chronicon Verdenſe Manuſcr. Germanicum. *Iſt alſo Eimbecke ein Sächſiſch Wort*, *ſo an unterſchiedenen Orten den Dörffern oder Städten gegeben worden*, *wie es denn auch die Haupt-Stadt des Fürſtenthums Grubenhagen führet.*

G. G. LEIBNITII EPISTOLA

INSIGNI VIRO JOHANNI CHAMBERLAYNIO.

Ex Chamberlayne Orat. Domin. in diverſ. ling. 4°. Amſt. 1715.

NOn ſine applauſu intelligo conſilium tibi eſſe, reddere prælo auctas & emendatas Orationes Dominicas multarum linguarum. Id enim ſpecimen Philologicum utiliſſimum cenſeo, & dolendum eſt, nihil ſimile Antiquis in mentem veniſſe, quò ad poſteros tranſmitti potuiſſet aliqua linguarum veterum notitia, quæ nunc intercidêre, quales multas *Mithridates* Rex Ponti ſine interprete intellexiſſe dicitur, aut quibus Romani ad Pontum per interpretes, centum & ampliùs cum vicinis populis commercia agitabant, *Plinio* teſte.

Primus, quod ſciam, *Conradus Geſnerus* hoc corrogandarum undecunque Orationum Dominicarum conſiliô uſus eſt, quas ſuo *Mithridati* addidit, illuſtrato deinde a *Chriſt. Waſero.* Rem egregiè provexit *Hieronymus Megiſerus* vir multarum linguarum peritiâ clarus. Deinde veſter *Johannes Wilkinſius* Epiſcopus Ceſtrienſis præclaro ſuo operi Linguæ Philoſophicæ & characteriſticæ univerſalis etiam Orationes Dominicas Polyglottas ſed Latinis notis ſubjecit. *Reuterus* etiam, Paſtor alicubi in Livoniâ, ſi benè memini,

tale

Digitized by Google

tale quid in publicum emiſit, & linguis Septentrionalibus emendatè edendis non inutiliter conſuli potuit.

Noviſſimè *Andreas Mullerus* patriâ Greiffenhagius, Præpoſitus Berolinenſis, Vir linguarum omnigenarum peritiâ eminens & præterea indagator abditorum ſignificatuum acutiſſimus, centum Orationum Dominicalium ſyllabum dedit, & pronunciationi lectionem in Characteribus populorum pleriſque, qui haberi potuére, addidit, quanquam libro non niſi Typographi nomen præſcripſerit, & miror, eos qui opus in Anglia primùm recudi curaverunt, Auctorem Virum Clariſſimum ignoraviſſe, nam diſſimulaſſe non putem. Ipſe editionem ampliorem & correctiorem moliebatur, & poſthumum aliquid olim videre memini.

Majoris molis, ſed majoris etiam fructûs futurum erat, quod *Georgius Hornius* moliebatur. Cogitabat ille ſcilicet primum caput Geneſeos Polyglottum nobis dare, quæ ſpecimina linguarum ampliora & ditiora haud dubiè (cùm in Oratione Dominicâ non niſi pauca vocabula habeantur) magis profutura eſſent ad naturam, indolem originéſque linguarum noſcendas & poſteritati commendandas.

Sanè exigua nobis hodiè veterum linguarum notitia eſt, quia (ut jam dolens dixi) Veteres tali invento caruêre. *Andreas Acoluthus* apud Vratislavienſes Theologus, in literaturâ Orientali bene verſatus, linguam hodiernam Armenam, multùm cognationis cum vetere Ægyptiacâ habere credebat; ſed mihi argumenta ejus minùs ſatisfaciebant. Rectiùs nuper *La Croſius* Vir egregiè doctus (qui præclaram in linguâ Armenâ excolendâ operam navavit) detexit ex quibuſdam Veterum locis, linguam Medorum conveniſſe cum hodiernâ Armena, cujus etiam peculiares ſunt characteres ſatis antiqui.

Quæ Indica apud veteres appellantur, pleræque hodiernæ linguæ Perſicæ convenire, obſervavere Viri docti, & præſertim celeberrimus *Relandus*. Illud indagatu dignum eſſet, an lingua Ignicolarum, qui in Perſia ſuperſunt, vel certè librorum veterum, quos illi ſervare dicuntur, toto genere ab hodiernâ Perſicâ differat, an potiùs quod malim, non ſit niſi dialectus ſervantior antiqui; & quibus literis ſcribatur.

Extant apud Palmyrenos & alibi in Syriâ, & vicinis locis complures inſcriptiones antiquæ duplices, partim linguâ & characteribus gentis, partim Græcè expreſſæ, quæ magnô ſtudiô ex ipſis ſaxis deſcribi deberent. Inde enim fortaſſe conſtitui Alphabetum poſſet, & linguæ indoles tandem cognoſci, cùm Græca verſio adſit, & nomina propria interveniant quorum eadem ferè in patrio & Græco ſermone pronunciatio erat. Angli veſtri Palmyrenæum egregium ſpecimen dedere, ſed multa adhuc ſuperſunt. Syriacæ illæ literæ longè differunt ab iis quæ hodie Syriacæ habentur, & propiùs ad Hebraicos fontes accedunt; Veterem Inſcriptionem Literarum Syriacarum, Deum *Malach belum* nominatum in ipſo ſaxo Romæ olim eruto, Græcè explicatam in collectione veterum inſcriptionum habemus;

mus; ſed cùm malè deſcripta videretur, diu fruſtra quæſita, nuper iterum Romæ reperta accuratiuſque delineata, rem ſtudioſe curante Rmo. Doctiſſimoque *Blankino*, quemadmodum ad me præſcripſit *Giſbertus Cuperus* Vir magnorum in rem literariam meritorum. Nihil eſt ſimplicius, & nihil tamen obſcurius characteribus, qui in ruinis Perſepolitanis extant, pulcherrimo monumento Architecturæ Sculpturæque Orientalis Græcorum opera, antiquitate tranſcendentis; in quô noſcendô *Chardinus* Gallus, ſed à vobis velut adoptatus, & nuper *Le Brun* Batavus egregiam operam editis in publicum delineationibus navavêre. Si aliquando deſcriberetur diligenter quicquid illius ſcripturæ illi extat (quæ ex meris Triangulis variè poſitis conſtat) fortaſſe velut Cryptolyticâ arte, aliquid inde erui poſſet; quò enim plura ſpecimina habentur, eò facilior eſt ad interpretandum aditus. *Wanslebius* Erfordienſis, *Jobi Ludolphi* excellentis Viri ſectator, juvenis à Sereniſſimo *Erneſto* Saxoniæ Duce Gothano, ac poſtea (cùm Dominicani Ordinis veſtem ſumſiſſet) à Rege Chriſtianiſſimo, præclaro conſilio in Orientem miſſus, retulit, in Ægypto alicubi cryptas concameratas reperi, plenas characterum veterum, qui ſi exſcriberentur, fortaſſe aliqua inde lux hauriri poſſet. Paſſim etiam apud Indos Orientales, & in aliis orbis locis incogniti characteres hominum certè (veterum ſcilicet habitatorum) veſtigia reperiuntur, quorum nihil negligi vellem.

Semper tibi pendeat hamus:
Quo minimè reris gurgite, piſcis erit.

Linguæ Punicæ ſpecimen in *Plauti Menæchmis* extat: *Joſephus Scaliger* agnovit Punica Latinis reddi, & nonnullam linguæ lucem attulit; promovit *Thomas Reineſius*, vir magnæ doctrinæ in linguæ Punicæ *ἱστορημένοις*: ſed *Samuel Bochartus* maximè ſcenam illam Plautinam illuſtravit, & detexiſſe viſus eſt binarum ibi linguarum ſpecimina extare, Punicæ ſive Phœniciæ à Carthaginis conditoribus illatæ, & Libycæ veteris.

Sed in Europam tranſeamus. Reperiuntur in Hiſpaniâ Nummi non pauci, characteres veterum Hiſpanorum præferentes, quibus ſcilicet uſi erant, antequàm à Carthaginenſibus & Romanis ſubigerentur, & quos aliquandiu ſub Romanorum Imperio retinuêre. Tales quoſdam exhibuit *Antonius Auguſtinus*, plures noſtris ferè temporibus *Johannes de Laſtanoſa*, vir non vulgaris inter Hiſpanos doctrinæ, libellô propriô in eam rem editô protulit. Sed magnum eorum numerum habet Cl. *Baryus* vir inſignis, & diu apud Hiſpalim Batavæ Nationis Conſul. Cùm autem & non raro reperiantur nummi ſignati eiſdem figuris nunc Latinas nunc Hiſpanicas notas præferentibus, & vocabula interdum ſint nomina propria hominum aut locorum, non deſperem, aliquando veteris ſcripturæ Hiſpanicæ Alphabetum inde conſtitui poſſe. Fruſtrà fuêre, qui Runicos characteres in Hiſpanicis quæſivêre, quaſi Gothi intuliſſent, longè enim vetuſtiores ſunt hi Nummi Gothorum irruptionibus.

Ipſam

Digitized by Google

Ipſam Linguam veterum Hiſpanorum Biſcainæ vel Vaſconicæ ſimilem fuiſſe credibile eſt, quæ ſeſe in aſperrimis montibus contra Romanos, Gothos, Saracenos tueri potuit, & credibile eſt hanc linguam etiam ſe non nihil per vicinam Galliam Aquitanicam ſcilicet, & Narbonenſem diffudiſſe, ſed à Celticâ, id eſt Gallicâ vetere, & Germanicâ longè diverſam eſſe apparet.

Paſſim in Italia reperiuntur inſcriptiones, charactere Hetruſco, nemini intellectæ, ſed non ideò probæ quòd à viris præclaris alias inſcriptiones edentibus neglectæ plerumque ſunt atque ſuppreſſæ. Et ſi enim nihil in iis intelligamus, non ideò ſubtrahendæ fuêre inquiſitioni poſteritatis. Tabula Eugubina quam *Bernardinus Baldus* commentario illuſtravit, viris doctis ſuſpecta habetur: *Curtii* autem Inghurami Etruſcas antiquitates planè fictitias eſſe conſtat, & juſtiſſimam in eos cenſuram *Leo Allatius* exercuit. Celtarum, id eſt Germanorum Gallorumque veterum characteres, nuſpiam habentur. Loquor autem de temporibus, quibus Romani in Galliam Germaniamque irrupêre, Græcis literis Gallos veteres paſſim uſos conſtat, propriarum literarum nulla veſtigia extant, nullas tamen omninò habuiſſe aſſeverare minimè auſim. Linguam Gallorum veterum affinem ei fuiſſe, quæ in Britanniâ minore & in Britanniæ majoris partibus ſupereſt, ibique Wallica ab Anglo-Saxonicis gentibus appellatur, poſt tot argumenta inſignium virorum dubitari ampliùs non debet.

Re diligentiùs conſideratâ Gallorum veterum linguam non eandem quidem Germanicæ ut Princeps Geographorum *Philippus Cluverius* exiſtimabat, ſed tamen valde cognatam fuiſſe reperio; ita ut adhibitis præſertim veteribus Germanorum vocabulis inſpectiſque originibus, ſemigermanicam appellare auſim vel ipſius Wallicæ ſive Aremoricæ indicis. Nempe una olim magna gens ante Hiſtoriarum memoriam à Tanai, Danubio, & Scythia veniens per Germaniam Galliamque ſe diffudiſſe videtur, ſciſſaque fuit in Dialectos, quæ locorum diſtantia admiſtiſque aliis populis in diverſas ut ſit linguas abiêre, & cùm pars migrantium à Danubio & Thraciâ Græciam penetraverit, tam multa Græco Germanicoque ſermoni communia eſſe mirum adeò videri non debet.

Celtas (id eſt Germanicas Gallicaſque gentes) Italiam incoluiſſe ante Græcorum adventum res ipſa loquitur. Gentes enim (etſi contradicat *Tacitus*) terrâ facillimè, mari difficulter & ſeriùs propagabantur; cùm navigandi ars ſerò innotuerit, itaque lingua Latina ex Celticâ Græcâque compoſita eſt. Et quò antiquior eſt Celtica, hoc meliùs Latinas origines ex eâ illuſtrari poſſe putem.

Et cùm Inſulæ & peninſulæ colonos accipere ſoleant ex vicino continente, conſentaneum eſt, quemadmodum Angli hodierni Britanniæ incolæ nobis antiquam Saxonum linguam meliùs ſæpè referunt quàm ipſi Saxones hodierni, ita antiquos Britanniæ incolas, quos Wallicos dicunt, multò antiquiorum Oceani Germanici Gallicique incolarum (Cimbrorum fortaſſe

Digitized by Google

pro parte, unde & Cimbros ſeſe vocant) linguam repræſentare. Hebræos verò antiquiorum his Britannorum colonos per hos veluti patres indicare avos ſuos, antiquiores adhuc Cimbris ipſis Celtas ciſmarinos, ad tertiam ut ſic dicam Celtiſmi generationem. Ut ita in Hibernis non Celtæ Cæſari contemporanei, imò nec horum ut ſic dicam patres, ut à Britannis Cæſari contemporaneis; ſed Britannorum Cæſari contemporaneorum Patres & Celtarum Cæſari contemporaneorum avi quodammodo nobis exhibeantur. Per patrum autem vel avorum gradus hic intelligo non hominum, ſed nationum generationes ſive propagationes, qualis fit, quoties gens aliqua per magnam migrationem exundat.

Unde incogniti veterum Hiſpanorum & Hetruſcorum characteres orti ſint non conſtat; ex oriente (an per Phœnices?) profluxiſſe ſuſpicio eſt. Sed quæ poſtea in Europâ viſa ſunt Alphabeta & hodieque ex monumentis noſcuntur, Germanicarum ſcilicet Slavonicarumque gentium; omnia nî fallor ex literis Græcis Romaniſque ſunt formata. Poſt eos qui Græcè, Latineque ſcripſère nullus extat in Europâ ſcriptor antiquior Autore Libri, qui Codex Argenteus appellatur, & fragmentum verſionis ſacrorum Evangeliorum continet ex Werdenſi Weſtphaliæ monaſterio perantiquô in Sueciam translatus; nunc Upſaliæ ſervatur antiquâ dialecto Germanicâ ſcriptum eſſe dubitari non poteſt. Viri docti hactenus ad *Ulphilam* & Gothos Danubio vicinos retulêre, meô judiciô rectè, etſi celeberrimus & de literariâ ſeptentrionali meritiſſimus Vir *Georgius Hikkeſius* noviſſimè dubitaret, & ad Francos vel aliam Teutonicam gentem Gothica propiorem hæc referre maluerit, credo quòd ſibi perſuadere non poſſet Gothòs uſque adeò Teutones fuiſſe. Sed nomina veterum Regum Gothorum nil niſi Teutonicum ſpirant, & librum pertinere ad gentem Græciæ vicinam res ipſa loquitur, quia non Latinam Vulgatam, ſed Græcos fontes Interpres ſectatur; & Alphabetum ipſum manifeſtè ex Græcô formatum eſt, ſed populos Teutonicos à Græciâ remotiores literis ex Romanô Alphabetô corruptis uſos conſtat, & in Scripturæ Sacræ interpretatione Latinos magis ſequuntur. Itaque Codicis Argentei Autorem *Ulphilam* vel *Wulfilam* Gothorum Epiſcopum habendum cenſeo, jam veteribus celebratum, quòd etiam literas Gothis dediſſe dicatur. Quam rem ita interpretor, ut in ordinem modumque redegerit literas quæ jam ex Græcis corruptæ à gente ac vicinis per commercia uſurpabantur, quod etiam de Ruſſorum characteribus (etſi poſterioribus) intelligo, quorum *Cyrillus* quidam autor habetur, unde Cyrillici appellantur.

Poſt Codicem Argenteum proxima antiquitate monumenta literaria Europæa, de quorum ætate conſtet, ſunt Anglo-Saxonica; nam Walli proprias literas non habent & quæ afferunt vetera fragmenta ſuæ linguæ ſunt incerti ævi. Runicorum etiam ætas incerta eſt. An verò Angli vel Saxones ſuas literas in Britanniam ſecum attulerint, an a Britannis didicerint non dixerim. Si Cædmonis eſſet, quod *Franciſcus Junius* edidit Anglo-

Saxo-

Digitized by Google

Saxonicum ſpecimen antiquiſſimum foret, ſed *Hikkeſius* meritò diſſentire videtur.

Illud credibile eſt circa eadem tempora literaturam Romanam paulatim in Septentrionem ultimum pervaſiſſe & in Scandinavia Runas peperiſſe. Nam ex literis Romanis maximam partem corruptas apparet, neque nullum eſt monumentum Runicum, unde colligi poſſit magna antiquitas; Pleraque cruces præferunt, & Chriſtianiſmum; vix habebuntur de quibus certò pronuntiari poſſit *Caroli M.* ætatem præceſſiſſe, etſi antiquiora eſſe aliqua non negem, ſed quæ non dignoſcuntur. *Salmaſius* Runas etiam nomen à Romanis habere conjectabat, non ſanè ineptè: ſed opponi tamen poſſunt aliorum Jornandis, id eſt Gothicæ, fœminæ ſagæ ſive magæ, arcanorum magicorum, ut credebatur, compotes; & *Raunen* Germanis eſt loqui, ratiocinari, conſuſurrare; conſentiunt *reim*, *rythmus*, *rime*, ἀριθμός, numerus, nam ligata erant numeris ſecretiora verba, & magi excantare dicebantur: & cùm literæ inter Barbaros initio arcanæ eſſent, arcanarum notarum appellatio literis manſit, etiam cum publicæ eſſe cœpêre. Aliorum appellatio hodieque Germanis ſupereſt, & de re magicâ uſurpatur, & plantis ἀνθρωπομόρφοις, qualis mandragora habetur, tribui ſolet, ſed fraudes ſunt Circulatorum, & ex radice bryoniæ formari figuræ creduntur.

Alphabeta hodierna Europæa omnia ex Latinis formata ſunt demtis duplicibus Sclavonicis, uno Cyrulico, altero (ut parum aptè vocant) Glagolitico, quæ ambo magis ad Græcos fontes accedunt. Malè hoc poſterius nonnulli Autori *S. Hieronymo* gente Illyrio tribuunt falſa perſuaſione linguam veterem Illyricam ex Sclavonicarum genere fuiſſe: ſed Slavi ſerò in Illyrium venêre, nec ante *Juſtiniani M.* tempora veteres Illyrii erant Celtici generis, linguaque, ut arbitror, Germanicæ Gallicæque nonnihil cognatâ utebantur. Et credibile eſt, ejus reliquias in peculiari quâdam linguâ Epirotarum hodiernâ ſupereſſe, cujus ſpecimina edita vidi. Slavonicam linguam hodie Illyricam vulgò vocant, quòd Slavi in Illyriô conſedêre. Quæ nunc Notarum literariarum genera apud Indos habeantur, docent viri docti qui res Indicas tractavêre, & in primis egregius *Lalovera* Siamenſi legatione clarus, & alia multiplici eruditione etiam Mathematica inſignis. Tartari Orientales, qui Sinarum Imperio potiti ſunt, peculiare habent ſcribendi genus, quod ad pronunciationem quidem, non tamen planè ad alphabetum revocatur; ediditque aliquod ejus ſpecimen Vir variæ magnæque doctrinæ *Melchiſedec Thevenotus*, Bibliothecæ Regiæ Pariſinæ Præfectus.

Poſtremò Sinenſes ipſi tanquam alterius orbis homines & linguam habent & ſcripturam toto cœlo a noſtris diverſas. Lingua eorum verbis conſtat paucis ſed velut Muſico cantu mirificè variatis: Scriptura autem ad pronunciationem planè non refertur, ſed ad ipſos rerum ſignificatus. Unde eadem ſcriptura à diverſis non in diverſis tantùm linguis, ſed in eâdem etiam linguâ diverſimodè legi poteſt, ita ut verbum verbo, (vel potius

notæ) non reddatur. Et cùm ferè in modum Chymici apud nos ſuos quos vocant proceſſus, ſuaſque formulas ſcribunt, niſi quod paſſim vocabula linguæ quiſque ſuæ admiſceat. Eundem in modum *Petrus Herigonus* ex Societate Jeſu curſum Mathematicum dedit, qui apud diverſas gentes legi poſſet. Japanenſes certè Sinenſium notis utuntur etſi diverſiſſima ſit lingua.

De cætero in meis quoque ſchedis non nulla erunt, quibus augeri fortaſſe Orationum Dominicarum ſyllabus poſſet, ſed nunc ab iis remotus ago, & nihil eorum te, vir celeberrime, fugere arbitror. Vir eminentis doctrinæ *Eduardus Bernardus* Tabulam Alphabetorum Harmonicam ære expreſſam in publicum miſerat, in quam Commentarium pollicebatur. Utinam ille inter ſchedas affectus extaret, aut à virô paris eruditionis ſuppleretur. Idem de *Jobi Ludolphi* magni Viri πολυγλωττάτου promiſſo dixerim, qui Commentario rerum Æthiopicarum Tabulam addere pollicitus fuerat, qua cuique Alphabeti Latini literæ diverſæ pronunciationes adſcribi debebant quas apud diverſos populos habet. Sed neſcio quam ob cauſam edere diſtulit, quô factum eſt, ut utilis labor planè interciderit; putem tamen non difficulter ab alio reſtitui poſſe nec incommodè tale quidam tuo labori adjiceretur. Quod ſupereſt vale, & rem benè gere. *Dabam Viennæ Auſtriæ* 13. *Januarii* 1714.

ORATIO

Digitized by Google

ORATIO DOMINICA
ET ALIÆ,
Variis Linguis Barbaris expreſſæ; cum excerptis ex litteris NICOLAI WITSENII Conſulis Amſtelodamenſis ad G. G. LEIBNITIUM (*a*).

Excerpta ex Literis N. WITSENII *ad* G. G. LEIBNITIUM.

Datis 16. Octobr. 1697.

COmme je vois, que vous deſirez d'avoir le *Pater Noſter* en des Langues de Pays éloignés, je prens la liberté de vous en envoyer un écrit en Langue *Hottentote*, avec le *Credo* & *Decem Præcepta*; de même que le *Pater Noſter* en Langue *Mœgale*, lequel j'ai tiré avec beaucoup de peine d'un Mœgal eſclave, qui eſt avec l'Ambaſſade de Moſcovie. S'il y a d'autres Nations étrangéres parmi eux, je tâcherai d'apprendre auſſi leur *Pater Noſter.* La Langue *Usbecke* eſt la même avec le *Perſan.* Celle de *Kalmukke* & *Mœgale* eſt preſque la même Langue. Quoique l'on ne trouve point de Samojedes parmi cette Ambaſſade, je tâcherai de faire venir d'Archangel leur *Pater Noſter* en leur propre langue, & j'eſpère de vous l'envoyer dans trois ou quatre mois.

d. 4. Decemb. 1697.

Ayant reçû l'honneur de vôtre Lettre, je n'ai pas voulu manquer à dreſſer le *Pater Noſter* en Langue Mœgale, que vous trouverez ci-joint. La ſtupidité de ce Mœgal, qui eſt ici, eſt ſi grande, qu'on ne peut preſque tirer de ſa bouche aucune connoiſſance, ni de ſa Patrie, ni des mœurs du Pays. Ils vivent ſous des tentes à la façon des anciens Nomades, changeant de place auſſi-tôt que les herbes & le pâturage ſont conſumés. La Religion eſt Payenne: ils adorent des Images de bois.

Je

(*a*) Licet hoc opuſculum & ſequens cui titulus *Signa per quæ &c.* unam tantùm authoris noſtri ad *Witſenium* contineat; inquiſitiones rariſſimæ & exquiſitiſſimæ quibus conſtant, nos impulerunt ad ea in integrum hic inſerenda, in quo de Lectore benevolo benè mereri exiſtimavimus.

Je tâcherai de m'informer, ſi j'en puis avoir l'occaſion, ſur les langues Scythiques des Pays les plus éloignés vers l'Orient, & je ne manquerai pas de vous faire part de ce que j'apprendrai ſur cette matiére.

Ex Literis G. G. LEIBNITII *d.* 5. *April.* 1698.

J'Attendois la réponſe du R. P. *Bouvet* Jéſuite, parti maintenant de la Rochelle pour retourner à la Chine; afin qu'en vous remerciant d'un eſſai de la langue des Mœgales, je puſſe vous mander quelque choſe en même temps de la langue des Tartares, Maitres de la Chine, pour juger ſi elle convient avec la Mœgale. Mais par tout ce que j'apprends de ce Pére, il ſemble qu'elle en eſt fort différente. Ainſi je ne dois point tarder davantage de vous faire mes très-humbles remercimens de la peine que vous avez priſe de faire parler preſque des muets, en obligeant un Mœgale à vous dire ce qu'il falloit pour fabriquer ſon *Pater*. Ce même Pére remarque pourtant deux mots Turcs qu'il trouve auſſi dans la Langue des Tartares Chinois, ſçavoir *Eliſchin* Ambaſſadeur, & *Arſlan* un Lion; de ſorte qu'il y a apparence que ceux qui ſeroient plus verſés dans ces langues Scythiques, trouveroient dans le fond des convenances qui ne paroiſſent pas au déhors, & qui pourroient faire mieux juger de la cognation de ces peuples. Cependant je vous ſupplie toujours, de vous ſouvenir, & faire ſouvenir vos amis Moſcovites ou autres, de faire des recherches pour avoir des eſſais des langues Scythiques, des naturels Samojedes, Siberiens, Baskirs, Kalmucs, Tingoeſiens, & autres, qui ſont ſous la domination des Moſcovites, ou confinent avec eux.

Ex Literis Witſenianis ad G. G. LEIBNITIUM 22. *Maji* 1698.

JE n'ai pas manqué de m'informer touchant la différence qu'il y a entre la Langue Mœgale & celle des Tartares Maîtres de la Chine. On m'a dit, que ces deux Langues ſont differentes, à peu près comme l'Allemand l'eſt du Flamand, & qu'il en eſt de même des Kalmucs & Mœgales. On ajoute que leur langue tire beaucoup de mots de l'Arabe.

Je n'ai pas encore reçû les *Pater* en Langue Scythique, Samojede, Baskire &c. Mais un de mes amis à *Moſcow* m'a promis de les envoyer auſſi-tôt qu'il les aura reçûs, ce que j'eſpère qu'il ſera bien-tôt.

Les derniéres lettres que j'ai reçûes de Moſcow me diſent, qu'on a déja envoyé de Tobal en Siberie un Prêtre Grec à Pekin, où il eſt arrivé; & avec la permiſſion de l'Empereur de la Chine, il a fait bâtir un Temple Moſcovite ou Grec, ayant même deja baptiſé ſelon la coûtume de leur Egliſe vingt Chinois. On me mande dans la même lettre, que ſi on avoit des perſonnes Eccléſiaſtiques, capables d'inſtruire les Tartares qui demeurent entre la grande muraille de la Chine & la Siberie, on en attireroit

Digitized by Google

attireroit bien-tôt un grand nombre à la Religion Chrêtienne. Sa Majeſté Czarienne eſt fort zélée pour la Religion, bien inſtruite des Articles de la Foi & verſée dans la lecture de l'Ecriture Sainte, dont Elle a une ample connoiſſance. J'ai eu l'honneur de lui parler ſur ce ſujet. Je prie Dieu qu'il faſſe ſervir ce grand Empereur d'un glorieux Inſtrument, pour étendre les progrès de la lumiére de l'Evangile, & qu'il ſuſcite par-tout des perſonnes auſſi zélées que vous l'êtes.

d. 5. *Jun.* 1698.

éléves : mais comme il a d'autres emplois honorables, il a fait difficulté de ſe donner cette peine, alléguant, que l'art ne ſe peut point reduire en régles; & qu'il faudroit des jeunes gens, qui euſſent en même temps du génie & de l'aſſiduité, ce qu'il eſt rare de trouver. Je lui ai répondu, que j'avouë qu'il n'y a point de régles générales dans cet art, mais que le moyen d'inſtruire un jeune homme capable, ſeroit de le mener par les exemples, & de lui montrer dans un bon nombre d'écrits déja réſolus, par quelles voyes ou maniéres on eſt venu à bout de les déchifrer. Cela ſuffiroit à ouvrir l'eſprit à un jeune éléve pénétrant, & à empêcher que ces belles découvertes ne ſe perdent. Je lui ai remontré en même temps, que non ſeulement ſa gloire y eſt intéreſſée, & qu'il s'immortaliſeroit par-là, mais auſſi qu'il y a de l'obligation à ne point laiſſer perdre ce qui eſt ſi utile. Il s'eſt rendu à mes raiſons; mais il doute, qu'on trouve des jeunes gens qui veuillent ſe donner cette peine, & qui en même temps y ſoient propres. Ma penſée eſt, qu'il faudroit que quelque grand Prince fît choiſir & inſtruire dans cet art quelque jeune homme, dont il ſe pût ſervir dans la ſuite, parce que c'eſt une affaire aſſez importante pour les Princes. Nos cours ne ſongent pas trop à ces choſes, & la vôtre m'eſt venue dans l'eſprit. Il faudroit quelque jeune homme d'un naturel porté à l'aſſiduité & aux chifres, & qui ne manquât pas en même temps d'érudition (car il faudroit tout cela pour un tel emploi): Si on n'en rencontroit pas à préſent, je pourrois propoſer un homme excellent, & cela ne ſeroit pas d'un petit ſecours ni d'un petit ornement dans une cour, pour déchifrer des lettres interceptées, ſoit pour nous, ſoit pour nos amis & alliés. L'on ſçait qu'il n'eſt pas poſſible de tout déchifrer : Mais la plupart des chifres, dont on uſe ordinairement, ſont déchifrables, pourvu que la lettre à déchifrer ne ſoit pas trop courte. Tout ce que j'ai vu & entendu de Mr. *Block*, me fait juger que c'eſt un honnête homme, qui mérite d'être favoriſé. Je vous ſupplie au reſte de vous ſouvenir 1) du garçon ouvrier parent de Mr. *Brenner*, 2) de ce garçon qui peut faire des grands calculs de ſa tête, & 3) des lettres de *Cyrille Lucaris* au Chancelier *Axel Oxenſtiern*. Je n'ai rien encore appris de Mr. *Seke*, mais je continuerai de m'informer. Le Czar n'ayant fait avec les Turcs qu'une trêve de deux ans, cela joint à ce que Mr. *Witſen* m'a écrit, me fait eſpérer que ſon deſſein n'eſt pas contre la Suéde, mais plutôt contre les infidéles. Mais vôtre grande Ambaſſade en fera mieux éclaircie. Mr. *Witſen* me mande que la derniére Caravane des Moſcovites, revenuë de Pekin depuis peu, a apporté pour nouvelle que l'Empereur de la Chine eſt mort, & que ſon fils lui a ſuccedé, mais non pas ſans de grands troubles; j'ai mandé cela à celui qui a ſoin des miſſions de France; ce Pére eſt allarmé; mais j'eſpére encor que la nouvelle pourra être fauſſe, celles des Moſcovites étant ſujettes à caution. *Hanover ce 7. Avril 1699.*

HERMANNI

Digitized by Google

HERMANNI VON DER HARDT AD LEIBNITIUM EPISTOLÆ,

Et Auctoris Reſponſio ad eumdem,
Cum Epiſtolâ Leibnitii ad Krusikenium,
De Harmoniâ Linguarum & Græcis litteris.

I. EPISTOLA HERMANNI VON DER HARDT AD G. G. LEIBNITIUM.

I. *De Harmonia Linguarum.* II. *De Lingua* Adami.

I. HArmoniam linguarum quis dabit? Dum orbis erit, non dabitur. Ante diluvium Moſaicum, quæ linguarum fuerit conditio, vix definietur. Plures extitiſſe in orbe linguas, nemo negabit, qui meminerit, homines jam tum per totum orbem fuiſſe diſſipatos, ac diſſeminatos. Quo caſu ob locorum diſtantiam & aëris cœlique differentiam, neceſſariò variatæ linguæ, aut linguarum dialecti. Ante diluvium Moſaicum non pauciores quàm hodie linguas in orbe auditas puto, ſed longè diverſas. Exſpiraſſe credo multas linguas, quarum vix veſtigia ſupereſſent, etiam poſt diluvium, niſi ars ſcribendi reliquias ſervaſſet. Quando igitur in orbe nondum illa ars inventa, quomodo linguas abeuntes ſervarent? Abierunt igitur omnino ante diluvium cognitæ permultæ linguæ, a ſe invicem toto etiam cœlo diſtinctæ, ob defectum litterarum. Niſi ſupereſſent ſcripta Græca, ubi deprehenderetur quæſo antiqua illa dialectus?

II. Quod ad *Adami* linguam attinet, nimis ardua eſt hæc quæſtio; maximè ſi quæratur, an noſtra hebraica fuerit illius? Multa enim hic incidunt, his ſæculis non componenda. An concreata certa loquendi ratio & diſtincta ſermocinatio primo illi homini *Adamo*? Et ſi concreata, an tanquam appendix ſic dictæ imaginis divinæ, & perfectionis in anima ex cognitione perfecta rerum omnium, quæ deſcribi ſolet, an peculiare illius viri donum? An & *Evæ* conditæ ex viro eadem ſtatim dialectus concreata ex viro? Et rurſus, an tanquam effectus imaginis divinæ, an tanquam peculiare donum & *Evæ*? Porrò ſi non naturali modo acquiſita lingua illorum, ſed infuſa ſimul ac ſemel, ſive ut beneficium imaginis divinæ ſive ſingulare, an cum lapſa corruptaque imagine linguæ quoque illi infuſæ cum concreata imagine vitium illapſum? & quodnam? Et ſi non, cur non? An *Cain* e patre & matre hauſerit parentibus concreatam linguam, an ex ore eorum didicerit pri-

Digitized by Google

primam, Paradiſiacam dictam, an cum lapſu fortè mutatam? An ſervaverit eamdem in remotis a patria locis, exſul e patria & eccleſia *Adami*? An eadem ſervata nihilominus in domo *Adami* & domo *Caini*, & ad poſteros illæſa transfuſa? An bis mille propemodum annis idem os ſenum ac juvenum ſub remotiſſimo cœlo ſervatum? Ex quibus hoc unum duntaxat collegero; *Primorum illorum hominum linguam dudum exſpiraſſe, & incertum planè eſſe, an hodierna lingua Hebraica ullam adhuc ſimilitudinem referat.* Hebraicam noſtram multo recentiorem puto, neque a diluvio Moſaico hanc primam apertè definivero. Antiquiorem exitu ex Ægypto, vel occupata Palæſtina non puto. Dubia obvia haud difficulter ſolvi poſſe opinor. 1696.

EPISTOLA II.

I. *De linguarum harmonia.* II. *De* Helmontio.

I. Linguarum collatio tam utilis quàm jucunda in omnibus prope Occidentis oris jam amatur. *Sperlingius* quoque inter Danos noviſſimè ejus dedit exemplum. Ampliorem & mihi hæc res dabit meditandi anſam.

II. *Helmontii* ingenium miratus ſum, multaque ex ipſo ſcrutatus ſum, quæ nonniſi ex vivo cognoſci poſſunt. Antiquæ *Philoſophiæ Pythagorico-Platonicæ*, *Cabbaliſticæq; priſcæ* non veſtigia, ſed ideam in hoc ſene perſpexi. Uti ergo antiqua iſthæc Philoſophia moralis & ſymbolica, ita & arguta eſt, noſtris ſæculis difformis. Duo principia fundamentum ædificio ſuggerunt, præexiſtentia animarum ac revolutio aut migratio earumdem. Ex his cætera fluunt omnia. *Davidis Georgii* hypotheſes non paucas cum Helmontianis conſpirare intelliget, qui noviſſima *Hielis* ſic dicti volumina evolverit. 1699. *d.* 11. *Junii.*

EPISTOLA LEIBNITII AD HERM. VON DER HARDT.

I. *De Harmonia linguarum.* II. *De* Franciſco Mercurio Helmontio.

I. Tecum ſentio, perfectam *linguarum harmoniam* non ſperandam, collationem tamen aliquam inſtitui utile eſt. Videmus multa Græcis, Latinis, Germanis, addo & Hebræis & Scythis eſſe communia, quod caſu factum non eſt. Utilis ea inquiſitio eſt ad origines gentium illuſtrandas. Scis, quàm multa *Bochartus*, vir doctiſſimus, a Phœnicibus petat, in quo etſi ingenio ſubinde indulgere putem, verùm tamen arbitror Phœnices magnos navigatores paſſim per commercia linguæ ſuæ veſtigia reliquiſſe. Quid tibi de vetere Ægyptia videtur? Quomodo Syriacam, Chaldaicamque ab Hebræa diſtinguis & inter ſe, nam ea res controverſia non caret.

II. In Domino *Franciſco Mercurio Helmontio* plurimum ingenii eſt, conjecturas ſubinde peracutas habet, & licet mea ſententia *nimium Cabbalæ & apicum myſteriis tribuat*, ego tamen ſoleo ne hæc quidem planè contemnere, cùm aliquando immixtum aliquid ſit melioris metalli. Quia autem ipſe non ſatis vel patientiæ vel exercitationis ad ſcribendum habet, occurrere ſibi vellet juvenem aliquem eruditum, qui meditata ejus quædam in loca Scripturæ

Digitized by Google

turæ & Geneſis præſertim initia in formam redigeret. Nec verò neceſſe eſt, ut qui hoc vellet præſtare, ipſemet opiniones viri ſequatur, ſufficit ſi non contradicat, & ſententiam viri exprimat.

EPISTOLA AD JO. CHRISTOPH. KRUSIKE, Philoſophiæ Doctorem & Oratorem Sacrum Reipublicæ Hamburgenſis Celeberrimum.

De Græcis litteris.

ELegans carmen tuum Græcum in alium & rectius & utilius ſcribere poteras: rectius, tanquam in magis merentem, utilius, tanquam in magis profuturum. Eo amplius ergo me tibi obſtrictum profiteor, quo plus benevolentiæ, quàm merito datum eſt. Interea gaudeo eſſe, qui dant operam fugientibus litteris, quæ in Germania rareſcere incipiunt; quorum in numero cùm ſis non inter poſtremos, opto, dari mihi occaſionem oſtendendi, quàm libenter iis inſerviam, qui ultra vulgus ſapere nituntur. Quod ſupereſt, vale, & me amare perge. *Dabam Hannoveræ*, 7. *Febr.* 1711.

P. S. Deum precor reciproco voto, ut tibi hunc annum, & longam ſequentium ſeriem felicem decurrere jubeat. Non dubito, quin Max. Rev. *Fabricium* ſæpe videas, & ex conſuetudine ejus, & theſauris literariis proficias: hunc data occaſione a me plurimum ſalutari peto.

LETTRE DE M. G. G. LEIBNIZ AU R. P. VERJUS,

Sur l'utilité de la connoiſſance des Langues pour l'hiſtoire.

Tirée de l'Otium Hanoveranum.

JE trouve, que rien ne ſert davantage à juger des connexions des peuples, que les langues. Par exemple, la *langue des Abyſſins* nous fait connoitre qu'ils ſont *une colonie des Arabes*: Et comme nos peuples Germaniques, & apparemment auſſi *les Celtes*, ſont venus de la Scythie, & que les Scythes ont inondé l'Europe & l'Aſie plus d'une fois, je ſouhaiterois particuliérement d'être inſtruit des langues, qui reſtent dans ces vaſtes pays du Septentrion Oriental.

Nous avons perdu en Allemagne un excellent homme, nommé *Mullerus*, qui étoit admirable pour les langues orientales, & même pour la Chinoiſe. Il faiſoit eſpérer *Clavem Sinicam*, croyant de voir quelque jour pour donner une analyſe de leurs caractères. Je le fis connoitre au P. *Grimaldi*, & ils ont eu quelque commerce enſemble. Mais ce Mr. *Mullerus* étoit un peu capricieux. Cela faiſoit tort à ſon mérite, & a privé le public des fruits qu'on en devoit attendre.

I. G. G. LEIBNITII
DESIDERATA CIRCA LINGUAS POPULORUM,
AD DN. PODESTA,
Interpretem Cæſareum, & Profeſſorem Linguæ Turcicæ, tranſmiſſa, cum ejuſdem PODESTA reſponſo.

Ex Otio Hanoverano Felleri.

Cum nihil majorem ad antiquas populorum origines indagandas lucem præbeat, quàm *collatio linguarum*, ſæpe miratus ſum Geographos, & peregrinatores de linguis ſcribere negligentius, nec ſpecimina earum niſi rarò exhibere. Quoniam igitur conſtat, magnam Aſiæ, & Europæ partem ex Septentrione colonias accepiſſe: gentes autem ſeptentrionales, præſertim ad ortum vergentes, quæ maximè noſci merentur, omnium minimè noſcantur, operæ pretium putavi eorum implorari opem, qui vel autoritate, vel occaſione exercendæ curioſitatis aditum ad has notitias habent.

1. Deſideratur ſpecimen vocabulorum, & modorum loquendi peculiarium *Saxonibus Tranſylvaniæ*, id eſt, non ut loquuntur homines cultiores, ſed ut loquitur plebs, ut comparari poſſint cum lingua plebeja noſtrorum Saxonum. Dicitur enim eſſe in plebe illa multas voces nec Hungaricas, nec Slavonicas, & tamen aliis Germanis communiter non intellectas.

2. Deſideramus ſcire, an adhuc in *Tartaria Crimæa* reperiantur *reliquiæ Germanorum*, ſeu Gothorum veterum, dialectum Germanicam uſurpantium. Nam *Busbequius*, qui fuit Legatus Cæſaris ad Portam tempore *Solimanni*, vidit tales ſemi-Germanos Conſtantinopoli, qui venerant ex Taurica Cherſoneſo, & multa eorum vocabula notavit.

3. Quod ſi tales ſuperſunt, inquirendum erit in plura ſpecialia de ipſorum lingua, & ſtatu.

4. Quæritur, quinam populi ſint ſub Imperio Moſcovitico, aut in ejus vicinia, quorum lingua non ſit Slavonici generis, ſed peculiaris.

5. Quæritur, quæ ſint linguæ propriæ *Siberiæ*, & populorum ulteriorum verſus fluvium Oby, & fluvium Irtis, & alios illic fluentes. Hoc ſciri poteſt per interpretes, & mercatores, qui frequentant urbem *Tobolsko*, *primariam Siberiæ*, & ex illa parte verſus *Perſiam*, *Indiam*, aut *Chinam* proficiſcuntur, vel commercia habent. Tales enim poſſunt procurare *Ora-*

tionem

Digitized by Google

tionem Dominicam, ſeu *Pater noſter*, verſam in plurium diverſorum populorum linguas, quod eſt optimum medium eas comparandi, quia jam multas hujuſmodi verſiones habemus. Poſſunt etiam addi nonnulla vocabula rerum vulgarium, quæ infra ponemus.

6. Quæritur, quæ ſint linguæ ad ſeptentrionale latus Ponti Euxini, & ulterius verſus Orientem, & Septentrionem. Hoc ſimiliter ſciri poteſt per interpretes, miſſionarios, & mercatores, qui verſantur apud urbem *Caffam*, Trapizuntem vulgo *Trebiſonde*, & alia emporia illic poſita: qui ſimiliter poſſunt procurare *Pater noſter*, verſum in illas linguas cum aliquot vocabulis.

7. Quæritur etiam, quæ ſint linguæ ad ſeptentrionale latus maris Caſpii, & ultra, verſus Orientem, & Septentrionem.

8. An, & quæ ſint linguæ generaliores, & latè diffuſæ in illis remotis regionibus, à Slavonica tamen, vel Moſcovitica toto genere diverſæ.

9. Relatum eſt, quemdam Jeſuitam Hungarum ante annos complures à Tartaris captum fuiſſe, & venditum aliis Barbaris poſt Caſpium mare poſitis, ibique reperiſſe linguam Hungaricæ cognatam. Quæritur, an de ea re ulterior notitia haberi poſſit.

10. Quæritur, annon lingua quædam peculiaris à Slavonica, Hungarica, Græca, & Turcica prorſus diverſa reperiatur in Albania, & Bulgaria. Nam relatum eſt, talem *linguam ſingularem* reperiri in montibus Albaniæ, & Epiri.

11. Quælibet *Oratio Dominica*, vel *Pater noſter*, aut aliud vocabulum linguæ *ſcribatur literis notis*, & ſubjiciatur verſio interlinearis à verbo ad verbum in lingua aliqua generalius in Europa nota, velut in Latina, aut Germanica, aut aliqua Slavonici generis, ſive ea ſit Polonica, vel Moſcovitica, vel alia. Et ideo verſio verbotenus facienda eſt, quia diverſi populi diverſo modo verba Orationis Dominicæ collocant.

12. Poſſunt hic uſui eſſe Interpretes publici, Miſſionarii Chriſtiani, & Mercatores, tam Chriſtiani Latini, Græci, vel Armenii, quàm etiam Judæi. Et *ad Gloriam Dei pertinet verti Pater noſter, ſive Orationem Dominicam in illas linguas, in quibus nondum habetur*, ut omnis lingua laudet Dominum.

13. Habemus jam *Pater noſter*, ſeu Orationem Dominicam, in linguis *Polonorum*, *Serviorum*, *Dalmatarum*, *Croatarum*, & *Ruſſorum*, vel Moſcovitarum, (quæ omnes ſunt linguæ Slavonici generis) *Wallachorum*, quæ eſt ſemi-latina, *Cettonum*, & *Livonorum*, quæ duæ ſunt conjunctæ inter ſe, ſed diverſæ ab aliis, *Turcarum*, *Perſarum*, *Chinenſium*: Quod monetur, ne tales adhuc ſemel mitti opus ſit.

14. Quoties ponitur Oratio Dominica, ſeu *Pater noſter*, aliaque vocabula, addetur nomen, & ſitus populi, qui ſic loquitur.

15. Ex abundanti proderit addi *indiculum* quorumdam *vocabulorum*, *res uſitatiores exprimentium*. Talia ſunt.

Digitized by Google

Nomina numeralia, unum, duo, 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 20. 30. 40. 50. 100. 1000.

Propinquitates & ætates: Pater, mater, avus, filius, filia, frater, ſoror, patruus, maritus, uxor, ſocer, gener, vir, mulier, infans, juvenis, ſenex.

Partes corporis: Corpus, caro, cutis, ſanguis, oſſa, caput, frons, naſus, oculus, pupilla, auris, barba, os, lingua, dens, pectus, cor, brachium, manus, pes, digitus, crines, venter, mamillæ.

Neceſſitates: Cibus, potus, panis, aqua, lac, vinum, medo, herba, frumentum, pomum, ſal, piſcis, bos, ovis, equus, veſtis, pellis, domus, currus, gladius, arcus, ſagitta, lancea, bombarda.

Naturalia: Deus, homo, cœlum, ſol, luna, ſtella, aër, pluvia, tonitru, fulgur, nubes, gelu, grando, nix, glacies, ignis, calor, lux, fumus, terra, ager, mons, vallis, mare, fluvius, lapis, arena, canis, lupus, cervus, urſus, vulpes, avis, ſerpens, mus.

Actiones: Edere, bibere, loqui, videre, eſſe, ſtare, ire, occidere, ridere, dormire, ſcire, velle &c.

Hæc ideo recenſentur non quaſi omnia obtinere neceſſe ſit, ſed ut pro modulo inſerviant ad aliqua obtinenda, quæ commodè habere licebit: præſertim cùm aliquando fortaſſe minus facile futurum ſit obtinere ipſum *Pater noſter*. Interim quo plura dabuntur, eo plus lucis habebimus.

II. *Reſponſum D.* PODESTA.

IN Tartariâ, Deſtkaptſchak dicta, ad littus ſeptentrionale maris Caſpii occaſum verſus Tartaris Magiaris regio contermina, ſe orientem verſus ad flumen Arabibus *Gihum* & Latinis Taxartem extendens, videtur aliquid de Germaniſmo eorum linguæ ineſſe. Illa enim lingua eſt ſemi-Perſica, & ſemi-Tartarica orientalis, & lingua Perſica plurimis Germanicis vocibus mixta, videtur eas a Deſtkaptſchenſibus Tartaris habere; & ii tales Tartari fuerint, de quibus *Busbequius* loquitur: nam *Muſtapha*, *Ben Golel Sultani Sullimanni geſta ſcribens*, inter Sultanum *Sullimannum*, & Tartaros Deſtkaptſchenſes fuiſſe correſpondentiam, & legatos a *Sullimanno* hos Tartaros miſſos fuiſſe, aſſerit, ut eorumdem Regi victorias ſuas in Hungariâ obtentas ſignificaret; is e contra alios miſerit, quos *Busbequius* obſervaverit.

Sunt perplures Tartarorum *Hordæ*, id eſt, *caſtra* quæ certis ſedibus non gaudent ad flumen Volgam. Fruuntur illius fluminis piſcibus, quos ad ſolem exſiccant, & in pulveres redigunt; paſcua ſuis cum armentis hinc inde quæritant, ideoque vaſtæ ibidem plagæ reperiuntur, quarum incolæ fixa loca non habent.

Linguæ ſunt mixtæ, participantes de Tartaricâ & Moſcoviticâ verſus partes magis occidentales, & verſus plagas orientis de Tartaricâ recedente, a mix-

Digitized by Google

a mixturâ Turcica, & commiſcente ſe cum Tartaricâ Chitai, quales voces reperiuntur in *Hiſtoriâ Turcicâ Huſſeini Algenabii.*

Directa linea a littore Ponti eſt Tartarica magis civilis in *Caffa*, *Bialogrod*, & ultra Tartarica magis barbara, *Circaſſi*, *Calmuchi*, mixtim Tartaricè, & Moſcoviticè loquuntur: *Trapezunti* Turcicè & *Georgiana* linguâ, quæ etiam *Iberica* nuncupatur, proprium characterem habens. Hujus linguæ *Grammatica* habetur ſuis cum characteribus impreſſa Romæ in Collegio de propaganda.

Eſt lingua *Magyaræ* ſimilis noſtræ Hungaricæ hic in Europâ. *Hungari* enim quòd Hungari dicentur, non eſt ab illis, quòd ita ſe vocent, ſed ab *Hunnis* & *Garis* ſeu *Gauris* juxta *Algenabium*, Hungari a Romanis appellati. Hungari enim ſe ſuâ propriâ linguâ *Magyar* hodierna adhuc die appellant.

Altera eſt lingua Deſtkapſchorum ſemi-Tartarica, Chitajana, & ſemi-Perſica. Fuſiſſima autem linguarum in partibus ſeptentrionalibus Caſpii maris eſt ipſa *Tartarica Chitajana*, cujus dominans Princeps, *Algenabio* teſte, habet regiones ſeu regna ſeptem, quæ medii anni itinere circuiri non poſſent. *Habet characterem ſpecialem ſemi-hieroglyphicum.* Hac ipſâ linguâ & charactere, quod meis oculis vidi, Rex Chinæ Tartarus ſcripſit Imperatori noſtro, & ſuam ſimul effigiem eidem tranſmiſit. Character ſimilis characteri Syriaco. Hæc in Auguſtiſſimi Cæſaris Bibliothecâ hic Viennæ videri poſſunt. Urbs præcipua hujus magnæ Tartariæ, ubi Imperantis reſidentia eſt, vocatur *Thamgacz.*

Hujus rei notitia ex *Huſſeino Algenabio Hiſtorico Turcico*, & linguâ Turcicâ ſcripto habetur, ut exhibui Illuſtriſſimo Reſidenti Sereniſſimi Electoris de Luneburgo ex gloſsâ *Tengnagelii* ad hunc auctorem.

E X-

EXCERPTUM EX EPISTOLA TENZELII
AD G. G. LEIBNITIUM,
Cum Leibnitii reſponſo, *de Linguâ primigeniâ.*

Ex Otio Hanoverano Felleri.

I. Excerptum ex Epiſtolâ Tenzelii &c.

De *Gloſſario Thomaſſini Hebraico* nihil adhuc accepi, cui de linguâ primigeniâ facilè aſſentior, difficultatibus aliunde injectis nihil commotus. Neque enim lingua illa in reliquiis tantùm in Codice Biblico reſiduis ſpectanda eſt.

II. *Reſponſum* Leibnitii *&c.*

Linguam Hebraicam primigeniam dicere idem eſt ac dicere truncos arborum eſſe primigenios, ſeu regionem dari, ubi trunci pro arboribus naſcantur. Talia fingi poſſunt, ſed non conveniunt legibus naturæ & harmoniæ rerum, id eſt, ſapientiæ divinæ, ſcilicet homines de Deo non ſatis pro dignitate ſentire, aſſueti facilè quidvis ei tribuunt. Illud tantùm quæri cum ratione poteſt, *an lingua Hebræa cum cognatis ſit origini vicinior, quàm cæteræ, & fontium verorum retinentior.* Semper judicavi ad Hebræam rectè noſcendam neceſſario adhibendas eſſe Syriacam & Arabicam, ſed ex omnibus tamen conjunctis non puto radices exſculptum iri cohærentes inter ſe, & rationem ſignificatus oſtendentes, quod linguæ primigeniæ criterion haberi debet. Si lingua primæva adhuc tempore *Moſis* extitit, unde quæſo Ægyptiaca nata eſt? Linguæ naturaliter corrumpuntur. *Græca* lingua diutiſſimè conſervata per eruditos, poſt *Heraclii* tempora valde corrupta.

FINIS PARTIS SECUNDÆ TOMI SEXTI.

INDEX

Digitized by Google

INDEX LOCUPLETISSIMUS

RERUM ET MATERIARUM,

In Tomis V. & VI. contentarum.

Numerus Primus Tomum, *Secundus* Paginam indicat; *ubi verò reperitur* VI. P. II. *id* Tomi ſexti Partem ſecundam *demonſtrat.*

A

ABba vocis explicatio. VI. 105. 108. 109. 143. 146.

Abbates Regii & Epiſcopi plurimùm in Imperio Romano valebant. V. 60.

Abellis Epigramma de *Caroli VI.* victoriâ in Turcicos relata. V. 563.

Abelſreuter Bavaricæ hiſtoriæ ſcriptor relatus. V. 469.

Aborigenes quomodo ſe dicant Germani? VI. P. II. 152. quid ſint? VI. P. II. 154.

Abrahamus an ſcripturâ uſus fuerit? VI. 208.

Abraxas Baſilidis relatus. V. 609.

Abrech vocis explicatio. VI. P. II. 132. 133.

Abſalon Gerardi Corn. Drieſchii Tragædia relata. V. 429. Authoris judicium; 430. 434. quam *Drieſchius* correxit. V. 435.

Abſoluti idea quid ſit? V. 370.

Abulfedæ (*Arabis*) Geographia à *Scebiſchio* tranſlata. V. 470.

Abyſſini Jeſuitas odio habent. VI. P. II. 202. apud eos Papa Epiſcopum Ancyræ miſit. *ibid.* Batavi quoque legatos ad eos Religionis Chriſtianæ prædicandæ causâ miſerant. *ibid.* Abyſſini Arabum colonia fuere. VI. P. II. 227.

de *Academiâ* Scientiarum Regiâ Berolini inſtituendâ, Authoris diſſertatio. V. 175. Principum ſummopere intereſt Academiæ inſtitutio. *ibid.* ejus uſus immenſi. V. 178. cujus Author Præſes nominatus fuit. V. 179. de ejus fundatione. V. 253.

Academicorum & ſcepticorum placita expendenda. V. 369.

Acciſes Tributum quid ſit? V. 577. ejus utilitas. *ibid.*

Accuratio nimia plura ſcripta utilia nobis eripit. VI. 14. vide *Præclara.*

Acidulæ in alia loca tranſlatæ an ſint noxiæ? V. 190.

Acmon Princeps Celtarum relatus. VI. P. II. 82. 127.

Acoluthus (*Andr.*) de Hieroglyphicis Ægyptiacis. V. 383. de congruentia inter Armenam & Ægyptiacam ſeu Cophticam. V. 494. 503. VI. 121. VI. P. II. 130. 140. de ejus obitu. VI. 142. 143. Excerptum ex ejus litteris ad Abbatem *Molanum* de linguis orientalibus. VI. P. II. 130. *& ſeq.* de Alcorani verſione. *ibid.* ejus verſio *Ferati* Mahummedani. VI. P. II. 131. ejus Ægyptiaca ad *Molanum* miſit. VI. P. II. 132. alia ad *Molanum* Epiſtola de *Hinckelmanni* ſcriptis orientalibus & Alcorano *Maraccii.* VI. P. II. 136. ejus ad *Leibnitium* epiſtola de rebus orientalibus. *ibid.* Authoris de eo judicium. VI. P. II. 193.

Acontius primus Arminianis præluſit. V. 347.

a Coſta (*Ant. Rod.*) de Pygmæis relatus. VI. 102.

Acta Sanctorum relata. V. 103.

Actio Dei in Creaturas, liber relatus. V. 12. 17. VI. 214.

Actionum noſtrarum moralitas undenam pendeat? V. 381. an dentur actiones in ſe & ſuâ naturâ honeſtæ vel turpes? V. 387. *Chriſt. Thomaſii* ſententia; *ibid.* reſpondet Author. V. 389. de Actionibus *Vincentii Placcii* libellus expenſus. VI. 21. *&* *ſeq.* de actionum diviſionibus. *ibid.* an ſit in nobis aliquid activum quod nos determinet? *ibid.* 214. actionis motricis uniformis quantitas quomodo æſtimari poſſit? VI. 216.

Activa virtus creaturarum quomodo conciliari poſſit cum concurſu Dei immediato ad quamvis actionem creaturæ? VI. 174.

Adalbertus *Albino* Epiſcopo Volterrenſi Juriſdictionem *Berignonis*, *Caſoli*, *Monteri* &c. conceſſit; V. 140. cujus Diploma ab *Antonio Magliabechio* petit Author. *ibid.*

Adalbertus (*Archiep Bremenſis*) *Henrici IV.* conventui Ratisbonæ interfuit. V. 470.

Adami lapſus explicatur. V. 147. VI. 193. ejus peccatum quomodo præſtabilitum fuerit? VI. 194. de ejus peccati imputatione, VI. 287. de qua lites inter D. *Edwards* & *Witby* in Angliâ. *ibid.* an *Adami* & *Evæ* peccatum fuerit voluntarium? VI. 294. & cæteris impoſuerit quamdam peccati neceſſitatem? *ibid.* quænam fuerit ejus lingua? VI. P. II. 225. & ejus poſterorum? VI. P. II. 226.

Adam Kadmon Judæorum Cabbaliſtarum relatus. V. 482.

Adami vitæ Germanorum relatæ. V. 348, 349.

Adel vocis explicatio. VI. 143. 145.

Adelzreiteri Annales Boici relati. VI. 295. *&* *in not.* & 320.

Adepti in Chymiâ Pontificiorum Sanctis ſimiles. VI. 329.

Admiratio unde oriatur? V. 330. *Epicurei* docent nihil in mundo eſſe admiratione dignum. *ibid.* Barbari cujuſdam inſulæ auſtralis ſtupidiſſimi habiti quòd nihil admirarentur. *ibid.*

Adoleſcentes cur pigri in ſcholis evadant? V. 382. iis non præficiendi homines moroſi & indocti. V. 383. pueritiæ moderatores erectioris indolis ob ſtipendii tenuitatem amoventur. *ibid.* & VI. 70. de educationis emendatione. VI. 70. vide *Juvenes* & *Pueri.*

Adſignificatio quid ſit juxtà *Jungium*? VI. 32. Homonymia adſignificationis. VI. 42.

Ae pro *æ* ponendum urſit *Mitternachtius.* V. 189.

Æditus Hermannus ab *Arnoldo* citatus. V. 608. de ejus Chronico. *ibid.*

Ædium mercurialium, Gallicè *Bureaux d'adreſſe*, inſtitutio commendata. V. 178. & 179.

Ægyptiaca lingua an eadem ſit ac Armena? VI. 121. VI. P. II. 138. an diverſa ab Hebraicâ? VI. P. II. 80. 132. eorum ſcribendi ratio an ei quâ Sinenſes utuntur ſit conformis? VI. P. II. 135. cryptæ concameratæ in Ægypto veterum characterum plenæ. VI. P. II. 194.

Æliani editio à *Perizonio* illuſtrata. V. 129.

Æmulatio quid profit? V. 547.

Æneæ ramus aureus quid fuerit? VI. P. II. 94.

Æquationes cubicas reſolvendi methodum invenit Author. VI. 49. ut & quadrato-quadraticas. *ibid.*

Aer pluvioſus cur levior ſit? V. 156.

Æſopi fabulæ an ſuppoſitæ juxta *Bentleium*? V. 548. de earum origine. VI. 254. an *Locmannus* earum inventor? *ibid.* Indi ſe jactant earum eſſe authores. *ibid.* *Gudius* de iis. *ibid.* *Æſopi* editio curante *Johanne Ogilbeio.* VI. 299.

Æſtiorum lingua relata. VI. 301. an Cambrobritannicæ ſimilis? *ibid.*

Æthiopes Sabæos origine ex Arabiâ felice eſſe dicit *Ludolphus.* VI. 119.

Æthiopiæ Regis ad Gubernatorem Generalem Batavorum in Indiâ Epiſtolæ, cum iſtius reſponſione relatæ. VI. 116. Batavorum ad eam legatio. VI. 158. Regis ad *Ludovicum* Galliæ Regem Epiſtola. *ibid.* 167.

Affectio pia quid ſit? VI. 306.

Affectiones naturales ſi ſequamur an inde beati ſiamus? V. 44.

Affectus quid ſint? VI. 315. Affectibus noſtris tanquam Deo ſervimus. V. 56. Affectuum noſtrorum regendorum rationem habemus in nobis. VI. 317.

Affir-

Digitized by Google

Affirmanti incumbit probatio. V. 249.
Agathemerus de linguis Ægyptiacâ & Sinicâ. V. 504. ejus ſpecimen Copticum. VI. 163. idem ac *Bonjour*. VI. 167. vide *Bonjour*.
Agobardus relatus. V. 350.
Agreda (*Mariæ*) opera inepta. V. 521.
Agricultura commendata. V. 177.
Aguirræ (*Card.*) de hiſtoriâ Conciliorum Hiſpaniæ relatus. V. 109.
Ailesſius (*Soc. J.*) relatus. VI. 183.
Alaricus Wiſigothorum Rex cur Romæ obierit? V. 46.
Alaudæ in rupibus Norwegiæ ſemi mortuæ repertæ. VI. 272.
Albanorum lingua, V. 478. an eadem ac *Illyrica*? *ibid.* & 494. de variarum ejus linguæ vocum inveſtigatione. V. 495. VI. P. II. 229.
Alchymiæ ænigma explicavit Author. VI. 329. in Alchymiâ adepti ſunt ſimiles Catholicorum Sanctis. *ibid.*
Alcoranus Maraccii relatus. VI. 147. *Acoluthus* de ejus verſione meditabatur. VI. P. II. 130. de Alcorani ineptiis & Turcis ad fidem adducendis. VI. P. II. 131. de verſione *Sikii*. VI. P. II. 145. cur *Innocentio XI*. diſplicuerit *Maraccii* verſio? *ibid.* quam *Barbarigus* Cardinalis curavit. *ibid.*
Aldrete (*Bern.*) origines linguæ Caſtellanæ relatæ. VI. 89.
Aldrovandi Phyſica commendata. V. 184.
Aleæ ludus ingenium acuit. V. 17. 22. 28. vide *Ludus*, aleæ luſus ſpecimen eſt elegans ratiocinationis de gradibus probabilitatis. VI. 318.
d'Aleſeld Legatus extraordinarius Daniæ relatus. VI. 281.
Alegambius de Bibliothecarum indicibus relatus. V. 345.
Alemanni qui? VI. 322. ejus vocis origo. VI. P. II. 191.
Alexandri (*P. Natalis*) Theologia moralis belli inter Dominicanos & Jeſuitas cauſa. V. 222. VI. 258. cui Archiepiſcopus Pariſienſis favit. *ibid.*
Alexander VI. Papa relatus. VI. 312. *Chiſii* violentis conſiliis obſecutus eſt. *ibid.* ejus diarium à *Burcardo* editum. V. 477. ejus vita ab antiſtite rituum ſcripta, ab Authore edita, VI. 240.
Alexina Eſtenſis an *Alberto* Brunſvicenſi nupta? V. 115.
Alſſius de Poëſi relatus. V. 432.
Algebra quid ſit? V. 405. ejus uſus. V. 367. algebricas tabulas excogitavit Author quæ mirificè calculum ſublevarent. VI. 49.
Algenabii (*Huſſeini*) hiſtoria Turcica relata, VI. P. II. 231.
Allæi (*Franciſci*) *Arabis Chriſtiani* Aſtrologiæ nova methodus relata. VI. 300. ejus fatum univerſi. *ibid.* *Ivo* Capucinus Pariſienſis verus horum tractatuum Author. *ibid.*
Allatii (*Leonis*) apes urbanæ relatæ. V. 132. de antiquitatibus Etruſcis. VI. P. II. 195.
de Allegoriis, ſeu typis naturalibus librum ſcribi poſſe dicit Author. VI. 323.
Allix hiſtoria Conciliorum relata. VI. 242.
Alodium quid ſit? VI. P. II. 183. ejus vocis origo. *ibid.*
de *Alpen* de vitâ *Bernardi Epiſcopi Monaſterienſis* relatus. VI. 196.
Alphabeti inventio an *Abrahamo* tribuenda? VI. 208. an Alphabeti Hebraici origo à figuris rerum petenda? VI. 209. Alphabeta variarum gentium à *Bernardo* expreſſa. V. 97. vide *Bernardus*.
Alphabetum Hiſpanicum manu ſigna voces deſignantia ſine loquelâ docens. VI. P. II. 216.
Alphonſus Rex, Aſtronomiæ ſtudio inſignis; ridiculè credebat melioris ſyſtematis ideam ſe daturum fuiſſe, ſi à creatore in conſilium adhibitus fuiſſet. V. 146.
Alſtedii Encyclopædia relata. V. 183. 567. Authoris cogitata quædam de ratione eam perficiendi & emendandi. *ibid.* & 405. ejus hiſtoria temporum commendata. V. 184. incautus *Megiſeri* imitator. VI. 124.
Altaria & templa an Chriſtiani primo ſæculo habuerint? V. 609.
Alteſerræ recitationes juris relatæ. II. 155.
Altfridus Hildeſhemenſis Epiſcopus fuit Saxo. V. 307. & *in not.*
Alvensleben (de) nobilis, rei nummariæ peritus. VI. 43.
Alunni, *Richezza della lingua volgare* relata. VI. P. II. 39.
Amandi (*Abbatis Sancti Petri Salzburg.*)

Relationes hiſtoricæ de *S. Martino* relatæ. V. 469.

Ambaſſadrice vox relata. VI. 305. Authoris obſervatio. *ibid.*

de Ambitu, ſeu ad Legem Juliam ambitus, liber à *Menteto Kettwigio* conſcriptus. V. 568.

Amenemes vocis etymologia. VI. P. II. 133.

Americani ſine legibus & magiſtratu, præſertim *Canadenſes* vivebant. V. 361. 362. inde eorum virtutes. V. 363. America an cognita fuerit ante *Columbum*? VI. 261. *Vagenſeilius* de Americâ; *ibid. Seneca* an prædixerit Americæ detectionem? VI. 327. eorum varia genera tam corporis quàm ingenii. V. 545.

Americo-Virginiana lingua relata. VI. 142.

Amicitia particularis parùm in Religione commendata. V. 40. 559.

Amicitia periculis probata rariſſima. V. 40.

Amicitia proprium commodum aſpernans, ab Authore in Præfatione Codicis Diplomatici Juris Gentium explicata. V. 41.

Amharicæ linguæ Grammatica à *Jobo Ludolfo* ſcripta. VI. 158. Authoris judicium. VI. 160.

Amilcar à D. *Scuderiâ* introductus optans eſſe *Mazarino* ſimilem. VI. 305.

Ammianus Marcellinus Hunnis tribuit quæ *Tacitus Fennis*. VI. 301.

Ammirati (*Scipionis*) Hiſtoria Florentina relata. V. 140.

Amor: In nos deſcendere debemus, ut quod amore & laude dignum eſt agnoſcamus, nec ullam imperfectionem moralem Enti perfectiſſimo tribuamus. V. 55. Amoris definitio juxta Authorem. V. 127. VI. 255. *Fenelonii* ſententia de amore puro ab Authore expenſa. V. 189. cum quo controverſias habuit. V. 329. amor verus ſuis commodis non ſervit. VI. 255.

Amor Dei ſuper omnia expenſus. VI. 312. an detur ſine Chriſto? *ibid.* De amore Dei controverſiæ in Angliâ ortæ, *Sherlokium* inter & *Norriſium*. V. 548. de quâ mira ſcripſit adoleſcens nobilis Angla in Epiſtolis ad *Norriſium*. *ibid.* lites etiam fuere Archiepiſcopos inter Cameracenſem & Meldenſem. VI. 254.

Amphion muſices ope Thebarum arcem condens relatus. V. 37. cum *Orpheo* comparatus. *ibid.*

Amulonis Epiſtolæ relatæ. V. 350.

de Anachoretis diſputatio inter *Mabillonium* & Abbatem *de la Trappe*. V. 400.

Analyſis ſpecioſa Authoris operâ mira augmenta accepit. V. 76. 549. cur plurimi Analyſeos & Geometriæ inventa ſubtilia parvi faciant? V. 564. an contineatur finibus Algebræ. V. 567. de Analyſi perficiendâ. VI. 49. cujus calculum mirè produxit Author. VI. 60. ejus Analyſin infiniteſimalem illuſtravit Marchio *Hoſpitalius*. VI. 138. 327. Analyſis Geometrica ad Phyſicam aditum patefacit. VI. 227. 327.

Anatome: de Gallo Pariſios Genevâ advento Anatomes miras demonſtrante, corporis humani membra cerâ conflante. V. 63. Anatomici ſtudii utilitas commendata. V. 164. 177. & 178.

Anaxagoras de intelligentiâ omnium rerum cauſâ relatus. V. 24. à *Socrate* reprehenſus. *ibid.*

Ancillonius ab Authore relatus. V. 273. Authori ſcribendi cauſam ſuppeditavit. V. 309. ejus obitus. V. 335. de *La Croſio*. V. 493. de *Cuperi* in Societatem Berolinenſem receptione. V. 572.

Anconæ urbis etymologia. VI. P. II. 191.

Ancyræ Epiſcopus à Papâ ad Abyſſinos legatus miſſus. VI. P. II. 202.

Anden vocis etymologia. VI. P. II. 157.

Anderſonius de legibus & juribus veteribus laudatus. V. 424. de linguæ Germanicæ antiquitatibus. V. 425.

Andradii (*Jacobi Payvæ*) Explicationes orthodoxæ de diverſis Religionis capitibus relatæ. V. 121. quibus *Chemnitius* Examen Concilii Tridentini oppoſuit. *ibid.* & 235.

Andreas S. Apoſtolus an apud Ruſſos Evangelium prædicaverit? V. 496.

Andreas (*Samuel Marpurg. Profeſſ.*) de *Malachiæ* Hybernorum Archiepiſcopi Propheciâ relatus. V. 94. de re numiſmaticâ relatus. V. 109. de LXX Interpretum variis ſententiis de coturnicibus vel locuſtis ab Iſraëlitis comeſtis. VI. 155. ejus adverſùs *Hobbeſium* diſputatio. VI. 311.

Andreas

Digitized by Google

Andreas Hungarorum Rex relatus. V. 223. & 224.

Andreæ Presbyteri Ratisbonenſis Hiſtoria relata. VI. 128. de Bavariæ Principibus. *ibid.*

Andreæ (*Jo. Valentini*) Compendium Mathematicum relatum. V. 152.

Andreinus (*Petrus Andreas*) relatus. V. 83. ab authore celebratus. V. 84.

Andrius de ſeminario marium relatus. V. 173.

Andronicus S. an apud Ruſſos Evangelium prædicaverit? V. 496.

Angelini hiſtoria muſica relata. V. 113.

Angelus (*Joh. Sileſius*) myſticus relatus. VI. 56.

Angelorum natura, juxta Authorem. V. 168. cur non Angelorum, ſed hominum lapſorum Deus miſertus ſit? VI. 294. Angeli nominis etymologia. VI. P. II. 165. 168. Angeli duo perfectè ſimiles non dantur. VI. 233.

Anger vocis etymologia. VI. P. II. 157. 162.

Angilberti cum *Bertâ*, *Caroli* filiâ, matrimonium an fuerit ſolemne? V. 464.

Angli fuere colonia Saxonum. VI. P. II. 129. 219. ex quibus linguam ſuam acceperunt. VI. P. II. 195. an ſuas litteras ſecum in Britanniam attulerint? VI. P. II. 196.

in Anglia Membra Tribunalis dicti *la Chambre des Communes* non pendent à Pagis qui ea nominaverunt. V. 59. Angliæ inferior curia & Dynaſtæ Regem ex Domo Hanoveræ quomodo acceperint? V. 585. ejus debita. V. 590. de ejus Hierarchiâ à dictis *Wighs* odio habitâ. V. 591. an Rex Religionem Auguſtanam deſeruerit, & Anglicanam amplexus fuerit ut ſummam rerum aſſequeretur? V. 593. 595. de Angliæ Reformatione. *ibid.* cum Eccleſiis Auguſtanæ Confeſſionis lites nullas habuit. *ibid.* & 594. de eorum Epiſcopis. V. 595. de Regis liberis; an ejus filia fuerit Calviniſta? V. 596. de limitationibus Pacti dicti *Act of ſettlement. ibid.* an Rex cogi poſſit manere in Angliâ? V. 597. de *Parlamento Triennali.* V. 598. de exercitu perpetuo in Angliâ. V. 599. de ejus bellis damnoſis. V, 600. & 601. Edicti dicti *Bill* partium ſtudia indicantis exemplum. V. 601. Anglorum ſententia de familiæ Hanoverianæ ſucceſſione ex *Virgilii* dictis expreſſa. V. 603. de Societate Regiâ Angliæ. VI. 238. de eorum Juriſprudentiâ. VI. 239. an Angli jura habuerint in Galliam? VI. 265. Libellus cui titulus *Intérêt de l'Angleterre mal entendu.* VI. 281. Anglos Britanniæ dedit Germania. VI. P. II. 80. Angliæ quibuſdam provinciis voces peculiares notavit *Raïus.* VI. 106.

Anglicæ linguæ Dictionarium relatum. V. 547. cui voces Technicas jungere monet Author. VI. 236. VI. P. II. 23. vocabula ſua undequaque mutuata eſt. VI. P. II. 37.

Anglo-Saxonicæ litteræ antiquiſſimæ. VI. P. II. 196. Anglo-Saxonicum ſpecimen *Franciſci Junii. ibid.*

Angrivarii qui? VI. P. II. 157. 163.

Anima an ex uno corpore in aliud tranſeat? V. 18. VI. 331. animam inter & corpus unionem demonſtrat harmonia præſtabilita. V. 19. ut & ejus paſſiones & actiones. V. 37. animæ cum corpore communicationem demonſtrat Author adverſus *Carteſium* & *Malebrancium.* V. 113. VI. 125. quam per leges naturæ explicat. *ibid.* de naturâ animarum demonſtrationes quaſdam nactus eſt Author valde ſingulares. V. 119. an unio animæ & corporis pro miraculoſâ habenda? V. 149. de animarum ſtatu poſt mortem variorum ſententiæ. V. 316. 319. Animas omnes eſſe indeſtructibiles docet Author. V. 319. 375. VI. 331. ejus ſententia de animarum ſtatu ante hominis & poſt ejus ortum. *ibid.* & de animâ brutorum. V. 320. VI. 331. quomodo ſit monas? V. 375. de ejus immortalitate. V. 390. Animarum præexiſtentiam docebat *Origenes.* V. 482. Vide *Immortalitas. Licetus* de ortu animæ humanæ relatus. VI. 189. an anima ſit diviſibilis? *ibid.* de animarum differentiâ originali. VI. 233. an anima aliquando careat perceptione. VI. 274. an poſt mortem memoriam præteritorum conſervent? VI. 332. quomodo gaudii & ſatisfactionis capaces eſſe poſſunt? *ibid.* ut & ſcientiæ & regiminis? *ibid.* ſpeculum

ſunt univerſi. VI. 332. anima cur ſit incorruptibilis? *ibid.* Bonarum animarum error, omnia poſt hanc vitam metuenda putantium. V. 54.
Anima univerſalis quid ſit? V. 15.
de Animalculis ſeminalibus. V. 174. VI. 211. 218.
de Animalium generatione. VI. 213.
Animalia ſpermatica quomodo formentur? V. 19. VI. 213.
Anna Angliæ Regina laudata. V. 600.
Annæus relatus. V. 432.
Annonis Archiepiſcopi Colonienſis vita carmine Germanico ſcripta. VI. P. II. 218.
Anſa Teutonica, vide *Hanſeatici.*
Anſelmi (*P.*) opus genealogicum de Domo Regia & ſummis in Regno miniſtris relatum. V. 22. ejus opera poſthuma. V. 515.
Anſelmus (*Cantuar. Archiep.*) de exiſtentiâ Dei relatus. V. 361. quem ſequutus eſt *Carteſius.* V. 393. 570. VI. P. II. 147.
Anſelmus (*Abbas*) ab Authore relatus. V. 30.
Anthropomorphitæ relati. V. 607. error *Arnoldi* de iis. *ibid.* adversùs eorum hæreſin *Ratherius* Veronenſis Epiſcopus verbis & ſcriptis reclamavit. *ibid.*
Anthropophagi relati. VI. 102.
de Anti-Chriſto diſſertatio Gallica relata. V. 274.
Antidyſentericum remedium Americanum miræ efficaciæ relatum. V. 115.
Antiquitates: Eas coluit Author. V. 63. Antiquorum artes mechanicæ & œconomicæ expenſæ. *ibid. & 64.* Antiquitatum dictionarium quod eſt compendium Theſauri antiquitatum, relatum. V. 72. VI. 289. ex antiquitate multa utiliſſima eruenda. V. 217. Antiquitatum Ægyptiacarum ſtudium commendatum. V. 225. Antiquitatum ſtudii neglectus plurimùm Religioni officere probatur. V. 460. antiquitatum lapides indices ſunt viarum veterum. VI. 323.
de *Antiquorum* præſtantiâ præ modernis inter *Nicolaum Boilæum* & *Carolum Perraltum* controverſia. V. 357. antiqui non ſpernendi. V. 516.
Antitypia corporum quid ſit? V. 374.
Antonii de Padua doctrina de Euchariſtiâ. V. 243.
Apellæum dictum. V. 432.
Apocalypſis ſola à quodam Judæo ex omnibus novi Teſtamenti libris recepta, quod exiſtimaret in eâ artem auri conflandi invenire. V. 55. Apocalypſin mathematicè explicabat *Whiſtonius.* VI. 276.
Apocataſtaſeos opus *Peterſenii* laudatum. V. 278.
Apocryphos quos vocamus libros cur Pontificii præſcribant. V. 250. eorum uſus. V. 569.
Apollonius laudatus. V. 394.
Apollonii Pergamæi labor de ſectione rationis, relatus. VI. 176.
Aprilis (*Pater*) de Itinerario ſuo Tartarico relatus. VI. 121.
Apuleius de ceremoniis *Iſidis* relatus. VI. 318.
Aquarum curſus dirigendus. V. 178. & inundationes præcavendæ. *ibid.* machinarum aquas ejicientium in incendiis fabrica commendata. *ibid.* aquæ an è mari per meatus ſubterraneos in altiſſimos montes aſcendant? VI. 141. aqua marina tanquam oleum per deliquium ex refrigeratione poſt calcinationem factum conſiderata. VI. 214. totum globum ante Diluvium *Noachi* operuit, & in eo multas mutationes produxit. *ibid.*
Aquæ lapſus a Landgravio Haſſiæ conſtructus. V. 524.
Aquæ Mattiacæ quid? V. 466.
Aquæ Pyrmontanæ, Egrenſes, aliæque cur domi cum ſalutis eventu hauriantur? V. 191.
ab Aquapendente (*Fabricius*) de venarum valvulis relatus. VI. 229.
Aquiliæ tria pavimenta ſuperimpoſita detecta. VI. P. II. 88.
Arabica lingua plura vocabula ab Armenis & Ægyptiis mutuata eſt. VI. P. II. 137. 139.
Arabum, ſeu Mahumetanorum religio conſiderata. V. 479. cujus Authores fuere. V. 480.
Aramena Principis Wolffembuteli relata. VI. P. II. 189.
Arauſionenſium Principum teſtamenta ab Authore notis illuſtrata. V. 193. *Guillelmus Naſſoviæ* Princeps Reipublicæ Provinciarum Germaniæ inferioris fundator,

Digitized by Google

dator. V. 193. *Philippus Gulielmus Comes de Buren* ejus filius a Duce *Albæ* in Hiſpaniam miſſus. *ibid.* è qua redux Regionum ſuarum poſſeſſionem recuperavit. *ibid.* ejus fata. *ibid.* *Mauritii Naſſoviæ* Principis facta. V. 194. *Friderici Henrici* facta. V. 195.

Arbitrium merum quid producere poſſit? VI. 207. *Poireti* error de mero Dei arbitrio. *ibid.* quomodo ex mero Dei arbitrio nihil proficiſci poſſit? *ibid.*

Arca Noaci ubinam ſtetit? V. 517.

Arcanum regium relatum. V. 263. vide *Winclerus.*

Archæiſtæ Mechanicam à Medicinâ excludunt. V. 63.

Archimedes laudatus. V. 394. an fuerit ſcriptor librorum de *æquiponderantibus*? V. 459.

Archontius (*Severus*) cum ſuâ caballâ relatus. V. 611.

Aremorica lingua, vide *Wallia.*

Arenæ liber de Principibus Tuſciæ relatus. V. 91. & 95.

Arenbergius (*Dux*) de oratione Autoris *Principi Eugenio* dictâ relatus. V. 27.

Arg vocis origo. VI. P. II. 168.

Argumenta plura probabilia juncta certitudinem moralem pariunt. VI. 246.

Ariena fructus Palæ a *Jobo Ludolfo* relata. VI. 108.

Ariſtarchus Samius de ſiderum intervallis relatus. V. 127.

Ariſtophanes Socratem cavillationibus aggreſſus eſt. V. 52.

Ariſtotelis doctrinam Author adoleſcens didicit. V. 8. de ſemi-malis ſeu quos vocat incontinentibus. V. 42. de nævis ejus Ethicæ. V. 329. quæ de juſtitiâ habuit probata fuere Authori. *ibid.* de ejus Metaphyſicâ. V. 385. *Ariſtotelis* veteres Interpretes in compendium contrahi optat author. V. 448. an etymologica ſcripſerit? V. 543. ejus Logica laudata. VI. 189.

Arithmetica: de variis computationis mirandæ ſpeciminibus. V. 150. homo Suecus idiota ingentes calculos mente & ſubitò peragens. *ibid.* Arithmeticum inſtrumentum ab Authore inventum. VI. 59. 122. 248. Arithmetica binaria Authoris relata. VI. 202. ejus ope indicavit imaginem creationis ſeu originis rerum ex nihilo, per potentiam ſummæ unitatis, ſeu Dei. *ibid.* ejus inſtrumentum arithmeticum *Paſchalii* invento præferendum. VI. 248. alios quàm nunc habemus characteres ad perfectionem Arithmeticæ petit Author. VI. 319.

Arithmetica dyadica *Pelicani.* V. 170.

Arithmetica quadratura Authoris relata. V. 462.

Arithmeticorum ſocietas Hamburgi conſtituta. V. 549.

Arius Chriſtum faciebat primam creaturam. V. 413.

Arkebuſſe vocis etymologia. VI. P. II. 158. 162.

Armeni libros antiquos habent. V. 466. Armena lingua commendata. *ibid.* *La Croſius* ei ſtuduit, V. 494. & 498. & eorum nummos explicavit. *ibid.* Grammatica linguæ Armenæ à *Schrodero* edita. V. 497. Armenâ linguâ utebantur incolæ Paradiſi terreſtris. V. 510. Armena lingua an ſit Arabicæ affinis? VI. 121. Armenicam linguam eamdem eſſe ac veterem Ægyptiacam tempore *Pharaonis* & *Moſis* probat *Andræas Acoluthus.* VI. P. II. 132. eorum ſymbola an res an verò characteres repræſentent? VI. P. II. 134. an ſit linguæ Armenæ nexus cum Arabicâ, Perſicâ, & Turcicâ? VI. P. II. 137. 139. & Germanicâ? VI. P. II. 139. Armeni duo in Germaniâ relati. VI. P. II. 140.

Arminius Lohenſteinii relatus. V. 369.

Arminii (*Jacobi*) vita à *Caſpare Brandtio* ſcripta. V. 298. *in not.*

Arnaldus (*Anton.*) ab Authore relatus. V. 25. ſententia de fide. V. 54. à Rege permiſſionem Galliam redeundi impetravit. V. 74. ejus opus adversùs *P. Tellerium* relatum. V. 83. ejus Epiſtola ad Epiſcopum *Mallagenſem* filium naturalem *Philippi IV.* Regis Hiſpaniæ relata. *ibid.* an Author fuerit Denunciationis novæ Hæreſis? *ibid.* ſecundam & tertiam Peccati Philoſophici denunciationem fecit, adversùs P. *Bouhourſium.* V. 89. ejus lis cum Jeſuitis qui eum doloſè perſonarunt. V. 96. cum Authore quædam de altiore phi-

philoſophiâ agitavit. V. 113. de Logicâ laudatus. V. 183. ejus Theologia moralis Jeſuitarum relata. V. 407. adversùs eum Sorbonicus Doctor ſcripſit. V. 541. ejus auctoritas apud Regem *ibid.* ejus diſputationes cum *Simone* de novo Teſtamento. VI. 236. de eycloide *Paſchalii.* VI. 248. eum de Metaphyſica diſſentientem ad ſuam ſententiam adduxit Author. VI. 253.

Arndii (*Caroli*) Polyhiſtor Poeticus relatus. V. 306.

Arnoldus (*Chriſtoph.*) de litteris ad eum *Jobi Ludolphi* relatus. V. 383. Authoris cogitationes de erroribus qui in Eccleſiarum, Hereſiumque hiſtoriâ *Arnoldi* occurrunt. V. 605. *& ſeq.* quem aggreſſus eſt *Cyprianus. ibid. Clementem Alexandrinum* falsò citavit. V. 609. *Epiphanium* immeritò falſitatis arguit. *ibid.*

Arnulphus (*Archiep.*) de rebus Mediolanenſis Eccleſiæ relatus. V. 133. in Concilio S. *Baſoli* depoſitus. V. 514.

Arpe relatus. V. 513. ejus Epiſtola adversùs D. *de la Monnoye* de tribus impoſtoribus. *ibid.*

Arriéreban vocis origo. VI. P. II. 182.

Arrv-exen vocis etymologia. VI. P. II. 169.

Ars combinatoria Lullii relata. V. 182.

Ars expiſcandi humani animi relata. V. 189.

Artes antiquorum cum noſtris comparatæ. V. 64.

Artes illicitæ ferè ab ignaris curantur. V. 371.

Arſacidæ undenam orti? VI. P. II. 84.

d'*Artagnan* memoriæ relatæ. V. 189. 356. 611.

l'*Artique* liber, *le Génie ou l'Eſprit de Rhétorique* relatus. VI. 311. de immortalitate animæ. *ibid.* ejus tractatus *la France attaquée & la France défendue. ibid.*

Artz vocis etymologia. VI. P. II. 161. 163.

S. *Aſaphi* Epiſcopus de chronologiâ antiquâ relatus. VI. 252.

Aſcenaſes Gomeris filius relatus. VI. P. II. 128.

Aſcnez Princeps, ſeu Pater *Teutonum* relatus. VI. P. II. 84.

Ashe (*Thom.*) de Anglorum inventis relatus. V. 97.

Ashmol de Theatro Chymico Anglico relatus. VI. 300.

Aſiaticarum gentium migrationes. VI. 111. 112. vide *Gentes.*

Aſo familiarum Brunſvicenſis & Eſtenſis progenitor relatus. V. 84. 116.

Aſſeburgia virgo relata. VI. 107. an ſaga? *ibid.*

Aſtorinus P. *Thomæ Cornelii* nepos relatus. V. 93.

Aſtrologiæ veritas à *Vincent. Placcio* defenſa. VI. 13. Aſtrologiæ nova methodus *Franciſci Allæi.* VI. 300. Aſtrologi duo egregii ad triremes damnati. *ibid.* de Aſtrologia Authoris obſervationes. VI. 314. an qui in uno ſigno ſunt nati aut valdè propinqui reſpectu horoſcopi ſint inter ſe familiares, aut amici? *ibid. Cardani* doctrina de Aſtrologia. *ibid. Maria Kunitia* celebrata, *ibid.* ut & *Abdius Trew. ibid.* Aſtrologi an futura prædicare poſſint? *ibid.* in quonam aſterico *Chriſtus* natus fuerit? *ibid.* Aſtris an adſcribendi mundi varii eventus? *ibid.* Authoris ſententia. *ibid.*

Aſtronomiæ progreſſus. V. 77. ejus uſus. V. 367.

Aſtronomica machina in Haſſiæ Bibliothecâ relata. V. 525.

Ataulas numiſma relatum. VI. 117.

Atellanes Oſcorum fabulæ relatæ. VI. P. II. 83.

Ateſtinus (*Cæſar*) Mutinæ Dux relatus. V. 313.

Athei virtutem ſequi coguntur. V. 44. Athei fanatici & enthuſiaſtæ. V. 55. an fuerint prorſus Athei? V. 345. an reperiantur in Americâ? V. 363. an populi ſine legibus ſint athei? V. 364. Atheus quomodo vir probus eſſe poſſit? V. 484.

Atheiſmus quid ſit? V. 44. de eo debellando. V. 343. 344. liber inſcriptus *Apologia generis humani adverſus accuſationem Atheiſmi*, relatus. V. 345. cujus Author *Fabricius* dicitur. *ibid.*

Atlas Johannis Ogilbeii relatus. VI. 299.

Atomi & vacuum ab Authore negantur. V. 16. quod probat. V. 18. fugam iis dat eleganti carmine. V. 35. Atomi corporeæ *Epicuri* negatæ. V. 319. ſunt res fictitia. V. 375.

Digitized by Google

Atta vocis explicatio. VI. 143. 146.

Attilæ Regis cum Papa *Leone* occurſus relatus. V. 45. cur Romam non venerit? V. 46.

Attractio Newtoni ab Authore negata. V. 38.

Attritura quomodo dignoſcenda? V. 42.

Auberius de *Grotio* relatus. V. 355. de quo multa mentitus eſt. V. 357.

Audaces fortuna juvat. VI. P. II. 85.

Audin Bibliothecarius Leydenſis relatus. V. 401.

Avemannus (*Vice-Cancell.*) de canali per Oſtfriſiam fodiendo relatus. V. 546. *Kettwigio* infenſus. V. 568. *Jobi Ludolfi* filiam duxit. VI. 122.

Averrois Commentarius in *Ariſtotelis* Analytica poſteriora relatus. VI. 97.

Augerti de Buerris Papæ à *Baluſio* relati. V. 487.

Augurellus Alchimiſtarum Poeta relatus. V. 199. ejus poemata edere commendat author. VI. 329.

Cimmerii qui? V. 508. *Cimmerii Homeri*, an iidem ac *Cimbri* Romanorum? V. 517. de eorum origine. VI. P. II. 82. *Comaritas*, *Cimmerios*, & *Cimbros* eoſdem eſſe putat Author. VI. P. II. 127.

Cinelli (*Joh.*) Bibliotheca fugiens relata. V. 109.

Cingaleſen idem ac *Ceilanenſes.* V. 477.

Cingari qui? V. 224. an Ægyptii aut Bohemii. VI. 261.

Circæa Homeri an fuerit urbs *Cirrha* in Phocida? V. 475.

Circaſſorum, *Gazarorum*, vel *Abagazorum*, *Mengreliorum* lingua relata. VI. 120.

Ciſtercienſis Ordo quibuſnam ſignis utatur ad voces deſignandas ſine loquelâ? VI. P. II. 207. *& ſeq.*

Civis boni eſſe præſentem Reipublicæ ſtatum conſervare, dixit *Ariſtoteles.* VI. 115. Authoris ſententia. VI. 116.

Civitas ſapientum adumbrata liber relatus. V. 260. an Baro *Benedictus Skyttius* ejus Author? *ibid.*

Civitas Solis Campanellæ relata. V. 260. quid ſit juxta *Andræam Acoluthum*? VI. P. II. 133.

Clarendon (*Cancellarius*) relatus. VI. 281.

Clarkius (*Samuel*) de diffidiis inter eum, *Newtonum*, & Authorem, in Epiſtolâ ad D. *Remundum de Montmort*; V. 30. *& ſeq.* & de Philoſophiâ diſputatus eſt cum Authore. V. 33. *Newtoni* dogmata ſequutus eſt. *ibid.* de exiſtentiâ & attributis Dei relatus. V. 492. Authori non ſatisfecit de veritate ejus axiomatis, *nil ſine ratione ſufficiente evenire.* VI. 220.

Claſenius de commentis in *Grotium* relatus. VI. 16.

Claubergii Logica relata. V. 183. ejus meditationes & collectanea linguæ Teutonicæ. V. 334. de arte etymologicâ linguæ Germanicæ. *ibid.* VI. P. II. 179. 220. de cognitione Dei ac noſtri. VI. 15. de modo eloquendi naturam mentis. VI. 296. ecſtaſi obiit. *ibid.* ejus ſcribendi genus laudatum. VI. 311. ejus ars Teutonum Etymologica. VI. P. II. 28.

Claudianus de mutato Europæ ſtatu citatus. V. 152. de malorum bonis. V. 391.

Claudius an nomen infauſtum? V. 342.

Clavis non errans quid ſit? V. 556.

Clauſenius (*Jo.*) de cauſæ moralis definitione relatus. V. 327.

S. Cle-

Digitized by Google

S. *Clementis* Epiſtola ad Corinthios relata. VI. 254.

Clementis (*Claudii*) Muſæum relatum. V. 346.

Clemens Regius Bibliothecarius relatus. V. 501.

de *Clementis II.* Pontificis Romani verâ patriâ & ſtirpe. V. 304. de hac controverſiæ inter *Wilhelmum Erneſtum Tenzelium* & *Jo. Möllerum. ibid. in not. Schulzii* ſententia. *ibid.* & 305. cui non aſſentitur Author. *ibid.*

Clemens IX. Papa de Luſitanico matrimonio reprehenſus. VI. 312.

de *Clementinâ periodo Samuelis Reyheri* diſſertatio relata. V. 153.

Clerembaut de ſupremis Domubus relatus. V. 24.

Cleri authoritas quibuſdam temporibus fuit neceſſaria. V. 142. Clerus cur ignarus, præcipuè in regionibus remotioribus. VI. 277.

Clericus (*Dan.*) Hiſtoria Medicinæ relata. VI. 282.

Clericus (*Johan.*) celebratus. V. 112. ejus Bibliotheca Univerſalis. *ibid.* Commentarii in Sacram Scripturam. *ibid.* Phyſica. *ibid.* de *Peterſenio* relatus. V. 278. *Leti* Itali filiam duxit. V. 293. ejus controverſiæ cum *Relando* & *Rhenferdo* de theorematibus hermeneuticis; V. 320. cum *Petro Bælio.* V. 353. *Grotii* libellum de veritate Religionis Chriſtianæ edidit. V. 357. VI. 239. Socinianiſmi ſuſpectus fuit. V. 360. *La Croſio* infenſus. V. 493. Authoris ad eum Epiſtola. V. 566. ejus elogium. VI. 223. 227. de ejus Pentateucho. VI. 226. ejus Ars critica. VI. 241. *Liberius de S. Amore.* VI. 242. querebatur de Authore eum non ſat dilucidè ſcripſiſſe. VI. 292.

Cleſſius de Bibliothecarum indicibus relatus. V. 345.

Cloppenburgius relatus. V. 431. Hiſtorias ſcripſit. VI. 196. 199.

Cluverius de *Mattiacis* relatus. V. 465. de Gallorum & Germanorum veterum linguâ. V. 503. ejus fabulæ de antiquis Germanis. VI. 167. Finnoniam & extremas Septentrionis regiones in Germaniâ comprehendit. *ibid.* & 168. & 301. de numiſmate aſtrologico ejus curis cuſo, Imperatoris horoſcopium repræſentante. VI. 262.

Coboldi qui? VI. P. II. 93.

Cocceius à *Bouhurſio* impetitus. V. 307. ejus doctrina de originibus juris publici expenſa. V. 371.

Cochlearia lignea *Gregorio VII.* Pontifici à *Petro Damiano* dono miſſa. VI. 322. lignea vaſa olim in uſu. *ibid.* Cochlearia è cornu facta à Capucinis adhibita. *ibid.*

Coclanenſis Archiepiſcopus Armenus relatus. VI. P. II. 140.

Cocu vocis Gallicæ origo. VI. P. II. 161.

Codex Argenteus relatus. V. 511. VI. 100. VI. P. II. 156. 196. an Gothicam linguam contineat? VI. 100. *La Croſii* judicium. VI. 101. *in not.* & *Jo. Ihre. ibid. in not.* quamnam dialectum ſequatur? VI. P. II. 156. an ejus Author *Ulphilas* vel *Wulfilas*? VI. P. II. 196.

Codex Juris Gentium Diplomaticus ab Authore digeſtus, vide *Leibnitius.* Ei plura hanc in materiam ſuppeditavit *Hackmannus.* V. 450.

Cæcus Trajecti ad Moſam relatus, de coloribus tactu judicans. VI. 325.

Cœli concurſus an aliquid in terra producere poſſit? VI. 314.

Cœleſtis machina Anglicana relata, motus luminarium repræſentans. VI. 198.

Cœnobia ut penetret curioſitas optat Author; de rebus ad mineras Divinæ gloriæ ſpectantibus perſcrutandis. V. 80. & 99.

Coeſlinius (*Henricus Meld. Epiſc.*) de *Janſenii Auguſtino* relatus. VI. 195.

Cogitationes animæ quomodo repræſentent quod agitur in corpore? V. 14. *in not.* libellus de arte hominum cogitationes divinandi relatus. V. 85. cogitationes omnes noſtræ an ſint liberæ? V. 146. cogitatio an concipi poſſit in ente extenſionis & impenetrabilitatis experte? VI. 274. de arte cogitandi. VI. 291. cogitationes noſtræ an ſint in noſtrâ poteſtate? VI. 328. an rationem cogitationum noſtrarum reddemus? *ibid.* cogitationes actus dirigere debent. *ibid.* cogitationes noſtræ futuræ ſunt conſequentia præſentium. *ibid.* eas regulis ſubjicere & ad perfectionem adducere debemus. *ibid.*

Co-

Cognitio quid ſit juxta *Tolandum*? V. 143. ejus definitionem expendit Author. *ibid.* an omnis cognitionis fundamentum ſint ſenſus. V. 369.

Cognitio ſui ipſius acquiri poteſt ex veris ideis ſpatii, materiæ, & ſubſtantiæ. V. 43.

Cohærentia corporum quomodo explicanda? VI. P. II. 146.

Colchi an fuerint Colonia Ægyptiorum à *Seſoſtri* ducta? VI. 121.

Colchica lingua relata. VI. P. II. 137. an ſit eadem cum Ægyptiacâ? *ibid.* 138. & Georgianâ? *ibid.*

Collinius relatus. V. 192. ei reſpondit *Bernoullius. ibid.*

Colomeſius (*Paulus*) de Bibliothecis relatus. V. 346. ejus Gallia Orientalis relata. *ibid.* 348. litteras Reginæ *Chriſtinæ* collegit. V. 411.

Columba Muſæum Principis Blanckenburgiaci ingreſſa, in globo terreſtri bina loca pede notavit; quâ occaſione Epigramma dedit Author. V. 309.

Comaritæ, *Cimmerii* & *Cimbri* an iidem? VI. P. II. 127.

ars *Combinatoria* Authoris, quâ occaſione ſcripta? V. 16. de eâ mentio. VI. 295.

de *Comenii* ſcriptis Authoris judicium. V. 181. ejus liber *Schola Ludus* relatus. V. 206. ejus fata. V. 351. ejus liber adverſus *Zwickerum*. V. 481.

Cometa anni 1660. Regno Turcico mala portendens, relatus. VI. 314.

Comitum & aliorum in Germaniâ Dynaſtarum origo. V. 59. 365.

Comma, Semicolon, Colon, quandonam adhibenda? VI. 230.

Commendonis de Aula Romana Diſſertatio relata. V. 487.

Commercii ſocietas propoſita. V. 533.

Commodum, ſeu utilitas an mundum regat? V. 41. quid de iis qui ad commodum privatum omnia referunt? *ibid.* an utilitas noſtra in aliorum bono reperiri poſſit? *ibid. Rohanii* Ducis ſententia de Principum commodo privato. *ibid.* an rationi conſentaneum ſit alterius commodi causâ vitæ periculum adire? V. 43.

Communio vera & eſſentialis in quo conſiſtat? V. 550.

Comœdiæ quales affectus movere debeant? VI. 307.

Comperceptio Lutheranorum in Euchariſtia quid ſit? VI. 287.

Compoſita ad ſimpliciora reducenda. VI. 37.

Compoſiti vinculum ſubſtantiale an detur? VI. 198.

Comprehenſio quid ſit? V. 147.

de *Computationis* miræ ſpeciminibus Epiſtola Authoris. V. 150.

le Comte (*Soc. J.*) liber dictus *nouveaux mémoires ſur l'etat préſent de la Chine*, relatus. VI. 152. de renovandis ſubinde Bibliothecis relatus. VI. 204. 208.

Conciliorum Editio opera *Labbæi* & *Coſſardi* curâ relata. V. 350.

Concilium Elliberitanum relatum. V. 505.

Concilium Ingelhemenſe relatum. V. 332.

Concilii Tridentini hiſtoriæ Latinæ interpretationis Auctor quis? V. 248. ad unanimem conſenſum Patrum provocat. V. 249. an in Galliis receptum fuerit tanquam Œcumenicum reſpectu fidei! V. 400. 551. VI. 256. de legitimitate & qualitatibus Concilii Tridentini. V. 554. an longè differat à Confeſſione Augsburgi? *ibid.* Eccleſiis Proteſtantibus an faveat? *ibid.* ſingularia de eo Concilio & inedita poſſidebat Author. VI. 252. 256. Authoritas hujus Concilii minima erat tempore *Henrici IV.* VI. 256. vide Tomos priores.

Concionator quomodo Principem ſuum admonere debeat? V. 274. Concionatorum Aulicorum *Jo. Niecampii* & *M. Knopfii* cum *Antonio Ulrico* Brunſvicenſis Ducis controverſiæ quomodo fuerint compoſitæ? V. 275. *& in not.* de eorum negotio nihil temerè publicandum. V. 276.

de *Concurſu* corporum *Jungii* ſententia. VI. 17.

Concurſus Dei cum virtute activâ creaturarum exponitur. VI. 174.

Condæi Principis vita relata. VI. 225. *Pauli Servitæ* dictum de eo. VI. 305.

Conductor an poſſit impunè expelli à venditore domûs? VI. 317.

non-*Conformiſtæ* relati. V. 588.

Confucius Socrates erat Sinenſium. V. 48. apud quos ſummopere cultus fuit. V. 506. VI. 191. lites de ejus mente aliorumque Doctorum Sinicorum explicandæ. VI. 206.

Con-

Conjectandi ars undenam oriatur? VI. 217. Conjecturarum uſus. VI. P. II. 79.

de *Conjugis* obitu Authoris Epigramma. V. 317.

Conringii (*Hermanni*) Apologia *Machiavelli* relata. V. 122. VI. 295. de ejus Arminianiſmo. V. 298. de Germanis poema. V. 340. de veritate Religionis Chriſtianæ, in quo emendat *Grotium*. V. 344. de Rebuſpublicis. V. 368. de jure publico commendatus. V. 446. de nummis veteribus Hebræorum. V. 563. de apodicticâ expenſus. VI. 45.

Conſbruchius (*P.*) relatus. V. 445. ad eum Authoris Epiſtolâ commendandi *Gerardi Cornelii Drieſchii* causâ. *ibid.*

Conſequentia à rectis ad obliqua expoſita. VI. 35. Authoris judicium. VI. 37. cujus ſpecimen dat. VI. 38. conſequentia ab obliquis ad recta non valet. VI. 39. Conſequentia à rectis quomodo nitatur ſubſtitutione terminorum æquipollentium? VI. 42. & 43.

Conſervatio eſt creatio continua. VI. 214.

Conſilia in quibus aliquid ſolidi concludendum, quomodo habenda? VI. 317. combinationibus in iis utendum? *ibid.*

Conſolatio undenam deducenda? V. 239. *in not.*

Conſtantienſe Concilium & *Baſileenſe* non ſunt in Italiâ recepta. V. 553. Acta Concilii Conſtantienſis edidit Dux *Rudolphus Auguſtus Brunſwicenſis*. VI. 243. 252.

Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ & Imperii ſtatus X. ſæculo, in Manuſcripto antiquo Græco relatus. VI. 288.

Conſtantinus M. de cruce per quietem viſâ relatus. V. 449. de quâ diſſertationem fecit *Jo. Alb. Fabricius. ibid.*

Conſubſtantiatio in Euchariſtiâ Lutheranis tributa. VI. 287.

Contagium per orbem terrarum à milite Romano circumlatum ex unâ capſulâ in Babylone apertâ. VI. 314.

non *Contemnendum* quod non cognoſcitur. V. 48.

Conti (*Abbas*) de Authoris Theodicæâ relatus. V. 15. ejus elogium. *ibid.* & 21. de ſpatio an ſcripſerit? V. 31. de *Newtono. ibid.* de eo dictum Regis Angliæ. V. 33. ad eum Authoris Epiſtola. V. 36. ejus elogium. VI. 215.

Contingentis definitio juxta Authorem. VI. 228.

Continui compoſitio multis difficultatibus locum dedit. V. 15.

Contius Princeps relatus. VI. 136. 138.

Contractus (*Hermannus*) Monachus S. Gallenſis ab *Arnoldo* relatus. VI. 608. de quo *Arnoldus* erravit. *ibid.*

Controverſiæ Theologicæ ab Atheis ad Gentiles, Judæos, Mahumedanos, unitarios, Pontificios perſequendæ. V. 267.

Contumeliæ qui ſunt impatientes, an miſericordes? VI. 302.

Convenientia & delectus ſapientis rebus ortum dedit. VI. 206.

Cooper (*Anton. Ashley*) in Anglia relatus. V. 578. de ejus nepote. VI. 238.

Copernicus laudatus. V. 396. de re monetariâ. VI. 261. 266.

Coptica lingua relata. VI. 163. 299. *P. Bonjour* Exercitatio Coptica. VI. 166. VI. P. II. 140. an fuerit vetus Ægyptiaca? VI. P. II. 132. 140.

Corbeia Monachis doctrina & pietate præſtantibus celebris. V. 98.

Cornelius de Dictionario technicorum relatus. V. 129. Academico adjectum fecit. V. 369.

Cornelius Nepos relatus. V. 368.

Cornelius (*Petrus*) *Virgilii* majeſtatem æquaviſſet in Poëſi. V. 369.

Cornua an adhibebant Antiqui ad bibendum? V. 501. 503.

Coronelli (*Vincent.*) de experimentis circa ſaccos quibus pulvis pyrius tutò includatur, relatus. V. 128. ejus *Biblioteca univerſale ſacro-profana, antico-moderna*, relata. *ibid. & in not.* de ejus Tabulis Geographicis. VI. 238.

Corporis definitio. V. 375.

de Corporis humani machinâ. V. 163. illud vocat Author machinam pyrobolico-hydraulico-mechanicam. *ibid.*

Corporis operatio naturalis in diſtans an concipi poſſit? VI. 190.

Corpus organicum quomodo formetur? V. 19. corpora an dentur quæ non cadant ſub viſum? V. 374. an formetur ex chao apparenti? VI. 211. omnia corpora ſunt

Digitized by Google

ſunt organica. VI. 213. partibus innumerabilibus conſtant quæ unum componunt. VI. 331.

Corpus inter & animam commercii rationem explicavit Author. VI. 55.

Corrarus (*Girolamus*) de Medaglionibus ſuis relatus. V. 86.

Corregii Princeps ob depravationem monetæ ditione exutus. V. 82.

Corvinus (*Matthias*) Rex Hungariæ, de Manuſcripto antiquo de ſtatu Eccleſiæ & Imperii Conſtantinopolitani X. ſæculo relatus. VI. 288.

Coſmæ Iter apud Sinas relatum. VI. 333.

Coſmotheoros Hugenii opus poſthumum relatum. V. 77.

Coſtæus de Comitis *Schafisburii* operibus relatus. V. 189. de libro de amore Dei adverſus *Norriſium*. VI. 276.

Coſterus (*Laurentius*) de re typographicâ relatus. VI. 209. de ejus libro Sinenſium more ex litteris ligno inſculptis impreſſo. *ibid.*

Coteret vocis origo. V. 66.

Coteſius indignatus iis qui *Newtoni* attractionem rejiciunt, nihil dicit ad eam probandam. V. 191.

Cottonus (*Robertus*) celebratus. V. 117. catalogus ejus Bibliothecæ relatus. *ibid.*

Coturnices an comederint Iſraelitæ in Arabiæ deſertis, an verò locuſtas? V. 99. VI. 110. 118. 155.

la *Courti Conſideratien van Staat* liber relatus. VI. 295.

Couture controverſia cum *Boyvin* de vere ſacro. V. 69.

Cragius (*Johan.*) de dimenſionibus figurarum relatus. V. 107. Authoris elogium fecit. VI. 228. 235.

Crambe vetus non recoquendum præſertim in Theologicis. V. 217.

Cramerus de ſtulto *Bouhurſii* judicio relatus. V. 306. de *Barnabæ* Evangelio. V. 427.

Cranius Medicus relatus. V. 326.

Cranzii (*Alberti*) vita ab *Ottone Sperlingio* elaborata. V. 322.

Cranzii (*Oliver.*) Orthographia Suecica. V. 331.

Creatio; An in primâ Creatione omnes fructus, arbores, plantæ, & animalia præſentia fuerint? V. 191. Creationis imaginem, ſeu originis rerum ex nihilo per potentiam ſummæ unitatis, ſeu Dei, indicavit Author, ope Arithmeticæ binariæ. VI. 202.

Creatura an ſit perfectiſſima? VI. 185. de unione arctiſſimâ inter Deum & Creaturam. VI 193. de Creaturarum vi actrice. VI. 214. earum numerus oculis non perceptus ſabuli grana & atomos ſuperat. VI. 331.

Credibilitatis motiva quid ſint? 144. vide *Fides.*

Crenius (*Thomas*) de latrunculorum ludo relatus. V. 383.

Creſcimbeni Hiſtoria Poeſis Italicæ relata. VI. 218.

Creſcimlenius de Hiſtoriâ Poetarum Italorum relatus. V. 329.

Creſſet relatus. VI. 231.

Cribri Societas relata. VI. 129.

Crier vocis Gallicæ etymologia. VI. P. II. 192.

Critica non contemnenda. V. 46. an arctioribus limitibus circumſcripta ſit? V. 47. an veritates quorumdam dogmatum carpere & in dubium adducere liceat? *ibid.* Critici boni rari V. 188. Studii critici laudatio. V. 216. quomodo comparandum? V. 459. maximè eſt neceſſaria in hiſtoria. *ibid.* ejus uſus. V. 367. critica eruditio neceſſaria. VI. 297.

Croatica lingua relata. VI. 148.

de *Croiſſy* (*Marchio*) laudatus. V. 472.

de la *Croix* fabulæ Arabicæ expenſæ, V. 69. ut & hiſtoria *Chingiſchan. ibid.* & 544. ejus vita *Timur-Chan.* V. 544. ejus Manuſcripta orientalia de vitâ *Chingiſ-Chani*, & *Tamerlani.* VI. 327.

Cromwelli vita relata. V. 95.

la *Croſius* (*Mathurinus Veyſſiere*) *Baſnagii* Hiſtoriam Judaicam vellicavit. V. 317. de Carmine Sapphico Gallico ex Pſalmo 127. deſumpto. V. 336. ejus Dialogi Gallici de variis argumentis. V. 378. ad eum Author ſcripſit. V. 421. ejus elogium. V. 447. VI. 235. de linguarum inveſtigatione peritiſſimus. V. 473. 493. Authoris ad eum Epiſtolæ XXXVI. V. 477. & *ſeq.* Ejus Hiſtoria Chriſtianiſmi apud Ægyptios, Arabes &c.
ab

Digitized by Google

ab Authore laudata. V. 480. de ejus lite cum P. *Harduino*. V. 486. & cum Doctore Sorbonnenſi de antiquitate operum SS. Patrum. V. 490. & 491. ejus Hiſtoria Civilis & Eccleſiaſtica omnium gentium & ſectarum Chriſtianarum relata. V. 510. ad eum *Jo. Georg. Eccardi* Epiſtola ad ei Profeſſionem Hiſtoriæ Helmſtadii offerendam. V. 519. cui reſpondet. V. 520. cauſa recuſationis Religio. *ibid.* Authoris ad eum Epiſtolæ duæ de eodem negotio. V. 521. Catalogus ejus ſcriptorum. *ibid.* Bibliothecæ Univerſali cum *Joh. Clerico* operam dedit. V. 566. felici ſucceſſu variarum linguarum notitiam adeptus eſt. VI. 208. linguam Medorum cum hodiernâ Armenâ convenire detexit. VI. P. II. 193.

du *Croſius* contra *Templium* relatus. V. 102.

Crucis ſignum fronti imprimebant veteres Chriſtiani. VI. P. II. 184.

Crudelitas in animalia non exercenda, ne in homines etiam exerceatur. V. 330. de eâ materia notavit Author in ſcheda quam de educatione Principis conſcripſit. *ibid.*

Cruſca (*Academia della*) de linguâ Italica reprehenſâ. VI. P. II. 13. de inſtituto ejus Dictionarii. VI. P. II. 21.

Cruſius de *Hermanno Æditu*o relatus. V. 608.

Cryptæ concameratæ in Ægypto characterum veterum plenæ, relatæ. VI. P. II. 194.

Cryptonymorum detegendorum conſilium *Placcii* adprobat Author. VI. 48.

de *Cryſtallo Islandica* relatio. VI. 18. *Bartholini* opuſculum relatum. *ibid.*

Cubi Magici R. P. *Auguſtini.* V. 537.

Cudworthi Syſtema Intellectuale ab ejus filia ad Authorem miſſum. V. 25. Authoris judicium. *ibid.* VI. 292.

Culcitræ vento inflatæ. V. 255. & 257.

Culpa quid ſit? V. 166.

Cultus publicus an à Legibus conſtitutus? V. 49. *Harringtoni* ſententia. *ibid.* ut verè Deum colamus, debemus diſcere ut boni evadamus. VI. 255.

Cumani qui? & eorum regio Cumania? V. 224. Cumanæ linguæ Dictionarium. VI. P. II. 188.

Cumri, vide *Cambri.* VI. P. II. 97.

Cunæus Conſiliarius Regis Boruſſiæ relatus. V. 152.

Cunibertus (*P.*) relatus. V. 432. VI. 178.

Cunigunda Guelforum heres relata. V. 84.

Cuninghamus Scotus de Pandectarum ſcientia celebratus. V. 571. Authori fuit familiaris. VI. 235. qui ab eo petiit ſententiam ſuam de ſuis in *Lockium* notis. VI. 243. duo fuere *Cuninghamii.* VI. 255. latrunculorum ludi peritus. VI. 278.

Cuperus (*Gisbertus*) de re numiſmaticâ relatus. V. 126. de D. *Baudelot* antiquitatibus relatus. V. 65. ab Authore laudatus. V. 411. ejus *Harpocrates. ibid.* de Inſcriptiones Siberiacâ. V. 499. de inſcriptione Sinicâ relatus. V. 479. de antiquo Alphabeto Hiſpanico. *ibid.* de editione variorum *Harduini* Opuſculorum. V. 491. Excerptum ejus Epiſtolæ de Authoris fragmento. V. 571. Authoris ad eum Epiſtolæ excerptum de ejus in ſocietatem Berolinenſem receptione. V. 572. de ludis Judæorum, VI. 312. & latrunculorum. *ibid.* de Syriacis inſcriptionibus. VI. P. II. 194.

Curationum diaria inſtituenda. VI. 306.

Curiarum ſtyli cognitio neceſſaria. VI. 297.

Curis vocis etymologia. VI. P. II. 83.

Curtius (*Albertus*, *Jeſuita*) de editione Hiſtoriæ Cœleſtis *Tychonis Brahei* relatus. V. 322.

Curtii Ingharami Antiquitates Etruſcæ fictitiæ dictæ. VI. P. II. 195.

Cuſterus cum *Huyſſenio* litteras mutavit. V. 565.

Cygni cantante Bartholiniani. V. 331.

Cyneas quis? V. 56. Liber *le nouveau Cyneas* relatus. *ibid. & 66. Cyneæ* conſilium *Pyrrho* datum. V. 66.

Cyprianus (*Profeſſ. Helmſtad.*) de editione S. *Hieronymi* de ſcriptoribus Eccleſiaſticis relatus. V. 471.

Cypriani (*Sal. Ern.*) Commonitorium de pace Proteſtantium Eccleſ. relatum. V. 242.

S. *Cyrilli* (*Archiep. Alexand.*) reſponſio adverſus *Julianum* Imperatorem relata. VI. 242. 244.

Czar vocis etymologia, vide *Tzar.* VI. 151.

D.

Daæ ſeu *Dai* qui? VI. P. II. 84. 86. 127.

Daceria & *Motæus* digladiantes de *Homeri* epithetis. V. 331. primam cum *Popio* Anglo comparat Author. V. 475.

Dacerius de quibuſdam *Platonis* in Gallicum ſermonem verſis. V. 172.

Dacherii ſpicilegium relatum. V. 139. 607.

Dachius Poeta Pruſſus relatus. V. 340.

Dæmoniſmus quid ſit? V. 44.

Dalembert à *Ludov. Dutens* relatus. V. 5.

Dalgari objectiones adverſus methodum philoſophicam relatæ. VI. 262.

Dallæus de uſu Patrum laudatus. V. 188. ejus fata. V. 350.

Dalmaticæ & *Croaticæ* linguæ relatio cum Carniolanâ, Moſcoviticâ, Ruthenicâ, Polonicâ, Bohemicâ & Luſaticâ. VI. 148.

Damianus (*Petrus*) de cochleariis ligneis *Gregorio VII.* Pontifici dono miſſis. VI. 322.

Dammen, *dôma*, vocis etymologia. VI. P. II. 162. inde vox Latina *Dominus.* *ibid.* & 178.

Damnatio: Qui damnationis viæ inſiſtunt quomodo ex eâ educendi? V. 50. quomodo cognoſcendum an quis viæ damnationis inſiſtat? *ibid.* damnatio an ante judicii diem locum habeat? V. 250. *damnare* vocis origo. VI. P. II. 178.

Dandoli (*Andreas*) relatus. V. 85.

Dangicurtius, de Quæſtione Philoſophico-Mathematicâ relatus. V. 517.

Daniæ Regis facta bellica. V. 69.

Danicæ linguæ hiſtoria, à *Sperlingio* ſcripta. VI. 301.

Daniel (*P.*) de *Carteſii Itinere per mundum* relatus. V. 12. 360. 362. judicium Authoris. V. 12. 362. ejus hiſtoria relata. V. 71. Authoris judicium. V. 508. VI. 182.

Danorum, Suedorum, & Lubecenſium in propaganda fide merita. V. 266. de eorum meritis in ſtudium Lexicographicum. V. 340. eorum lingua à Germanicâ orta. VI. P. II. 26. 147.

Dante de linguâ Italicâ laudatus. VI. P. II. 58.

Dantiſcanæ Reipublicæ laus & merita. V. 404.

Davidis Prophetæ Pſalmi metaphraſi poeticâ Græcè Latinève donati. V. 422.

Davidis (*Franciſcus*) *Arii* dogmata ſequutus eſt. V. 413. adversùs *Blandratam* & *Socinum* ſcripſit. V. 481. VI. 287.

Davies Dictionarium Wallico-Latinum, & Latino-Wallicum. V. 479. Lexicon Cambrico-Britannicum ad quod Author cogitata ſua adjecit. VI. P. II. 96. & *ſeq.*

Davis fretum relatum. VI. 145.

Dea Nehalennia quæ? V. 501.

de *Decreto Abſoluto* Authoris Sententia. V. 236. & 237. de hujus decreti neceſſitate in negotio Electionis. V. 237. *Calvini* ſententia, V. 238. *in not.* ut & *Lutheri. ibid.* falſæ conſequentiæ diſſolutè viventium ob decretum abſolutum. *ibid.* an aliqua conſolatio hinc deducenda? *ibid.* an verò ſit conſolationis ſolidæ impatiens? V. 239. *in not.* *Joh. Fabricii* ſententiam laudat Author. V. 241.

Dee de colloquio cum Spiritibus à *Caſaubono* relatus. V. 565. Authoris judicium. VI. 329.

Definitiones ex attributis exquiſitæ. VI. 42. Definitiones claras quinam dederint V. 182. Definitionibus ſemper utendum. VI. 216. De Definitionibus nominalibus & realibus. VI. 44.

Deſlerus (*Marcus*) laudatus. V. 104.

Deiſmi accuſatus fuit Clerus Anglicanus. VI. 236. de origine Deiſmi in Anglia. VI. 247.

De la Chaiſe (*Pater*) relatus. VI. 227.

De la Roche de Lutheranorum doctrinâ de Sacrâ Cœnâ relatus. V. 594.

Deliquium patientium exempla ex ſue toſto viſo. VI. 325. ex gryllo. *ibid.* ex acicula malè fixa. *ibid.*

Democriti & *Hippocratis* Epiſtolæ mutuæ ſuppoſititiæ. V. 370. prior ſtatuit mundos innumerabiles. V. 385. *Democritum* inter & *Platonem* medium obſervavit Author. VI. 263.

Democritici de exiſtentiâ mundi reprehenſi. V. 169.

Demonſtratio quid ſit? V. 182. an quærendæ ſint in rebus phyſicis? V. 370. Auctoris

Digitized by Google

toris ſententia. V. 373. Demonſtrationes ſemper adhibendæ. VI. 273.

Demonſtraturienſium Societas relata. VI. 45.

Demſteri apparatus ad hiſtoriam Scoticam relatus. VI. 254.

Demſters qui? VI. P. II. 162.

Dentes Elephantini Wolfenbuttelæ effoſſi. VI. 239.

Derkenii (*P.*) liber de Deo relatus. VI. 185.

Des-Allaiſius de Severambiis relatus. V. 365.

Des-Billettes ab Authore relatus. V. 25.

Des Boſſes (*P.*) à *Ludov. Dutens* relatus. V. 5. ejus ad Card. *Ptolemæum* Epiſtola gratulatoria. V. 561. ad eum Authoris Epiſtolæ XL. VI. 173. *& ſeqq.*

Deschales (*P.*) Curſus Mathematicus laudatus. VI. 188.

Des Jardins (*Thomas*) de Helmſtadienſium Theologorum declaratione relatus. V. 291.

Des Maiſeaux; ad eum Authoris Epiſtola de Theodicææ in linguam Anglicam verſione. V. 38.

Deſperata non habenda quæ difficilia ſunt. V. 367.

Determinationes noſtræ primitivæ undenam oriantur? VI. 229.

Detſchen vox explicatur, V. 225. eam inter & *Mteſer* differentia. *ibid.*

Deviſeri Mercurius Gallus relatus. V. 136.

Deviſes, ſeu Symbola, & emblemata P. *Pakenii* relata. VI. 323. quid requiratur ut Symbolum animatum dici poſſit? VI. 324. Exempla. *ibid.*

Devotio ſolida quomodo comparanda? VI. 264.

Dei Regimen ab Authore eleganti carmine expreſſum. V. 35. quasnam de Deo ideas habere debeamus? V. 53. homines quibus mens certâ ſede manet optimas de Deo ideas habebunt. *ibid.* quid ſint Dei adulatores? *ibid.* an Deus iræ vel odio obnoxius ſit? *ibid.* & inde puniat? *ibid.* an periculum adeamus in alterâ vitâ res hujus mundi rationis ope expendendo? *ibid.* an ejus favorem nobis conciliare poſſumus, eum verbis urbanis & titulis magnificis compellando? V. 53. Dei perfectiones ignorantes an puniendi? V. 54. Ejus bonitas cur infinitè hominum bonitatem ſuperet? *ibid.* ideo Deus malus nullus eſt; *ibid.* ac per conſequens quamquam timendus ſit nullum terrorem nobis incutit. *ibid.* quomodo ſit Spiritus univerſalis? *ibid.* an idea nullum Deum eſſe nemini terrorem incuſſerit? *ibid.* Deus quomodo cognoſcendus, ideoque amandus? V. 75. Dei lumen naturale quomodo in nobis agat? V. 76. nihil eo dignius amari. V. 118. Deum Calvinianorum authorem eſſe peccati contendebat *Martinus Becanus*, adverſus *Davidem Paræum*. V. 186. Quomodo Deus ipſe ſit Monas? V. 375. Quomodo ſit Doctor & Legislator? V. 389. cur non ſemper ſe vindicet in hâc vitâ? V. 391. Eum unum in rebus actorem inſinuat *Carteſius*. V. 396. Deus in tribus perſonis unus conſideratus adversùs Socinianos, V. 481. qui ejus cognitionem naturalem negabant. V. 484. Maxima ex Dei cognitione utilitas probatur. *ibid.* de ejus cum hominibus relationibus. V. 491. nullam debemus comparationem inſtituere inter ea quæ Deus noſtrum reſpectu facit, & quæ vermium reſpectu facimus. *ibid.* Deus unicuique rei uſum ſuum dedit. *ibid.* Deus ab Authore phyſicè & moraliter conſideratus. VI. 84. Erravere veteres, Deum in materiam rerum, vel ſaltem in materiam animarum transformando. VI. 103. hinc error *Spinoſæ*. *ibid.* quid ſit *omnia in Deo videre*? VI. 211. juxta P. *Malebranchium*. VI. 215. Qui Deum timet ſuper omnia, is vitat infernum, qui Deum amat habet cœlum. VI. 312.

Deus Belenus quis? V. 501.

Deus Endouellicus Reineſii relatus. V. 501.

Diaria Doctorum quomodo Libros recenſere debeant? V. 71.

Diarium Eruditorum Berolini inſtituendum. V. 493.

Diarium Eruditorum Toloſæ inſtitutum. V. 419.

Diarium Latinum Amſtelodamenſe relatum. V. 470.

Diarium Mutinenſe laudatum. V. 103.

Diarium Venetum relatum. V. 294.

Digitized by Google

Dictionarium Academiæ *della Cruſca* relatum. V. 129.
Dictionarium Academiæ Gallicæ relatum. V. 129. 342.
Dictionarium Armeno-Latinum *La Croſii.* V. 501. 502.
Dictionarium Britannico-Aremoricum relatum. V. 479.
Dictionarium furfurariorum relatum. V. 92.
Dictionarium hiſtoricum vivens. V. 33. vide *Lexicon.*
Dictionarium Morerianum in Italicam linguam transfuſum relatum. V. 128.
Dictionarium Tartaro-Sinicum. V. 478.
Dictionarium Technicorum *Fureterii* relatum. V. 129. 415. VI. P. II. 22. *Antonium Magliabechium* hortatur Autor ut tale linguâ Italicâ condat. V. 130. 132. VI. P. II. 21. & 22. ut & apud Anglos. VI. P. II. 23.
Dictionarium Walliæ Regionis. V. 479.
Didacus à *Jacobo* an diſtinguendus? V. 93.
Dies diem docet. VI. 14.
Dietericus de Græcis Scriptoribus relatus. VI. 313.
Dietrichſtein (*Philippus Comes de*) relatus. V. 534.
Differentiarum calculum illuſtravit D. *Bernoulli*, V. 31. quem publicavit Author. V. 474. de quo controverſias cum *Newtono* habuit. *ibid.*
Digbæi (*Kenelmi*) Philoſophia de mente laudata. V. 183. ei fidus erat *Thomas Albius.* V. 328. VI. 329. ejus de animæ immortalitate demonſtrationes. VI. 15. in Chemia peritus erat. VI. 329.
Digeſtionis ratio. V. 63. an per ſolam triturationem explicanda? *ibid.* & 65. & 326.
Dignitatum præcipuarum origines an à Germanis petendæ? VI. P. II. 152.
Diluvium generale relatum. V. 549. quorſum ivit poſtea tanta aquæ copia? *ibid.* aqua totum terrarum orbem ante diluvium Noachicum operuit, & in eo multas mutationes produxit. VI. 214.
de *Dinanto* (*David*) dixit Deum eſſe materiam primam rerum. VI. 56.
Dinoſtratus laudatus. V. 394.
Diodorus Siculus de vitâ mortuorum relatus. V. 319.
Diogenes Laertius relatus. V. 170.
Dionyſii Areopagitæ opera pro genuinis venditavit *Arnoldus.* V. 609.
Diophantus Alexandrinus relatus. VI. 330. Algebram noverat. *ibid.*
Diplomaticum Corpus apud Batavos ſuſceptum. VI. 223. de ſcriptis Authoris in iis inſerendis. VI. 228.
de *Diſciplinâ* arcani inter *Tenzelium* & *Schelſtratium* diſputationes. V. 191.
Diſputandi methodum formâ ſyllogiſticâ commendat Author. VI. 72. quam judicem controverſiarum appellat. *ibid.*
Ditmarus (*Martisburg. Epiſc.*) de Germanorum torneamentis. V. 364. de ejus Manuſcripto continente ſupplementum lacunæ Synodi *Trottmanni*, vel *Trimonienſis Concilii.* V. 470. de ſuis in hiſtoriâ nævis. VI. 121. 127. ejus perfectiorem editionem Author curavit. VI. P. II. 219.
Ars *Divinatoria* ab Authore deſpecta. V. 16.
Diviſibilitas materiæ in infinitum an negari poſſit? V. 370.
Diviſibilitas actu ad infinitum procedit. VI. 213.
Doctrina ſolida commendata. VI. 69. Authoris cogitationes de juvandâ re publicâ per profectum ſolidæ doctrinæ. *ibid.*
Doctus vir an meritò iraſcatur ſi ignaro & ſtupido ejus merita non nota fuerint? V. 54. Semi-docti qui? V. 65. eos inter & doctos diſcrimen. *ibid.* Semidoctos non contemnendos putat Author. *ibid.* ſed ſi res ſublimiores contemplare velint falſa & monſtroſa dogmata condunt. VI. 207.
Dodwellus (*Henricus*) de mortalitate animæ relatus. V. 319. *in not.* de ejus obitu. V. 424. VI. 224. obſtinatus erat. V. 595. de ſuo libello. VI. 273. de ejus ratiociniis Authoris judicium. *ibid.* & 276. ejus ſomnia de legitimitate Baptiſmi. VI. 290.
Dogmata veritates utiles & momentoſas continentia an carpere & in dubium revocare liceat? V. 48. Dogmata falſa & monſtroſa veterum Pſeudo-gnoſticorum ex Pſeudo-Cabbaliſtarum & Pſeudo-philoſophorum nugis nata ſunt. VI. 207.

Dole-

Doletus (*Stephanus*) de verborum claſſibus & ſpeciebus relatus. VI. P. II. 58.
Domini vocis origo. VI. P. II. 162.
Dominicanos inter & Jeſuitas bellum Theologicum. V. 222. VI. 258.
de *Dominis* (*M. Ant.*) relatus. V. 347. ejus doctrina de Iride *Carteſio* lucem dedit. V. 394. 547. De radiis viſûs & lucis in vitris, perſpectivis & *Iride* laudatus. VI. 319.
Domniſo de vitâ *Mathildis* relatus. V. 133. eum edidit Author. V. 306.
Donatus de Literaturâ Turcarum relatus. V. 83.
Donaverus ab Authore relatus. V. 245. ejus Diſſertationes Juridicæ laudatæ. V. 246. 247.
Dondinus relatus. *ibid.*
Doppelmeyerus de rebus Mathematicis laudatus. V. 300.
Dordrechtana Synodus ab Anglicanâ Eccleſiâ non fuit recepta. V. 594.
Dornmannus relatus. VI. 78.
Draudius de Bibliothecarum catalogis relatus. V. 345.
Drechtin vocis etymologia. VI. P. II. 167.
Drelincurtius relatus. V. 350.
Drieſchii (*Gerardi Cornelii*) & Authoris Epiſtolæ mutuæ. V. 429. *& ſeq.* de eo relatio. VI. 200. eum Patri *Des Boſſes* commendat Author. VI. 201.
Droit vocis origo. VI. P. II. 190.
Drole vocis origo. VI. P. II. 56. 189.
Druidarum Gallorum elogium à D. *Chevreau*. VI. 325. eorum ſacrificia relata. VI. P. II. 93. eorum nominis etymologia. *ibid. &* 190.
Drydenius Anglus Poëta de Editione *Virgilii* relatus. V. 115.
Du Bois (*Abbas*) relatus. V. 34. de Abbatis à *Sancto Petro* proſpectu pro pace perpetuâ conſtituendâ. V. 476.
Du Cangius de rebus Byzantinis laudatus. VI. 37.
Ducatuum & Marchionatuum in Germaniâ origo. V. 60.
Du Cheſniorum opera relata. V. 467.
Ductus in manu an ſint ſigna rerum in corpore? VI. 314.
Ducum origo. V. 365.
de *Dudaim*, ſeu Piſtaciis à *Jacobo* Patriarchâ in Ægyptum ad *Joſephum* filium dono miſſis. VI. 102. & 105. quas *Jobus Ludolfus* Chalybonæ accepit. VI. 108.
Dunckerka ob pacem Anglo-Gallicam relata. V. 324. 590. Authoris Epigramma de hac pace. *ibid.*
Du Pin (*Lud. Ellies*) laudatus. V. 57.
Duræus (*Johannes*) Eccleſiæ Anglicanæ Theologus relatus. V. 593.
Durrius de merito & conditione relatus. V. 236.
Du Son de Prophetiis *Noſtradami* quibus fidem habebat, relatus. V. 55. non verò Sacræ Scripturæ prophetiis. *ibid.* vide *D'Egmond.*
Dutens (*Ludov.*) *Leibnitii* elogium. V. 1.
Du Tertre (*P.*) refutatio *Malebrancii* reprehenſa. V. 192.
Dynamica Authoris ab ipſo relata. V. 23. ejus uſus in legibus motûs demonſtrandis. V. 77. VI. 60.

E.

Ebentheuer vocis etymologia. VI. P. II. 45.
S. *Eberhardus* relatus. V. 469. fabula cujuſdam ejus diſcipuli de *Othonis* tranſitu in Hiſpaniam. *ibid.* ejus ſcripta à *Caniſio* & *Mezgero* collecta. *ibid.*
Eccardi (*Jo. Georgii*) Collectanea Etymologica relata. V. 3. ejus operis cauſa & occaſio. *ibid. &* 69. ejus Catechiſmus Theotiſcus expenſus. V. 69. & 334. Profeſſio hiſtoriarum in Acad. Helmſtadienſi ei deſtinata fuit. V. 276. de *Peterſenio* relatus. V. 278. de programmate ſuo contra *Imhoffium*. V. 290. ejus ſcriptum genealogicum de Czarovicio relatum. V. 318. de veteri Teutoniſmo. V. 323. 334. de antiquis Poëtis Germanis. V. 329. laudatus. V. 466. ejus Epiſtola ad *Mathurinum Veyſſiere Lacroſe* de Profeſſione Hiſtoriarum Helmſtadienſi. V. 519. Diarium Eruditorum Germanico ſermone compoſuit. VI. 183. de *Laurentii Coſteri* libro Sinenſium more ex literis ligno inſculptis impreſſo. VI. 209. de *Ogmio* in *Herculis* ſtatuâ ſculpto. VI. P. II. 90. ejus judicium de monumento Celtico ſub templo Cathedrali Pariſienſi effoſſo. VI. P. II. 91.

Eccle-

Eccleſiæ infallibilitatem in rebus facti defendit *Fenelonius*, V. 189. & Pontifex maximus. V. 250. quam improbat Author. VI. 175. eam evertit. VI. 308.

Eccleſiæ Præfecti temporales & ſpirituales quinam ſint? V. 57. de obedientiâ illis debitâ. V. 556. quid ſit eſſe in Eccleſiâ *in voto? ibid.* Eccleſia non confundenda cum gente. VI. 273. Eccleſiaſtici ſunt tanquam Medici Conſiliarii jure divino naturali, omnia alia à genre pendent. VI. 277. diſputationes de Eccleſiaſticâ poteſtate ſunt momentoſæ. VI. 287. Eccleſiæ Romanæ unitas everſa. VI. 307. & infallibilitas. VI. 308. evertitur & argumentum *Holdeni* putantis in Analyſi fidei non poſſe errorem obrepere toti Eccleſiæ. *ibid.*

de Eccleſiæ Romanæ prærogativis. V. 231. cur cum eâ concordia difficilis ſit? V. 250. de ejus abuſibus. V. 555. 556. de eorum reformatione. *ibid.*

Eccleſiaſtæ Cap. I. v. 7. locus à *Jobo Ludolfo* expoſitus. VI. 141.

Eckecs ludus relatus. V. 29. vide *Latrunculi.*

Ecureuil vocis Gallicæ origo. VI. P. II. 157.

Edez (*P.*) Patri *De la Chaiſe* adjutor relatus. VI. 184.

Edouard nominis etymologia. VI. P. II. 89.

Eduardus, *Henrici VIII.* filius Reformationem Religionis in Angliâ inſtituit. V. 593.

Educationis ſcopus quis ſit? V. 40. ſtudia concilianda cum educatione lepidâ. V. 43. de Educationis emendatione. VI. 66. *& ſeq.* 70. 75. 80.

Edwardum inter & *Witby* de *Adami* peccati imputatione lites. VI. 287.

Edzardus (*Sebaſt.*) ab Authore relatus. V. 269. ejus methodus inclareſcendi. V. 271. an Doctor fuerit? V. 292. ejus fata. V. 299. in Hebraicis peritus. V. 426. ejus elogium. V. 541.

Effectus quomodo cauſam doceat? V. 370.

Eggelingius (*Jo. Henr.*) de re antiquariâ laudatus. V. 95. ejus libellus de nummo *Antinoi. ibid.* de Miſcellaneis Germaniæ antiquitatibus. VI. 117. *& in not.* de *Chaucis* ſive *Caucis. ibid. & in not.*

Eginerius Notarius relatus. V. 486. an idem ac *Geneſius? ibid.* vel *Eginardus. ibid.*

Eginhardi vita *Caroli M.* relata. V. 137. in quâ erravit. V. 463. *Eginhardi* & *Einhardi* idem nomen. V. 464. de *Imma* ejus conjuge. *ibid.*

d'Egmond vel *Du Son* Medicus celeber, de ſpecimine volatûs relatus. VI. 313.

Ehlerus Reipublicæ Dantiſcanæ Secretarius relatus. V. 172. Authoris ad eum Epiſtola. V. 403.

Ehrenkroniana Bibliotheca relata. V. 312. 321.

Ehwards qui? VI. P. II. 89.

Einhardus idem ac *Eginhardus.* V. 464.

Einloſen vocis origo. V. 401.

Eiſenhardus de fide hiſtoricâ relatus. V. 384.

Eiſenſchmidius de figurâ telluris relatus. V. 92.

Elaſticæ vis origo. VI. 174.

de *Electionis* negotio controverſiæ inter Lutheranos & Reformatos. V. 237. quæſtio expenditur. V. 238. *in not.* Electio qualem neceſſitatem habeat? VI. 193. Electio ipſa Dei eſt maximi boni cauſâ. VI. 229.

Electionum pluralitas in Angliâ damnoſa. V. 579. cur Candidati difficulter reperiantur? V. 580.

Electoratus: de noni Electoratûs erectione. VI. 113. 115. 116. 132. 133.

de *Elegiâ* ſine lumine, ſine chartâ, ſine atramento de nocte compoſitâ. V. 437.

Elias Propheta an Carmelitanorum fundator? VI. 258.

Elichmannus de linguâ Perſicâ relatus. VI. 121. 299. *in not.* VI. P. II. 87.

Eliſabeta an diverſa ab *Iſabellâ?* V. 93.

Elizabetha Angliæ Regina Reformationem Religionis perfecit. V. 594.

de *Elizabethæ Chriſtinæ* à Lutheranâ Religione ad Pontificiam anno 1708. tranſitu. V. 285. *in not.* Theologorum Helmſtadienſium de hoc facto declaratio, *ibid. in not.* quam profeſſionem fidei Pontificiæ Elector Palatinus urſit. V. 292. ut & P. *Urbanus. ibid.*

Eloquentia efficax neceſſaria. VI. 297.

Ely Eccleſiæ in Angliâ Manuſcriptum vetus relatum. VI. 225.

Emery

Digitized by Google

Emery de coloribus relatus. V. 67.
l'Empereur & l'Empire trahi, libellus relatus. V. 400.
Encyclopædia quid ſit? V. 181. ejus uſus. *ibid.* Encyclopædia *Alſtedii* relata. V. 183. Encyclopædiam ſcientiarum verſibus conſcribendam commendat Author. V. 312. 405.
Engelhuſii excerpta ab Authore edita. VI. 127.
Enngen vocis etymologia. VI. P. II. 165.
Ens merè paſſivum quid ſit? V. 370.
Ens perfectiſſimum ex ideâ innatâ hauſit *Carteſius*. V. 360.
Enſiferorum (ordinis Equeſtris in Livoniâ) Hiſtoria a *Schurzfleiſchio* edita. V. 471.
Entelechiæ cur ab Authore reductæ? V. 9. VI. 55. quomodo eas admittat? V. 359. quomodo ſint vis primitiva materiæ? V. 375. Entelechia idem ac vis activa. VI. 174.
Enthuſiaſmus quomodo ſanari poſſit? V. 39. Authoris judicium Epiſtolæ Comitis *Schaftsbury* de Enthuſiaſmo. *ibid.* altera de Enthuſiaſmo epiſtola expenſa. V. 47. an per jocum ſanari poſſit? *ibid.* an enthuſiaſmum ſemper comitetur melancholia? V. 49. Enthuſiaſmi *ſecundæ manus* quid ſint? V. 55. Enthuſiaſtæ prophetæ; *ibid.* cum *Virgilii* Sibyllâ comparati. *ibid.* Enthuſiaſmi progreſſus. *ibid.* bonus Enthuſiaſmus quid ſit? V. 56. *Mich. Gottlieb. Hanſchii* de Enthuſiaſmo Platonico diſſertatio. V. 172. *Sebaſt. Kortholti* Enthuſiaſmus Poeticus relatus. V. 329.
de *Epichærekakia* obſervatio. V. 330. *Henricus II.* Rex Galliæ libenter ſupplicia ſpectabat. *ibid.*
Epicuri & ſequacium doctrina de honeſtate externâ & civili laudata. V. 391.
Epigone, vel *Hiſtoire du ſiécle futur* liber relatus. VI. 298.
Epirotica lingua relata. V. 499. VI. P. II. 197. cujus liber Romæ impreſſus. V. 507. an ab Illyrica originem ducat? VI. P. II. 197.
de *Epiſcopatu* Anglicano. V. 595.
Epiſcopi & Abbates Regii in Germaniâ & Imperio Romano plurimùm valebant. V. 60. Epiſcopi Poetæ. V. 329.
Epiſcopius relatus. V. 345.
Epitaphium Turcicum Hanoveræ erectum. VI. 176.
de *Epithetorum* doctrinâ ad formam artis redactâ. V. 331.
Erbermannus in Collegio Jeſuitico Moguntino relatus. V. 406.
Erb-exen, vide *Arrv-exen*.
de *Eremitis* doctis mentio. V. 330. inter quos *Carteſius* recenſendus. *ibid.*
Erfurtentis Academiæ anni ſecularis occaſione numiſma relatum. V. 402.
Erici (*Jo. Petr.*) Ἀνθρωπογλωττογονία relata. V. 122. VI. 141. VI. P. II. 148. 155. cum Authore collocutus eſt. VI. 139. ejus elogium. *ibid.* ejus error de vocum formatione. VI. P. II. 148. 154. à Græcis omnes Etymologias ducebat. VI. P. II. 223.
Erneſtus (*Haſſiæ-Rhinfels Landgravius*) de rebus Religionis relatus. V. 57. Proteſtantes deſeruit. *ibid.* colloquium habuit inter Patrem *Valeriano Magni* Capucinum & Doctorem *Haberkornium*. *ibid.* ejus liber *le Catholique diſcret*, continens proſpectum pacis fere ſimilem proſpectui Abbatis à *Sancto Petro*. *ibid.* & 407.
Erpenius de *Euclidis* datorum ex Arabico verſione; VI. 300. vertens *Elmacinum* commiſit ultra trecentos errores. *ibid.*
Errantis pœna doceri. V. 483.
Errores & abuſus qui irrepſère in Eccleſiâ non tam Cleri artibus quàm temporum vitio tribui debent. V. 142.
Eruditio quid ſit? VI. 237.
Eſchinardi (*Franciſci*) ratio emendandi thermometra. V. 349.
Eſparſa (*Martinus*) relatus. VI. 185.
Eſprit (*Abbatis*) ſententiæ relatæ. V. 67.
Eſſerus de Philoſophiâ relatus. V. 432.
Eſthones & *Lapones*, an Iſraelitarum coloniæ? VI. 106. *in not.*
Eſtrées (*Card.*) relatus. V. 72.
Eſus, vide *Heſus*.
de *Ethicâ* & ejus præceptis. V. 359.
Ethica picta. V. 330.
de *Ethnicorum* converſione. VI. 140. de Catholicorum miſſionibus. *ibid.* Ethnici actio cum Chriſtiani actione comparata. VI. 186. an eorum fabulæ & numina à *Moſe*, juxta *Huetium*, deducenda? VI. 244. ſub eorum fabulis latet hiſtoria antiqua. VI. 252. de Ethnicorum in peccato mortali non morientium ſtatu.

Digitized by Google

VI. 311. an poſſint ex propriis naturæ viribus infernum effugere? VI. 312. ſi in Ethnico fuerit amor Dei ſuper omnia, an ſalvetur? *ibid.*

Etiquette vocis etymologia. V. 64.

Etruſci. vide *Hetruſci.*

Ettmullerus medicus relatus. V. 326.

Etymologia: Tentamina Etymologica ſcripſit Author. V. 64. regulæ de etymologiis deducendis. VI. P. II. 171.

Etymologici Dictionarii utilitas demonſtratur. VI. P. II. 24. præcipuè Germanicæ linguæ. VI. P. II. 26. quomodo conficiendum? VI. P. II. 39. Etymologias omnes ex ſuis linguis extrahere ridiculum. VI. P. II. 223.

Etymologiſtæ Angli an ægrè ferant quòd eorum lingua plurimas voces è Gallicâ ducat. V. 543.

Eva an quatuor liberos ſeorſim pepererit & intra breve temporis ſpatium? VI. 332.

Evangeliorum Codex Gothicus relatus. VI. P. II. 182. ex quo editionem fecit *Franciſcus Junius. ibid.* an Ulfila eorum Author. *ibid.*

Evangeliorum quatuor Canonem ad XIII Eccleſiæ ſeculum referre error eſt. V. 611.

Evangelium Barnabæ relatum. V. 427.

Eubagi qui? VI. P. II. 89.

Euchariſtia; *Calvini* de eâ Doctrina. V. 241. *Leibnitii* ſententia. *ibid.* & 242. VI. 318. Reformatorum doctrinæ cum Lutheranorum doctrina comparatio. *ibid.* & *in not.* VI. 318. de orali in ſacrâ cœnâ manducatione. V. 245. de præſentiâ ſubſtantiali ſed ſupernaturali Authoris doctrina. V. 262. antiquos Chriſtianos ad S. Euchariſtiæ celebrationem non fuiſſe adſtrictos per errorem docebat *Arnoldus.* V. 609. Lutheranorum doctrina de comperceptione. VI. 287. Sacræ Cœnæ Reformatorum interfuit Author. VI. 318. ejus ſententia de Liturgiæ Reformatæ formulâ. *ibid.* cur vinum Euchariſticum in ligneo calice conſecrare pro ſacrilego habeatur? VI. 322. cur plebi calix ademta fuerit? *ibid.*

Euclides Germanicè editus. V. 549.

Euclides Phyſicus & Metaphyſicus *Thomæ Albii.* V. 335.

Euclidis definitiones laudatæ. V. 182. ut & ejus elementa. V. 183. ejus methodus *ſcientifica*, atque *demonſtrativa* dicitur. V. 468.

Eugenius Sabaudiæ Princ. ab Authore relatus. V. 12. Authoris Oratio de Philoſophiâ illi Principi dicta. *ibid.* & 27. de ſocietate ſcientiarum Viennæ inſtituendâ. V. 527. 528. 534.

Eugubii Tabulæ quibus litteræ veteres ſunt inſculptæ, relatæ. V. 94. VI. P. II. 95.

Evidentia an ſit perſuaſionis fundamentum? V. 144. 146.

S. Evremontii narrationibus non ſemper credendum. V. 371. ejus ingenium & mores. V. 372.

Eurifes vocis etymologia. VI. P. II. 89. 92.

Euſebii & *Hieronymi* Chronicon relatum. V. 306. quod *Proſper* continuavit. *ibid.*

Euſtathii (*Theſſalon. Archiep.*) in *Homerum* commentarii relati. V. 423. quorum editor *Caperonerius. ibid.* & 492. ejus Ephemerides relatæ. VI. 314.

Excerpendi methodus. V. 368.

Excommunicatio an locum habere poſſit in Proteſtantes. V. 555. & 556. Epiſcoporum quorumdam dictum de Papa excommunicante. V. 556. Excommunicationes fulminatæ in Bullâ Cœnæ. *ibid.*

Eximium quod moraliter eſt, cur in Deo locum non habeat? V. 54.

Exiſtentia Dei: *Carteſii* de eâ demonſtrationes expenduntur. VI. P. II. 147. *Anſelmi Cantuarienſis Archiep.* demonſtratio. *ibid.* & *Thomæ de Aquino. ibid.* Authoris argumentum eam probans. *ibid.*

Experientiâ teſte probandum. V. 193.

Experimenta naturalia ut conferuntur, ita deberent regulæ vitæ, obſervationes utiles & reconditæ de rebus humanis emendandis, conferri. VI. 296. cur in tantâ experimentorum copiâ tam pauca inde ducantur ad uſum vitæ? VI. 303.

Extenſio an ſit eſſentia materiæ? V. 74.

Extenſio intelligibilis quid ſit? VI. 211.

Eybenius (*Ulricus*) de Feudis Longobardicis relatus. V. 154. ejus opus notis illuſtravit *Chriſtianus Thomaſius. ibid.* cum *Joho Ludolfo* litteras mutavit. VI. 95. ejus elogium. VI. 97. 142. de Etymologicis. VI. P. II. 148.

F

Fabius (*Stapulenſis*) primus omni-præſentiam carnis Chriſti docuit. V. 347.

Fabrettus relatus. V. *96.* & *97.* ejus opus relatum. V. 128.

Fabri (*Tanaquilli*) libellus contra Poetas relatus. V. 329.

Fabri (*Honorati*) Phyſica laudata. V. 540. doctrina de iis qui ſunt in Eccleſiâ, vel extra eam. V. 553. de ejus ſcriptis. VI. 12. ab Authore reprehenſus. VI. 173. ejus liber de unâ fide adversùs indifferentes. VI. 307. 308.

Fabricarum inſtitutio commendata. V. 177.

de Fabrice Conſiliarius rerum bellicarum relatus. V. 423.

Fabricii (*Joh. Alberti*) Diſſertatio de nominibus menſium variarum gentium Authori dicata. V. *69.* de ejus Hamburgo diſceſſu. V. 314. de libro dicto apologia generis humani adversùs accuſationem atheiſmi. V. 345. ejus Bibliotheca Græca relata. V. 384. 420. VI. P. II. 220. ad eum Authoris Epiſtolæ XI. V. 420. *& ſeq.* de ejus Panegyrico *Carolo* dicto. V. 424. ejus opuſculum de menſibus. V. *426. de Sexto Empirico* recudendo. V. 448. diſſertatio de Cruce à *Conſtantino M.* in cœlo viſâ. 449.

Fabricius (*Joh.*) refutatur ab anonymo. V. 270. ejus cum *Tilemanno* de negotio irenico commercium. V. 274. ejus doctrinam & moderationem Reformati laudant. V. 277. ejus Epiſtola ad pios & eruditos Britannos relata. V. 285. *in not.* de ejus Epiſtolis ad Britannos & *Andr. Snapium.* V. 288. ad eum Authoris Epiſtolæ CXVIII. de unione Eccleſiaſticâ inter Lutheranos & Reformatos, quin etiam inter Proteſtantes & Pontificios Doctores. V. 218. *& ſeq.* de ejus paradoxis theologicis. V. 2*36.* ei abbatia Lotharienſis concredita. V. 254. Berolinenſis ſocietatis ſocius declaratur. V. 257. 289. Hiſtoriam litterariam Theologiæ exornare meditatur. V. 291. de *Petronii* fragmento. V. 399.

Fabricius (*Jo. Lud.*) ab Authore laudatus. V. 227. ejus *Euclides Catholicus*, ſub *Jani Alexandri Ferrarii* nomine. *ibid.* ejus meditatio de controverſiâ circa perſonam Christi inter Evangelicos. V. 227. 228.

Fabricius (*Georgius*) de collectione veterum Poetarum Chriſtianorum relatus. V. 282.

Fabricius (*Abbas*) laudatus. V. *612.*

Fabula moralis de neceſſitate perſeverantiæ in cauſâ publicæ ſalutis relata. V. 320.

Fabulæ heroicæ an in ridiculum vertendæ? V. 51. Fabulæ tum Græcorum Poëtarum, tum Talmudicorum, & Arabum Theologorum cur colligendæ & ordinandæ? VI. 313. cur fabuloſæ hiſtoriæ ſcriptores ſibi paſſim contradicant? VI. P. II. 85. 127. 223. de earum explicatione *Petronius* relatus. VI. P. II. 80. *& ſeq.* 127.

Fabularum de religione origo an detegi poſſit? VI. 309.

Fahreinheit relatus. V. 171.

Faldiſtoria quid? VI. 170.

Faletus de Eſtenſi hiſtoriâ relatus. V. 84.

Falſterus de meritis Danorum in ſtudium Lexicographicum relatus. V. 340.

Fama plurium virorum eruditorum in Ephemeridibus litterariis Trivoltienſibus lacerata. V. 134.

de *Familiarum* originibus inquirendis. V. 371.

Fanatici jocum tanquam martyrium ſuſtinent. V. 50. exemplum fanaticorum Londini numellis publicis verſatorum. *ibid.* Fanatici Gebennicorum montium in Theatro Londini repræſentati. V. 52.

Fanatici vel Theologiæ myſticæ cultores relati. VI. P. II. 150. de vocibus ab ipſis inventis. *ibid.*

Fardella (*Abbas Michael Angelus*) relatus. V. *92.* Lecturam Patavinam obtinuit. V. 109. poſtea fuit Profeſſor. V. 111. VI. 212. ejus judicium petit Author. V. 113. cum eo de animarum naturâ plurima communicavit Author. V. 119.

Farnabius laudatus. V. 217.

Farneſii (*Alexandri*) Parmæ Ducis vita relata. V. 95. ejus vitæ à *Strada* ſcriptæ continuatio. VI. 225.

Faſchius de carmine in laudem *Sebaſt. Korholti* relatus. V. 305. ab Authore celebratus. *ibid.*

Fatio de *Newtoni* principiis relatus. VI. 266. de Gebennicis Prophetis. VI. 279. ejus elogium. VI. 282.

